This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

GIFT

GIFT OF
Henry U. Brandenstein

RATIO AC VIS

EX. LIBRIS H. U. BRANDENSTEIN



GIFT

GIFT OF
Henry U. Brandenstein

# RATIO AC VIS

EX. LIBRIS H. U. BRANDENSTEIN



# C. CORN. TACITI

# OPERA

EX RECENSIONE

## JOH. AUGUSTI ERNESTI

DENUO CURAVIT

JER. JAC. OBERLINUS

ARGENTORATENSIS

INSTIT. LITTER. FRANCICI SOCIUS

TOMUS TERTIUS

LONDINI

EXCUDEBAT T. DAVISON

SUMTIBUS RICARDI PRIESTLEY

MDCCCXXV.

# C. CORNELII TACITI

# HISTORIARUM

## LIBRI QUINQUE.



M156047

UNIV. OF CALIFORNIA

# C. CORNELII TACITI
# HISTORIARUM
## LIBER PRIMUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Præfamen. Auctoris dignitas, ætas, institutum. 2. 3. Præsentis historiæ summa capita. 4. 5. Status urbis, mens exercituum, habitus provinciarum, occiso Nerone. Nymphidius imperium adfectans, oppressus. 6. 7. Galbam crudelitas sua, ætas, corporis forma et amicorum vitia reddunt invisum. 8. 9. Status Hispaniæ, Galliæ, Germanicorum exercituum, Britanniæ, Illyrici. 10. In Syria Muciani virtutes et vitia. Fl. Vespasiani, Judaicum bellum administrantis, animus in Galbam. 11. Ægypti, Africæ, Mauretaniæ, Rhætiæ, Norici, Thraciæ, Italiæ status, Coss. Galba et Vinio.

12. Deficiente superioris Germaniæ milite, Galba de adoptando Cæsare cogitat. 13. Vinius Othoni favet, non ita Laco et Icelus. 14. Galba, transactis Imperii comitiis, Pisonem eligit, hominem antiqui moris et severum, cui 15. 16. adoptionis caussas et Imperii administrandi consilium aperit. 17. Pisonis inter hæc moderatio, 18. adoptio in castris nuncupata, 19. tum in senatu. Legati ad defectores missi. 20. Neronis prodigæ donationes rescissæ.

21. Othoni spe lapso consilium in turbido, 22. instigantibus libertis, servis, mathematicis; 23. 24. paratis jam ante militum studiis per blanditias et largitiones, oscitante ad id Præfecto. 25. 26. Ergo jam legiones et auxilia pro Othone. 27. Mox consalutatus Imperator 28. castris Prætorianis infertur.

29. 30. Piso cohortem, quæ in palatio stationem agit, hortatur ad fidem. 31. Illa parat signa, reliquis copiis deficientibus. 32. 33. Plebis adulatio et levitas. Fluctuat Galba cum amicis, an occurrendum? 34. Præmittitur in castra Piso. Falsus de occiso Othone rumor. 35. Populus et Senatus Galbæ; 36. castra Othoni favent. 37. 38. Hic militum animos oratione sibi conciliat; Galbæ et Pisoni reddit infensos. Arma militi dividit. 39. Agitat Laco de cæde Vinii. 40. Galba fluctuat. Plebs nutat. Othoniani forum inrumpunt. 41. Galba desertus, occisus, 42. sic et Vinius. 43. Sempronii Densi fides. Piso cæsus, 44. magna Othonis lætitia. Cædium præmia poscentes jussu Vitellii postea interfecti. 45. Adulantur Senatus et Populus victorem Othonem, qui coercendo militum furori inpar. 46. Hi vacationes sibi remitti petunt. Laco et Icelus cæsi. 47. Pisonis et T. Vinii sepultura, 48. elogia, testamenta. 49. Galbæ sepultura, ætas, nobilitas, mores, honores.

50. Trepidam urbem novus de Vitellio nuntius exterret. Vespasianum nonnulli augurantur. 51. Initia Vitelliani motus ex bello Julii Vindicis, et secutis inde discordiis inter legiones et Gallos. 52. 53. Vitellius, suo ingenio ignavus, ad res novas stimulatur a Valente et Cæcina Legatis. 54. 55. Legiones utriusque Germaniæ fidem in Galbam exuunt, 56. segni spectatore Hordeonio Flacco Legato. 57. Valens Vitellium Imperatorem consalutat, magno militum studio; 58. quibus poscentibus multi cæsi. 59. Julius Civilis periculum evadit. Undique viribus auctus, 60. inter fœdas Legatorum discordias, 61. duos exercitus in Italiam mittit. 62. Torpet Vitellius; ardor et vis militum ultro Ducis munia inplet. 63. Subito furore conreptus miles ab excidio Divoduri ægre temperat. Gallias terror invadit. 64. Vitellio adhærent. 65. Lugdunenses ex vetere odio milites in eversionem Viennensium inpellunt; 66. isti tamen donis placantur et precibus. Valentis avaritia et libido. 67. 68. Helvetios, Vitellii Imperium abnuentes, Cæcina, belli avidus, cædit. 69. Aventicum ægre inpunitatem salutemque inpetrat. 70. In Vitellii partes transgressa Italiæ parte, Cæcina Alpes superat.

71. Otho prudenter se gerit; Mario Celso ignoscit. 72. Tigellinus infamem vitam exitu inhonesto fœdat. 73. Galvia Crispinilla cum mala Othonis fama periculo exempta. 74. Principes mutuo sibi conditiones offerunt; mox rixantes flagitia invicem objectant, et 75. insidiatores inmittunt. 76. Distractis inter utrumque exercitibus ac provinciis, bello opus. 77. Otho Imperatorem agit; honores, 78. civitatem, jura dilargitur: de celebranda Neronis memoria agitat.

79. Sarmatæ Roxolani Mœsiam inrumpentes cæsi. 80—82. Seditio gravis, in ipsa urbe temere orta, cum magno metu atque discrimine primorum civitatis, precibus et lacrymis Othonis componitur, qui 83. 84. milites ad concordiam et modestiam hortatur. 85. Istis compositis, omnia suspicionum et formidinis plena, præcipuo Patrum metu. 86. Prodigia Othonis cladem præsagientia. 87. Is, lustrata urbe, Narbonensem Galliam adgredi statuit, et 88. cum multis nobilibus L. Vitellium æmuli fratrem secum ducit. 89. Inde varii animorum motus. 90. Commendata Patribus Republica Otho festinat ad bellum. Trachali eloquentia usus Otho, in quem studia et voces vulgi. Gesta hæc paucis mensibus.

### IMP. SERV. GALBA ET T. VINIO COSS.

I. INITIUM mihi operis Ser. Galba iterum, T. Vinius Consules erunt. Nam, post conditam urbem, septingentos et vi-

*Ser. Galba iterum, T. Vinius Coss.*] Vulgo appellant T. Junium. At mihi religio non fuit sequi scripturam antiqui marmoris eruti ad radices montis Cælii: SER. GALBA II. T. VINIO COSS. a quo præsertim staret Plutarchus, qui c. 27. fere hunc hominem Τίτον Ὀβίνιον, aut Οὐίνιον appellat. Simile mendum in Suet. Aug. 27. ubi *T. Junius Philopœmen*, scribitur, qui ex Dione 47, 4. est *Vinius*; etsi Appiani scriptura Civ. 4, 44. firmat vulgatam. Sane Junia gens nobilior, quam ut in hunc hominem conveniat. cujus pater dumtaxat ex familia Prætoria, ut Tacitus infra refert. LIPS. Bud. *Servius Galba iterum Titus Junius.* De nomine *Vinii* v. Casaub. ad Suet. l. c.

*DCC. et XX.*] Exacte si putas, XXII

ginti prioris ævi annos multi auctores retulerunt, dum res Populi Rom. memorabantur pari eloquentia ac libertate. Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem, ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere: simul veritas pluribus modis infracta; primum inscitia Reipublicæ ut alienæ, mox libidine adsentandi, aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile adverseris; obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur: quippe

reperies. LIPS. Sic (DCCXX) omnes editi a Beroaldo ad Ryckium: unde clare patet, Beroaldum hos libros non e MS. Flor. edidisse, qui totidem literis habet *octingentos et viginti*, ut alii MSS. Reg. (Bud.) Agr. Guelf. (in quo est per numeros sic *DCCCtos et XX*) et ed. pr. At Puteol. dedit *ducentos et vig.* Beroaldi numerus forte ipse e MS. sumtus, sive ex ed. pr. sed ultimum C vitio operarum omissum est. Res ipsa desiderat hunc, qui nunc editur, numerum. Sermo est enim de scriptoribus usque ad Galbæ imperium. ERN. Mihi si quid video, potior est Beroaldi lectio, undecunque sit orta. Opponit Tacitus tempora ante pugnam Actiacam, quibus eloquentia scriptorum viguit cum libertate, quod is prius ævum dicit, temporibus insecutis, quibus magna ingenia cessere et veritas est infracta. Restitui locum et interpunctione sensum juvi.

*Atque omnem potestatem ad unum conferri*] Cicero Phil. 1, 14. *ne ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes plus te unum posse quam omnes.* Livius 3, 37. *licentiam suam malle, quam omnium libertatem.* Sive ab τῷ *omnia* malis. Noster A. 1, 11. *quam subjectum fortuna regendi cuncta onus, proinde in civitate tot illustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent.* Quintilianus Inst. 6, 1, 36, *cum omnia curæ tutelæque unius innixa.* GRON. Videtur probasse lectionem MS. Bud. et cod. Danesiani *omnium potestatem*, quæ et Rhenano placebat et Ursino. Sed Ryckius et J. Gron. cupide arripuere scripturam MS. Flor. *omnem potentiam*, quæ et in ed. pr. reperitur: quos ego non imitor. Latinitas me impedit. Nego dici posse *omnem potentiam ad unum*, vel *aliquem conferre*, quod lege aut SCto factum. *Potestas confertur*, non *potentia*, quæ vi, fraude, aliisque modis *paratur. Senatus, Magistratuum, legum munia* vocat Ann. 1, 2. hæc est *potestas*, non *potentia.* Jus erat faciendi, quæ viderentur, h. e. *potestas.* Ipsum epitheton *omnis* potestati convenit, non potentiæ. *Omnium rerum potestatem* dixit et Livius 8, 13. nec displicet mihi h. l. *omnium.* ERN. Bip. reposuere *potentiam*, quia et c. 13. legitur *potentia principatus divisa.*

*Inscitia Reip. ut alienæ*] h. e. cum homines suam Remp. non aliter aut melius nossent, quam alienam, propterea, quod ejus incuriosi essent, cum ad eam accedere non amplius liceret, sed unius omnia nutu et arbitrio gererentur. ERN.

*Ambitionem scriptoris*] Adulationem, placendi studium. Sic A. 1, 67. *Nulla ambitione.* 13, 4. *Nihil ambitioni pervium.* Et apud Justinum 12, 15. *ambitio vulgi.*

*Facile adverseris*] Legendum esse *averseris*, doctissimi viri statuunt. Recte. Et convenit hodie fere, *adversari* esse notam ævi, quo libri scripti, et nihil aliud quam pravam scripturam. Nempe media ætate solenne, *adversari* scribere pro *aversari*, promiscueque ista verba dicta. Et fatali quadam consensione, pluribus in locis Taciti id constanter exhibent omnes libri, ubi sensus *aversari* desiderat: unde nuper Gesnero in Thes. L. L. non videbatur admodum probabile, in omnibus his locis esse vitium scripturæ, rescribendumque *aversari.* Sed sciendum id, quod in præfatione diximus, omnes, quos habemus, MSS. Taciti libros ex uno codice fluxisse. Unde tanto magis talis consensus existere potuit. Sic H. 2, 51. optimi libri *adversam* pro *aversam* exhibent. Sed tamen sunt in his MSS. vestigia veræ scripturæ. H. 3, 25. unus Flor. *aversari*, ceteri libri omnes *adversari.* Neque vero ex ullo alio scriptore antiquo exempla proferri potuerunt, ubi libri omnes ita consentirent; sed ad solum Tacitum provocatur. Contra sæpissime ostensum est, *adversari* occurrere in plurimis codd. ubi meliores libri habeant *aversari.* v. Drak. ad Liv. 8, 7. Schwarz. ad Plin. P. 46. Cort. ad Sall. Jug. 93. Sic Virg. Æn. 4, 106. multi scripti libri, *adverteret* pro *averteret.* ubi v. Heins. et Burm. Itaque credo cum eodem Drakenb. et Oudend.

adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, non abnuerim: sed inconruptam fidem professis, nec amore quisquam et sine odio dicendus est. Quod si vita suppeditet, Principatum D. Nervæ et Imperium Trajani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui: rara temporum felicitate, ubi sentire, quæ velis, et, quæ sentias, dicere licet.

II. Opus adgredior opimum casibus, atrox prœliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum. Quatuor Principes ferro

ad Suet. Tib. 27. esse meram corruptelam librariorum, omnibusque in locis esse rescribendum *aversari*. Ceterum quod opponitur, *pronis auribus accipere* bene convenit verbo *aversari* non *adversari*. Itaque *averseris* correxi. ERN. Ita et Pichena, Freinsh. Brot. Lall. Contra Bip. adsentiunt Gesnero, estque constans apud nostrum dicendi forma, *adversari* pro *adverso animo accipere*, ut A. 1, 28. H. 1, 38. 3, 25. 4, 84. Sed et Plauto familiaris. Vide Gesn. thes. et Parei Lex. Plaut.

*Vespasiano inchoatam*] Quomodo? quiane Procurator sub illo Belgicæ? E Plinio 7, 17. id suspicere: sed suspicere tantum: imo verius id ceperis de hujus patre. Intelligo ergo dignitatem ejus inchoatam a Vespasiano, quod ab eo Quæstor Senatorque factus. LIPS. V. Ryckius. ERN. Hic apud Plin. commode nostrum intelligi posse docet, qui a. 805 aut etiam ante forsan natus. Sub Vespasiano XXvir factum Broterius statuit; sub Tito Tribunum mil. ac Quæstorem.

*Tito auctam*] Ædilitate aut Tribunatu. LIPS.

*Domitiano longius provectam*] Quo Principe et Quindecim-vir et Prætor fuisse, ipse testatur A. 11, 11. LIPS.

*Professis*] Cod. Agr. *professo*.

*Nec amore q. et sine odio d.*] Debebat esse *nec amore q. nec odio*; sed Tacitus post *nec* etiam *et* ponit, ut jam ad Ann. notavimus, et voluit variare orationem, quæ sane ab hac variatione durior facta est. In posteriori membro intellige *quisque*. ERN. Mur. et Acid. volebant *nec cum amore*.

*D. Nervæ*] Cœpit ergo scribere eo mortuo et sacrato. LIPS.

*Uberiorem securioremque*] Alter comparativus non erat in Bud. excidit etiam e Guelf. sed ut appareat: habent enim *uberioremque*. Hunc frustra tentat Acidalius *liberiorem*: notio libertatis est in *securior*. ERN.

*Plenum variis casibus*] Parum firma aut germana lectio. Nam Vatic. ille opt. *opus aggredior opibus casibus*, præfert: et supra adnotatum, *opimum*. Et in Romano antiquitus excuso, item legas *opimum casibus*. Censeam fuisse, *opulens casibus*; quæ vox paullo a vulgo seductior exscriptores seduxit. LIPS. MS. Flor. *opibus casibus*. Guelf. *plenum variis casibus*, ut edd. vett. inde a Puteolano: sed in marg. *gravioribus opibus*. (Bud. *plenum gravioribus casibus*.) At *opimum casibus* MS. Agr. ed. pr. quod recepit Pichena. J. Fr. Gron. conjiciebat *obsitum* vel *uberrimum*: filius *copiosum*: Crusius in Probabilibus *inopinum*. Patet, locum antiquitus corruptum fuisse, et tentatas correctiones: ex quibus sane *opimum* optima, nec redolens librariorum inscitiam. Eleganter enim (ut Liv. 3, 7. *ager opimus copiis*) pro copioso, dicitur. Sed tamen correctionem esse puto, non veram Taciti manum. Viri docti nimis adhæserunt notioni ubertatis et varietatis. At sequentia operis hujus attributa consideranti, præsertim ultimum, *ipsa etiam pace sævum*, apparebit, hic desiderari deterioris significationis adjectivum, qualia sunt sequentia omnia. An fuit *horridum? Casus horridos* etiam Senec. H. F. 657. vel *horribile*, ut Cicero dixit pro Sext. 24. *horribilis et gravis casus*. Melius nihil dum excogitare potui. ERN. Quum recepta lectio nitatur auctoritate Vatic. cod. et ed. Rom. nolim rejectam. Bip. recepere *inopinum*. Jac. Gron. volebat *copiosum*.

*Ipsa etiam etc.*] Vulgo *in ipsa*. Sed præpos. abest a Bud. Ast Agr. habet.

*Quatuor Principes*] Ne erres cum vulgo, neu Pisonem inter istos censeas. Intelligit enim Galbam, Othonem, Vitellium, Domitianum. Nam et ad hujus exitum Historiam perduxit. Piso autem, duntaxat Cæsar, non princeps. LIPS.

interempti. Trina bella civilia, plura externa ac plerumque permixta. Prosperæ in Oriente, adversæ in Occidente res. Turbatum Illyricum: Galliæ nutantes: perdomita Britannia et statim missa: coortæ in nos Sarmatarum ac Suevorum gentes: nobilitatus cladibus mutuis Dacus. Mota etiam prope Par-

*Tria bella civilia*] Quæ? Othonis in Vitellium, hujus in Flavium, et L. Antonii in Domitianum, de quo Sueton. et Dio. LIPS. *Trina* MSS. Flor. Bud. Guelf. ed. pr. *Terna* Agr. *Plerumque permixta* est eodem fere tempore gesta, ut domi et foris turbaretur Respublica. ERN. *Trina* recte restituere Bip. Placet.

*Perdomita Britannia et statim missa*] In vitio aperto et confusione locus. Quid enim illud, *missa cohorte*? Itane unius cohortis res fuerit, in Sarmatas ac Suevos bellum? Nugæ. Denique, quis hic sermonis contextus aut cohæsio, missa cohorte in Suevos, Dacum cladibus involutum? qui populi sane diversi. Omnino recte correximus pridem: *perdomita Britannia et statim amissa: coortæ Sarmatarum ac Suevorum gentes: nobilitatus clad. mutuis Dacus:* nec exiguo ad historiam momento. Discimus scilicet, perdomitam Britanniam (quod Domitiani imperio accidit: eamque laudem Agricolæ socero suo noster tribuit in ejus vita c. 10. *Britanniæ situm non in comparationem curæ ingeniique referam, sed quia tum primum perdomita est*) et mox ignavia aut dissidio Principum in parte amissam: sive magis placet, *omissam*. Quod in Domitiani ultimis rebus verum censeo, externo imperio non allaborantis. Etiam Spartianus auctor c. 5. sub principia Imperii Hadriani, *teneri Britanniam sub Romana ditione non potuisse*. Addit c. 11. amplius, penetrasse eundem Principem in Britanniam, nec tamen totam recuperasse, sed *per octoginta quinque millia passuum murum duxisse, qui Barbaros Romanosque divideret*. Cujus muri mentio etiam Dioni 72, 8. in vita Commodi; Τῶν, inquit, ἐν τῇ νήσῳ ἐθνῶν (de Britannia loquitur) ὑπερβεβηκότων τὸ τεῖχος τὸ διορίζον αὐτούς τε καὶ τὰ τῶν Ῥωμαίων στρατόπεδα. Alius ab isto murus, sive vallum potius, quod Severus Imp. duxit per millia passuum XXXV. ut Eutropius ait 8, 19. sive XXXII. ut Victor, epit. 20. De quo vallo diffuse et diserte Beda 1, 5. Aliquid etiam Windichindus Saxon. ab initio. At fons totius hujus corruptionis (varie enim interpolatus locus) a verbo *coortæ* ortus: quod plerumque libri scripti in medio adspirant *cohortæ*, *cohoriri*. Hinc turbellæ. LIPS. Eleganter hunc locum a Lipsio correctum fatentur omnes, nisi quod Savilius, Mercerus, Ryckius, J. Gronovius *missa* servari volunt: quia non *amissa* est Britannia, sed tantum neglecta: quod ipse sensit Lipsius; unde etiam *omissa* legi posse dixit, ut A. 6, 36. *Armenia omissa*. Sed *missa* idem est: quare Pichena, qui primus Lipsii correctionem recepit, hoc debebat ponere, quod omnes libri scr. et edd. habent: atque ita nos cum Ryckio et J. Gronovio fecimus. ERN.

*Coortæ i. n. Sarmatarum ac Suevorum*] De Sarmatis, etiam apud alios leges: de Suevis, vix puto. Cattos saltem nominant, in Domitiani quidem rebus. Sed tu scito, hos Suevos, non illos esse, qui in ipsa Germania, et qui vulgo noti: sed qui trans Istrum, assiti Sarmatis. Illi, inquam, ipsi, quibus Vannius a Druso Rex datus, quique inter Marisum et Cusum fluvios locati. Itaque militia plerumque sociati cum illis. A. 12, 29. *Ipsi Vannio manus propria pedites, eques e Sarmatis Iazygibus erat*. Etiam nunc bello hoc in Domitianum, Dionis fragmenta præclare (et absque iis hærebamus:) 67, 5. Ἐν τῇ Μυσίᾳ Δάκοι Σουήβοις τισὶ πολεμηθέντες, πρίσβεις ἐπεμψαν, αὐτοῦντες συμμαχίαν παρὰ Δομετιανοῦ, καὶ ἔλαβον. . Ἀγανακτήσαντες δ' ἐπὶ τούτῳ οἱ Σουήβοι προσπαρέλαβον Ἰάζυγας καὶ προσπαρεσκευάζοντο, ὡς καὶ μετ' αὐτῶν τὸν Ἴστρον παραβησόμενοι. LIPS. *Coortæ in nos* MS. Flor. quod recte receptum Ryckio et J. Gron. qui inde natum putat *in Roxolanos*, quod est in MS. Guelf. sine *in* in edd. Puteol. Beroald. Alc. Rhenanus delevit. Ed. pr. (et cod. Bud.) *in Sarm.* ERN.

*Cladibus mutuis Dacus*] Epitomarii de hoc bello Dacico multa: et poeta Statius Silv. 1, 1, 27. *Das Cattis Dacisque fidem*. Iterum: *Hæc est quæ victis parcentia fœdera Cattis, Quæque suum Dacis donat clementia montem*. Cur montem diserte nominat? sicut in eadem ista re Silv. 1, 1, 80. *Tu civile nefas, tu tardum in fœdera montem Longo Marte domas*. Quiane montana Dacia, et tales ibi munitiones? Apparet e Fragm. Dionis, in rebus Trajani 68, 9. Ὁ δὲ Τραϊανὸς ὄρη τε ἐντετειχισμένα ἔλαβε, καὶ ἐν αὐτοῖς τά τε ὅπλα, καὶ μηχανήματα, καὶ τὰ αἰχμαλωτά. Suspicari etiam

thorum arma, falsi Neronis ludibrio. Jam vero Italia novis cladibus, vel post longam sæculorum seriem repetitis, adflicta. Haustæ aut obrutæ urbes, fecundissima Campaniæ ora. Urbs incendiis vastata, consumptis antiquissimis delubris, ipso Capitolio civium manibus incenso: pollutæ cærimoniæ: magna adulteria: plenum exsiliis mare: infecti cædibus scopuli. Atrocius in urbe sævitum. Nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium. Nec minus præmia delatorum invisa, quam scelera; cum alii Sacerdotia et Consulatus, ut spolia, adepti, Procurationes alii et interiorem po-

possis, in re occultius aliquid designari; ἰνικῶς enim et unum montem dumtaxat appellitat. Aspectum igitur a poeta ad ridendam et miri stuporis superstitionem Dacorum; quibus Sacerdos in monte quopiam Deus habebatur, et mons ipse sacer. Strabo 7, p. 298. Παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὁ ἱερεὺς ὠνομάζετο Θεὸς, καὶ τὸ ὄρος ὑπελήφθη ἱερὸν, καὶ προσαγορεύουσιν οὕτως. At enim de Getis hoc Strabo ita: sed tu disce, Getarum populum Dacos esse, ex Dione 51, 22. et Strabone ipso statim. Etiam Appianus in Præf. § 4. notat, *Getas ultra Danubium a Romanis Dacos appellari.* Addo etiam Cappadocibus montem pro Deo fuisse. Tyrius Maximus Diss. 38. Ὄρος Καππαδόκαις καὶ Θεὸς καὶ ὅρκος καὶ ἄγαλμα. LIPS. Adde eundem Statium Theb. 1, 20. *et conjurato dejectos vertice Dacos. Mutuæ clades* sunt acceptæ et illatæ. Sed v. Burm. ad Virg. G. 2, 497. ERN. Getas a Dacis Strabo distinguit l. 7, p. 304. At nomine tenus diversos esse, refert Plin. 4, 12. (25.)

*Falsi Neronis ludibrio*] Dat et accipit lucem Suetonius in extremo Nerone: *Denique cum post XX annos, adolescente me, exstitisset quidam conditionis incertæ, qui se Neronem esse diceret: tam favorabile nomen ejus apud Parthos fuit, ut vehementer adjutus et vix redditus sit* Post viginti annos, inquit, a morte Neronis: ergo in XIV Consulatu Domitiani hic motus. LIPS. Vide infra 2, 8. Sed bene huc J. Gronovius advocavit Lactant. Mort. Pers. c. 2. ubi luculentissime res narratur. ERN.

*Post longam s. s. repetitis*] Jam antiquissimo ævo sæviisse Vesuvium, vel viæ Herculanei et Pompeiorum docent, pumicosis scoriis stratæ. Cf. Winckelmann in Sendschr. von den Herculan. Entdeckungen. Hamilton, account of the discoveries at Pompeii.

*Haustæ aut obrutæ urbes. Fecundissima*] Verius distinxeris, *Haustæ aut obr. urbes fecundissima Campaniæ ora: et urbs inc. vastata.* Id enim significat, in Campania haustas aut obrutas urbes prodigiosa illa ejectione Vesuvii montis, quæ sub Tito. Qua duo oppida cum pagis multis obruta, Herculaneum et Pompeii, quin ille ipse Naturæ magnus mystes Plinius, periit eodem casu. Statius de hac re eleganter Silv. 4, 4, 81. *Mira fides! credetne virum ventura propago, Cum segetes iterum, cum jam hæc deserta virebunt, Infra urbes populosque premi?* Tangit et Plutarchus de his, qui sero a Num. pun. c. 42. in iis, quæ Thespesio revelata, ubi Βίσσιον ὄρος appellat: quod male interpres *Lesbium montem* vertit. At, quod in Tacito de incendiis urbis est, intellige de capitolio exusto sub Vitellio (3, 71.) et de igne triduano, qui sub Tito. Dionem vide 65, 17. 66, 24. LIPS. *Et urbs* scr. et edd. Deleverat copulam Pichena. ERN. Recte. Sic et Bipont.

*Pollutæ cærimoniæ*] Vestalium nempe incestis, quæ protraxit Domitianus pariter et puniit. Præter historicos Papinius allusit, qui prospectantem Domitianum facit Silv. 1, 1, 35.—*an tacita vigilet face Troicus ignis, Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.* LIPS.

*Infecti cædibus scopuli*] i. e. insulæ in quibus exsules clausi, quæ erant fere desertæ et scopulosæ: ad eas missi subinde, qui exsules trucidarent, ut in Annalibus jam vidimus. Mare quoque ante de insulis, inprimis maris Ægæi, capiendum. ERN.

*Atrocius in urbe sævitum*] Recte. Imago enim sævitiæ cædiumque multa in insulis et provinciis, major in ipsa urbe. Egregius tamen et acutus quidam juvenis mavult *in urbe servitium.* LIPS.

*Et interiorem pot.*] Video interpretes recentiores in hoc hæsisse et male vertisse. *Interior potentia* est major, nec id debebat ignotum aut dubium esse. Sic Ann. 15, 2. *vires intimæ.* Adde nos in Clave Cic. in v. *intimus.* ERN. Bud. *inferiorem.*

tentiam, agerent, verterent cuncta odio et terrore. Conrupti in dominos servi, in patronos liberti; et, quibus deerat inimicus, per amicos oppressi. Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non et bona exempla prodiderit.

III. Comitatæ profugos liberos matres: secutæ maritos in exsilia conjuges: propinqui audentes: constantes generi: contumax, etiam adversus tormenta, servorum fides: supremæ clarorum virorum necessitates; ipsa necessitas fortiter tolerata; et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Præter multiplices rerum humanarum casus, cælo terraque prodigia et fulminum monitus et futurorum præsagia, læta, tristia, ambigua, manifesta. Nec enim unquam atrocioribus Populi Rom. cladibus, magisve justis indiciis adprobatum est, non esse curæ Deis securitatem nostram, esse ultionem.

IV. Ceterum, antequam destinata componam, repetendum

*Agerent, ferrent cuncta*] Lectionem Flor. cod. *Agerent, verterent cuncta odio et terrore. Corrupti* etc. secutus est Pichena. At vulgatam et lectionem et distinctionem multo meliorem esse docuimus Observ. 3, 22. GRON. Nempe ibi docet, usitatam esse (apud Livium et alios) phrasin *agere ferre*, et *odio* ac *terrore* sic explicat, ut Lipsius. At lectionem Flor. quæ est etiam in Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum omnibus, defendit et recepit rursus Ryckius, late et acerbe contra disputante J. Gronovio. Lectio, quæ est in textu, ab Rhenano inducta, utcunque explicari potest. In *agerent ferrent* facile assentior Gronovio: sed interpungi debet post *terrore*. Nam *odium* et *terror* non bene conveniunt verbo *corrupti*, quocum in tali re conjunguntur aut intelliguntur verba vim alliciendi habentia. An omnes tantum odio et terrore corrupti, nemo spe, præmiis etc. etiam liberti in patronos? ERN. Florentino consentit etiam Bud. Eam priscam lectionem cum Bern. Freinsh. Bip. reposui, interpunctione adhibita, quæ et Mureto et Acidalio placuit. Rhenanus temere ex ingenio textum mutarat. Temere quoque Ryckio succenset Gronovius.

*Odio et terrore*] Odio proprio, terrore a Domitiano. Nam ille vulgo usus delationibus et opera servorum. Plinius Paneg. hoc tangens c. 42. *Non enim jam servi Principis nostri amici, sed nos sumus; nec pater patriæ alienis se mancipiis cariorem, quam civibus suis, credit. Omnes accusatore domestico liberasti: unoque salutis publicæ signo, illud, ut sic dicam, servile bellum sustulisti.* LIPS. Sic et Gron. l. c. sed v. not. præced. ERN.

*Supremæ cl. v. necessitates*] Hic prædicatum desidero, unde virtus eluceat. Nam *necessitas suprema* nec virtus est, nec bonum exemplum. An fuit: *supremæ clar. vir. necessitates fortiter tolcratæ*. Certe non satisfacit Lipsius in Dispunct. ERN. Hiller. Rac. 15. intelligit mortem non meritam, insigni constantia exspectatam, quæ statim dicitur fortiter tolerata, quale exemplum in Seneca 15, 61.

*Justis indiciis*] Cum Ryckio et J. Gronovio dedi *indiciis*, quod ex ed. prima jam indicavit Gruterus, estque in MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. Puteol. Beroald. In ed. Rhen. irrepsit, haud dubie operarum vitio, *judiciis*, quod per negligentiam sequentium editorum ad omnes propagatum est: cum possent etiam sine libris vitium odorari. ERN. Cod. Bud. et ed. Rom. *magis vetustis indiciis*. Cf. et Arntzen. ad Plin. paneg. c. 5.

*Non esse curæ Deis*] Impium, impium, tuum dictum, Tacite: etsi non imprudens. Nam humano ingenio si rem libras: cum tot clades, tot tristia, tam rara in bonos præmia, quid nisi advigilare Deos tantum censeas in pœnas? Atqui nos scimus aliter: nec rem metimur ex iis modo quæ sunt, sed quæ futura. Qui vindicem tantum Deum statuit, tollit ex Deo quod est Dei, imo quod Deus: vim beneficam, salutarem, et adjuvantem. Itaque homo sile: et tecum alter ille tenebrio (Lucanus) qui 4, 807. clamat: *Felix Roma quidem, civesque habitura superbos (beatos); Si libertatis Superis tam cura placeret, Quam vindicta placet.* A quo, fallor, aut tu sumpsisti. LIPS. Contra impietatis criminationem tuentur Tacitum Bip. item Hiller. Rac. 13.

videtur, qualis status urbis, quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit; ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam caussæque noscantur. Finis Neronis ut lætus, primo gaudentium impetu, fuerat, ita varios motus animorum, non modo in urbe, apud Patres, aut populum, aut urbanum militem, sed omnes legiones Ducesque conciverat: evulgato Imperii arcano, posse Principem alibi, quam Romæ fieri. Sed Patres læti, usurpata statim libertate, licentius, ut erga Principem novum et absentem; primores Equitum proximi gaudio Patrum; pars populi integra, et magnis domibus an-

*Qui plerumque fortuiti sunt*] Ulcus hic, nisi fallor, etsi tectum. Si enim casus eventusque rerum fortuiti, quomodo remittis me ad caussas? aut cur ubique tam multus tu, tam serius in iis explicandis? Censeo immissa negatione scribendum, *qui plerumque haud fortuiti sunt:* ad rem et ad verum certe, si non ad Taciti mentem. LIPS. *Fortuitum* interpretatur Savilius, cujus nullæ sunt, aut ignotæ caussæ, atque inde Tacitum reprehendit, ut imprudenter locutum. Cui reprehensioni subscribit Freinshemius in Versiones 2, 31. quomodo enim, ait, fortuitorum caussæ tradi possunt? aut quomodo, quorum caussæ possunt tradi, pro fortuitis possunt haberi? Mihi vero, *qui plerumque fortuiti sunt*, est, in quibus plurimum fortuna potest, qui ex fortuna pendent, et sæpe contra exspectationem eveniunt; adeo ut ex illis solis cognitis ad consilium capiendum nihilo sis instructior; ut non sint magistri et auctores rerum gerendarum. Ex quibus nihil discas nisi fortuitum; nisi fortunæ donum, nisi quid egerit, cum de partibus deceneret transigeretque fortuna; hoc est, huic ex sententia rem, illi asperam fœdamque provenisse: sed ea fortuna comes virtutem ducem habuerit an destituerit; unde exstiterit, continuetur, mutet ac sese circumagat; secundum meliores, an deteriores, et quare, dederit; tibi quod ab alio capias exemplum, quod sequare aut fugias, nequaquam ex hoc opere, et sæpe joco ac ludibrio fortunæ, ex his postprincipiis, sed ex exordio, filoque et serie ac decursu rerum, temporum, consiliorum, quæ ad ista viam munierunt, abunde colliges. Nero apud Suet. 23. *Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu esse Fortunæ; illos, ut sapientes et doctos viros fortuita debere excludere.* Cf. et Gellius 14, 1. GRON. Nil mutandum, etiam Pichena sensit.

*Ratio etiam etc.*] Cf. Sempr. Asellio ap. Gell. 5, 18.

*Aut populum aut urbanum militem*] Sic e Flor. restituit Pichena, cum Rhenanus (e Bud.) bis fecisset *apud* ex *aut*. Consentiunt Florentino Guelf. edd. ante Rhen. Ceterum illa frequentatio τοῦ *apud* non inepta, immo elegans foret et arrideret, si modo libris firmaretur. Sic c. 10. *apud subjectos, apud proximos, apud collegas.* ERN. Firmatur, uti dictum, Budensi, sed parum interest.

*Principem alibi quam Romæ*] Olim enim ita judicabant, *rem mali exempli esse, Imperatores legi ab exercitibus, et solenne auspicatorum comitiorum in castra et provincias, procul ab legibus Magistratibusque, ad militarem temeritatem transferri*, ut præclare Livius 26, 2. Sed nunc alia tempora erant, alii mores. GRON. Ego etiam huc traxerim: Cæsares hanc opinionem fovisse et aluisse, ut Romæ tantum, sic ut sedes esset Imperii, ita caput ejus fieri posset; cum crederent, facilius posse Romæ impediri, ne quis contra se Imperator crearetur. Id igitur fuit in arcanis Imperii, h. e. in artibus ejus servandi ac tuendi, ut ad Annales explicavimus. ERN.

*Pars populi integra, et magnis*] Attende, et mecum rescribes: *pars p. integra, et magnis domibus annexi clientes libertique damnatorum.* Integram partem populi appellat, sinceram et lascivia temporum non corruptam. LIPS. Probant Pichena, qui recepit in textum, et Acidalius, sed ita, ut post *libertique* inseratur *quique* vel *quodque*. Neutro opus. Vulgatum est in omnibus scr. (Bud. quoque) et edd. vett. recteque restitutum a Freinshemio (et Ryckio). *Pars populi integra* est honestior et incorrupta: opponitur enim sordidæ plebi: ea annexa magnis domibus, vel per cognationem, et adfinitatem, vel per clientelam. Clientes et liberti damnatorum et exsulum eriguntur in spem patronorum et dominorum recipiendorum. ERN.

nexa, clientes libertique damnatorum et exsulum, in spem erecti: plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui, adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mæsti et rumorum avidi.

V. Miles urbanus, longo Cæsarum sacramento inbutus, et ad destituendum Neronem arte magis et inpulsu, quam suo ingenio, traductus, postquam neque dari donativum, sub nomine Galbæ promissum, neque magnis meritis ac præmiis eundem in pace, quem in bello, locum, præventamque gratiam intelligit apud Principem, a legionibus factum; pronus ad novas res, scelere insuper Nymphidii Sabini Præfecti, Imperium sibi molientis, agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus: sed, quamvis capite defectionis ablato, manebat plerisque militum conscientia; nec deerant sermones, "senium atque avaritiam Galbæ" increpantium. Laudata olim et militari fama celebrata severitas ejus angebat adspernantes veterem disciplinam, atque ita XIV annis a Nerone adsuefactos, ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Accessit Galbæ vox, pro Republica honesta, ipsi anceps, "legi a se militem, non emi."

VI. Nec enim ad hanc formam cetera erant. Invalidum senem T. Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemptu inertiæ destruebant. Tardum Galbæ iter et cruentum, interfectis

*Qui in bello*] Placet fere, quod in scripto filius meus Jacobus Oxonii notavit: *eundem in pace, quem in bello, locum.* GRON. Sic et Flor. Guelf. (Bud. et Reg. Lall.) ed. pr. unde restitui. Sæpe in hac constructione obliqua accusativi in nominativos mutati. ERN.

*Imperium sibi molientis agitatur*] Malim *agitatus*: non enim cum maxime fiebat illud, sed jam ante adventum Galbæ factum erat. GRON. Mox *sed* est a Rhenano bene inductum, etsi omnes scripti et ante eum editi habent *et*. ERN. Sic et Bud. Rhenanus recte vidit, ob finalem vocis præcedentis initialem sequentis excidisse.

*Manebat pl. m. conscientia*] Acidalius vult *constantia*. Speciosa, sed non necessaria conjectura. Conscientia male facti acerrimus stimulus ad odium et res novas moliendas. Eaque sententia crebra est apud omnes historicos. Sic c. 8. exercitus Germ. metu incitantur. ERN.

*Angebat aspernantes*] Miror, tamdiu toleratum esse in Tacito ineptum verbum *coaspernantes*, quod tamen et in Guelf. (et Bud.) est: cum in ed. pr. plane sit *aspernantes*, quod etiam e Flor. et Agr. codd. protulit Ryckius. (Est et in Reg. Lall.) Mox male pro *verebantur* Ryckius e suo cod. *venerabantur*: quæ est glossa illius. Male etiam alii (Pich. Acid.) tentant *reverebantur*. Nam eodem sensu *vereri* dicitur. Ed. pr. (et Bud.) mox etiam habet *militem*, non *principem*, ut alii scr. et edd. vett. idque bene restituit Rhenanus. ERN. Qui *Principem* posuit, credebat de Pisone sermonem esse. Bud. *verebantur*. Hanc vocem Petronio c. 52. hoc sensu reddere parat Heins. pro *reverebantur* scil. ut ap. Liv. 39, 37.

*Odio flagitiorum onerabant*] Sive, ut libri scripti (in his Bud.) *oneratum*. Vox quidem ea retinenda est, male a Beato expulsa. LIPS. Sic et Annal. 2, 3. GRON. *Oneratum* etiam MSS. Flor. Guelf. edd. vett. ante Rhen. restituit in textum Pichena. Sensus est: odium flagitiorum alterius in Galbam translatum, et inertiam alterius in contemtum adduxisse Galbam, atque inde perniciem ejus natam. Ceterum *ignavissimus* cape de Lacone. V. Sueton. Galb. 14. ERN. Acid. pugnat pro vulgari *onerabant*.

Cingonio Varrone, Consule designato, et Petronio Turpiliano, Consulari: ille, ut Nymphidii socius, hic, ut dux Neronis, inauditi atque indefensi, tamquam innocentes, perierant. Introitus in urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infaustus omine, atque ipsis etiam, qui occiderant, formidolosus. Inducta legione Hispana, remanente ea, quam e classe Nero conscripserat, plena urbs exercitu insolito: multi adhoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero, electos præmissosque ad claustra Caspiarum, et bellum, quod in Albanos parabat, opprimendis Vindicis cœptis revocaverat: ingens novis rebus materia, ut non in unum aliquem prono favore, ita audenti parata.

*Cingonio Varrone*] Ita scribamus jubet Vaticanus, qui non aliter nominat et Plutarchus, cui c. 14. est Κινγώνιος Βάρρων. Sed in Taciti vulgatis etiam libris ita perscriptum A. 14, 45. *Censuerat Cingonius Varro Consul designatus.* Est autem hic ipse. LIPS. Antiqua edd. lectio *Ciconio*, ut habet etiam MS. (Bud. et) Guelf. ERN. In loco cit. ex Ann. 14. dele *Consul designatus.*

*Petronio Turpiliano*] Qui Consul fuit a. u. 814. Plutarchum sperno, sive librarium, in quo c. 15. Τερτουλλιανὸς dicitur. LIPS.

*Dux Neronis*] Non potest placere illud *Dux Neronis.* Putem, *hic, ut fidus Neronis.* Neque aliter Plutarchus c. 17. habuisse videtur, quod reddidit: ὅτι μὴ προεδίδου, οὐδὲ ἐμίσει τὸν ἡγεμόνα τοιοῦτον ὄντα, μισούμενος, ἄλλο δὲ μηδὲ ἓν μέγα ἀδικήσας ἀπέθανεν. GRON. Nil mutandum. Cf. c. 71. item 2, 12, 19, 33, 36.

*Tamquam innocentes perierant*] Nihil melius vulgato: et mens ejus: haud scio, an nihil peccarint; certe, ut solent, qui nihil peccarunt, a tyrannis occidi, nempe inauditi et indefensi. GRON. Scilicet Muretus volebat *tamquam nocentes.* Acidalius *quamquam innocentes.* Ego alterutrum probem. Nam ratio Gronoviana est nimis arguta. Sed *quamquam* prætulerim. Illud *tanquam* jam est in *ut.* ERN. *Tanquam* bene se habet. Cf. Plin. ep. 4, 11. de Cornelia virgine Vestali.

*Tot millibus*] Classicos intelligit, de quibus c. 37.

*Quam e classe Nero*] Jam olim legiones *Classicæ,* si nummis fides, in quibus video: ANT. AUG. III. VIR. R. P. C. et parte altera: LEG. XVII. CLASSICÆ. LIPS. Bud. *Nero ex classe.*

*Multi ad hoc et innumeri*] Vitium quivis viderit et sermonis ineptias, imo sordes. Quid enim illud est, *multi et innumeri?* Adstricto nostro scriptori satis erat, credo, alterum. Ferrettus emendabat, *milites ad hoc innumeri.* Ego verissime ex Farnesiani vestigiis *multi ad hoc numeri. Ad hoc,* Sallustianum est: et valet, etiam, præterea. At *numeros* hic capio cohortes, manus, vexilla: Crebrum id verbi sub ævum Taciti, eo sensu. Plinius epist. 10, 38. de tironibus: *nondum distributi in numeros erant.* Ulpianus l. 1. D. de his, qui notantur infamia: *exercitum non unam cohortem neque alam dicimus, sed numeros multos militum.* Idem l. un. D. de bon. poss. ex test. mil. *siquis militum ex alio numero translatus sit in alium.* Suet. Vespas. c. 6. *et tunc quidem compressa res est, revocatis ad officium numeris, parymper.* Claudianus in Epithal. Pallad. 86. *Regnorum tractat numeros, cuneosque recenset.* Nec cohortes solum in hoc nomen, sed paullatim venere etiam ipsæ legiones. Accredo hoc Sozomeno scribenti l. 8. Τὰ Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀξιώμους καλοῦσιν. Ac Capitolinum ita accipio in Macrino c. 5. *Timuit autem et collegam, ne ipse imperare cuperet, quod si vel unius numeri consensus accederet, neque ipse recusaret, et omnes cupidissime id facerent.* Quin noster ipse Tacitus hac voce iterum usus, in Agricola 18. *Quamquam transacta æstas, sparsi per provinciam numeri.* Hæc quidem proba et certa: sed illex ista libido correctorum, ignara quiescere etiam in certis. Itaque rescribit quidam, *multi ad hoc innumeri:* id est, inquit, qui in numeros legionesque nondum relati. Acumen! quod fateor superfuisse illi juveni, magis quam judicium: nisi quod ætas tamen id correxisset et direxisset. At tantum abest, ut de tironibus aut collectitio milite hic Tacitus: ut contra

VII. Forte congruerat, ut Clodii Macri et Fonteii Capitonis cædes nuntiarentur. Macrum, in Africa haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus, Procurator, jussu Galbæ; Capitonem in Germania, cum similia cœptaret, Cornelius Aquinus et Fabius Valens, Legati legionum, interfecerant, antequam juberentur. Fuere qui crederent, Capitonem, ut avaritia et libidine fœdum ac maculosum, ita cogitatione rerum novarum abstinuisse; sed a Legatis, bellum suadentibus, postquam inpellere nequiverint, crimen ac dolum compositum ultro: et Galbam mobilitate ingenii, an, ne altius scrutaretur, quoquo modo acta, quia mutari non poterant, comprobasse. Ceterum utraque cædes sinistre accepta: et inviso semel Principe, seu bene, seu male facta premunt. Jam adferebant venalia cuncta præpotentes liberti: servorum manus subitis avidæ, et, tamquam apud senem, festinantes: eademque novæ aulæ mala, æque gravia, non æque excusata. Ipsa ætas Galbæ inrisui ac fastidio erat adsuetis juventæ Neronis, et Imperatores forma ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus.

veteranos intelligat et electos sub vexillis. Itaque magis distincte paullo post *Illyrici exercitus electos* nominat *et Germanica vexilla*. Omitto, quod notionem eam vocis nobis ingerit, sine exemplo. LIPS. Firmat correctionem Lipsii Flor. ed. pr. Ceteræ edd. ante Rhen. *ad hæc innumeri*. Inde a Rhenano (e Bud.) *ad hoc et innum.* Guelf. *adhoc innumeri*. ERN. Quod de Ferretto adfertur, non ita se habet. Is non ex ingenio, sed ex aliis variantem lectionem promit.

*Clodii Macri*] Mentio ejus in numo Galbæ ap. Patinum ad Suet. Galbam c. 11.

*Fonteius Capito*] Consul hujus anni cum C. Julio Rufo. Sic Cassiod. et Fasti Græci. Mox Bud. *nuntiaretur*. Paullo ante Acid. malebat *parato*.

*Haud dubie turbantem*] Vocem ejeci, quæ aberat recte ab optimo libro: et passim ita *turbandi* verbo usi prisci. LIPS. Nempe *res:* quæ vox in Guelf. (Bud.) edd. vett. at non in ed. pr. codd. Flor. Agr. ERN.

*Crimen ac dolum comp.*] Bud. *crimen ad dolum comp.*

*Et inviso semel Principe etc.*] Ego hic non hæsissem. At hæsit Gruterus, qui volebat *ut;* hæsere alii, qui vellent accusativos, quos etiam Scotus edidit. Verum non raro Tacito ad sententiam talem transitus fit per copulam, quo modo nos etiam in vernacula utimur. Deinde in *facta premunt* intellige modo *eum*. In Flor. (et Bud.) est *principi*, ut referatur ad *facta*. Sed ceteri libri omnes vulgatum habent. ERN. Similis ablativi constructio A. 4, 19. Male in cod. Agr. est *premuntur*, quod Ryckius præferebat.

*Jam afferebant v. c.*] Hoc quoque temere tentatur, primo a Pichena et Freinshemio, qui interpungi volunt post *cuncta:* et ita sententiam corrumpunt. De aliis, qui nocerent Galbæ, dixerat. Venit tandem ad avaritiam libertorum et servorum. Non bene etiam e suo cod. (Agr.) Ryckius dedit *offerebant*, quod cui non in mentem sponte veniat. Loquitur de iis, data opera, tamquam de mercatoribus, qui merces venales adferunt. ERN. Pichena voluerat *jam afferebantur v. c.* Freinsh. *Iram afferebant v. c.* Acidalius τὸ *afferebant* delebat. Quod Lallemand ex Pich. et Freinsh. adfert *offendebant*, apud istos non reperio.

*Servorum manus subitis avidæ*] Ad ea auferenda, quæ subito fortunæ munere obvenerant, ut recte Pichena. Venuste exprimuntur mores hominum famelicorum, quibus ex insperato magna se ingurgitandi facultas data est. ERN.

*Eademque novæ aulæ*] Sententia (nam alios involvere video) eadem mala novæ aulæ Galbianæ fuisse, quæ veteris, id est Neronianæ: sed non æque excusata. Quid ita? quia Nero ortu et natalibus Princeps, quia juvenis, quia in plebem etiam gratiosus. Itaque plusculum ei licere volebant et ignoscebant. Non sic in Galba, qui electus: qui senex, ideoque prudens esse debebat: qui denique par-

VIII. Et hic quidem Romæ, tamquam in tanta multitudine, habitus animorum fuit. E provinciis, Hispaniæ præerat Cluvius Rufus, vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus. Galliæ, super memoriam Vindicis, obligatæ recenti dono Romanæ civitatis, et in posterum tributi levamento. Proximæ tamen Germanicis exercitibus Galliarum civitates, non eodem honore habitæ, quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac suas injurias metiebantur. Germanici exercitus, quod periculosissimum in tantis viribus, solliciti et irati, superbia recentis victoriæ, et metu, tamquam alias partes fovissent. Tarde a Nerone desciverant; nec statim pro Galba Verginius: an imperare voluisset, dubium; delatum ei a milite Imperium, conveniebat. Fonteium Capitonem occisum, etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur. Dux deerat, abducto Verginio, per simulationem amicitiæ: quem non remitti, atque etiam reum esse, tamquam suum crimen accipiebant.

IX. Superior exercitus Legatum, Hordeonium Flaccum,

cus, tristis, et per omnino paucis gratus. LIPS. Mox dedi *irrisui ac fastidio* e Flor. et ed. pr. Ceteri *et ir. et fast.* Melius foret *irrisu.* ERN. Bud. *et ir. ac fast.*

*Tamquam in tanta mult.*] *Tamquam* abest a MS. Oxon. ERN.

*Hispaniæ præerat*] Nempe citeriori s. Tarraconensi. V. infra 4, 39. ERN.

*Cluvius Rufus*] De hoc v. Plin. ep. 9, 19.

*Et pacis artibus, bellis inexpertus*] *Pacis artibus* ferri potest, si cum Rhenano intelligas *expertus*, quod latet in verbo *inexpertus*: cujus generis et alia exempla in Tacito. Quamquam ne hoc quidem necessarium est, cum Tacitus sæpe tali ablativo, absolute posito, utatur, ut intelligatur, instructus, abundans. Sed Farnus (et Ursinus) addi volebant *clarus*, quod est in MS. Agr. Heinsius ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. *pacis par artibus* p. 498. quod valde probat Grævius p. 505. Mox *bellis* MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui male (e Bud.) substituit *belli* (sc. *artibus*). Vetus restituit Ryckius. *Bellis inexpertus* est, qui nullas res bello gessit, quibus scientia militaris cognosceretur. ERN. Contra *belli inexpertus*, qui bellum nunquam vidit.

*Recenti dono Romanæ civitatis*] Quomodo recenti? et nonne jampridem Galli isti comati id adepti a Claudio? clarum id e Tacito A. 11, 23. Sed expedio. Olim quidem jus civium adepti, non tamen promiscue, sed proceres tantum. Caute ibi et circumspecte Tacitus: *primores Galliæ*, inquit, *quæ Comata appellatur*: idque mihi notes. Sed nunc ecce a Galba diffusum id jus in Gallos omnes, qui pro Vindice stetissent. Plutarchus apertissime c. 18. Ἐκ δὲ τούτου καὶ τὰ μετρίως πραττόμενα διαβολὴν εἶχεν, ὡς τὰ πρὸς τοὺς Γαλατὰς οὐδίκει συνφραμένους. Ἐδόκουν γὰρ οὐ φιλανθρωπίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος, ἀλλ' ὠνούμενοι παρ' Οὐινιλίου τυγχάνειν ἀνέσεως τε δασμῶν, καὶ πολιτείας. LIPS.

*Tributi levamento*] Quarta parte tributi. c. 51.

*Germanis exerc.*] Edd. ante Rhen. omnes male *Romanis*. Mox *finibus ademtis*, int. parte agrorum. Mox rursus dedi *Germani exercitus*, quod et MSS. quidam et edd. veteres habent, pro *Germanici*, ut similitudo esset. ERN. Bud. *Germanis exercitibus.... Germanici exercitus.* Similitudo ut sit, posteriorem formam utroque loco sequor. Sic et Bip. Agr. quoque *Germanicis*.

*Finibus ademtis*] Cf. c. 53.

*Solliciti et irati*] Haud temere mutem: aptior tamen membrorum connexus et responsio, si legas, *soliciti et elati*. Metu nempe soliciti, victoria elati. LIPS. Frustra. Vid. Suet. Galb. 16. *fremebat superioris Germ. exercitus.* Mox, *in Britannico exercitu nihil irarum.* Post Muretus et Acidalius malebant, *etiamsi queri non poterant.* Non male, ut opinor. Est enim de eodem exercitu sermo. ERN.

*Verginius*] Cogn. Rufus, de quo Plin. ep. 2, 1. 6, 10.

spernebat, senecta ac debilitate pedum invalidum, sine constantia, sine auctoritate: ne quieto quidem milite, regimen; adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur. Inferioris Germaniæ legiones diutius sine Consulari fuere; donec, missu Galbæ, A. Vitellius aderat, Censoris Vitellii ac ter Consulis filius: id satis videbatur. In Britannico exercitu nihil irarum. Non sane aliæ legiones, per omnes civilium bellorum motus, innocentius egerunt: seu, quia procul et Oceano divisæ; seu crebris expeditionibus doctæ hostem potius odisse. Quies et Illyrico: quamquam excitæ a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. Sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miscebantur.

X. Oriens adhuc inmotus. Syriam et quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus. Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat: mox, adtritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia,

*Ne quieto q. m. regimen*] MS. Guelf. *regenti*, in quo an melior lectio lateat, alii videant. Vulgatam fero, in ea interpunctione, quam feci. Mox delevi *etiam*, post *ultro*: quod suspectum fuit ab initio, cum primum hunc locum legerem. Post, abesse vidi a MS. Flor. Oxon. nunc etiam Guelf. ed. pr. Puteol. (Abest et a Bud.) Primus *etiam* addidit Beroaldus, nescio unde. Item mox e Flor. cum Ryckio et J. Gron. edidi *A. Vitellius*, ut est etiam in ed. pr. Ern. Bud. *Vitellius*. Agr. *A. Vit.*

*Adeo furentes etc.*] *Adeo* h. l. insolentius dicitur pro *multo magis*, sicut alibi dixit noster pro *multo minus*, infra 3, 64. *ne prosperis quidem par: adeo ruentibus debilitatus.* Sed et pro *multo magis* est A. 3, 34. 6, 15. ubi junctum negationi est pro *nedum*: sed tamen per se est *multo magis: ne tecta quidem urbis; adeo publicum consilium nunquam adiit.* Ern..

*Missu Galbæ*] Bud. *jussu Galbæ*. Sed *missu* et alibi. Cf. Ind.

*Id satis videbatur*] Dictum videtur, quasi milites, titulos et imagines tantum Vitellii spectarint, et paternæ ei virtutes processerint pro suis. Alias non male fortasse, *fatis*: ut missionem hanc Vitellii cælesti consilio adsignet, quæ ad Imperium scilicet via. Lips. Vulgatum verissimum. Ceterum possis etiam referre ad Galbam: ei satis visum ad dignitatem hominis, quod patrem talem habuisset. Sed malo cum Lipsio ad milites referre. Ern. Grut. ad Galbam.

*Nec vitiis, nec viribus miscebantur*] h. e. nec vitia sua inter se, velut per contagionem, communicare, nec se conjungere et vires suas mutuo augere poterant. Ern.

*Mox, attritis opibus*] Etiamne monebo? Grammaticum et leve est: tamen in fido illo Vatic. scriptum, *atteritis*. Et sane crebro ita veteres: ut Tibullus in eodem hoc verbo 1, 4, 42. *Aut operi insuetas atteruisse manus.* Ut *accedisse* pro accessisse, *consistisse* pro constitisse, in Pandectis: et *hauritum* pro haustum in Apuleio (Met. 2, p. 121. Elm.). Et notavi plura talia, quæ vix promam, quin rideant, aut irrideant magistelli nostri. Quid tamen hic rideant? ecce et a Florentino jam codice scripturam hanc stabilitam. Lips. Recepit Pichena, non Lipsius, ut Ryckius videtur putasse: idque ambitiose contra Ryckium defendit Jac. Gronovius, non abstinens (tanta res agebatur!) contumelia, *serum studiorum* vocando etc. nec improbare videtur Oudend. ad Suet. Aug. 40. At MS. Guelf. (Agr. Bud.) ed. pr. et ceteræ, usque ad Pichenam, omnes *attritis*: quas secutus sum, nihil timens iras tales, sed nec istas sordes invidens cuiquam. Multa talia sunt in MSS. optimis, ab antiquariis librariis invecta: sicut in MS. Guelf. semper est *quoi*, *quoius*, et alia: quæ etiam interdum viri docti edidere. Quæ si statim in textum inferentur, quid fiet tandem? in Apuleio feram tale quid, non in Tacito. Ern. Apul. Met. 11, p. 260. in codd. *atteruerant*. Cf. et Voss. de Analog. 3, 30. In nostro ubivis scribitur *attritus*. V. A. 15, 16. H. 3, 50.

in secretum Asiæ repositus, tam prope ab exsule fuit, quam postea a Principe. Luxuria, industria, comitate, adrogantia, malis bonisque artibus mixtus: nimiæ voluptates, cum vacaret; quoties expedierat, magnæ virtutes: palam laudes; secreta male audiebant. Sed apud subjectos, apud proximos, apud conlegas, variis inlecebris potens; et cui expeditius fuerit tradere Imperium, quam obtinere. Bellum Judaicum Flavius Vespasianus, Ducem eum Nero delegerat, tribus legionibus administrabat. Nec Vespasiano adversus Galbam votum aut animus. Quippe Titum, filium, ad venerationem cultumque ejus miserat, ut suo loco memorabimus. Occulta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus Imperium, post fortunam credidimus.

XI. Ægyptum copiasque, quibus coerceretur, jam inde a D. Augusto, Equites Romani obtinent loco Regum. Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonæ fecundam, superstitione ac lascivia discordem ac mobilem, insciam legum, ignaram Magistratuum, domi retinere. Regebat tum

*In secretum Asiæ*] In Lyciam, ut opinor, specie Legationis. Colligo e Plinii 12, 1 (5). *Licinius Mucianus ter Consul, et nuper provinciæ ejus* (Lyciæ) *Legatus.* Lips. Pro *repositus*, quod est in libris omnibus, Acidalius malebat *sepositus*, quod est sane verbum ordinarium in hac re. Ern.

*Quoties expedierat*] *Expedire* hic significat in expeditionem, sive ad bellum proficisci, ut infra c. 88. (et 15, 15.) ut jam alii notarunt. Ern.

*Palam laudares, secreta male audiebant*] Cod. Bud. habebat, *palam laures secreta male audiebat.* Græcismus, *secreta male audiebat*, non displicebat nec Rhenano, nec Ryckio, qui et ipse in suo MS. habebat *audiebat.* E *laures* possis etiam colligere *palam laudes*, substantive: quod non dubitari potest, quin sit melius vulgato. Sed etiam Rhen. tentabat: *palam laudari* nostrum, ut puto melius. Sed tamen vulgatum etiam ferri potest, quod in omnibus libris reperi; et illius corruptelæ, *laures* e *laudares*, jam supra simillimum exemplum e Flor. vidimus. Mox *fuerit* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteri *fuerat* usque ad Pichenam. Ern. Rhen. conjiciebat *secreto male audiebat:* et sic cod. Agr. nec ita male. Prius *laudes* reposui cum Bip. scil. *ei tribuebantur.* Tò *fuerit* vel *fuerat* expunctum volebat Grut.

*Suo loco memorabimus*] Male antea, *memoravimus.* Nam hæc quidem narrat infra 2, 1. Lips. *Memorabimus* et MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. Puteol. Beroald. Alc. *Memoravimus* Rhenanus tacite edidit: ut nescias, an consulto. Ern. Videtur vitium esse typographi.

*Ostentis*] Cf. infra 2, 78.

*Post fort. credidimus*] i. e. postquam cognovimus fortunam Vespasiani, postquam Imperator factus est. *Credidimus* est credere cepimus. Ita perfectum dicitur; alioqui esse deberet *credimus.* Ern.

*Ægyptum, jam inde a D. Augusto*] Supra A. 2, 59. *Nam Augustus, inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus aut Equitibus illustribus Romanis, seposuit Ægyptum.* Arrianus id consilii exemplique ab Alexandro Magno esse censet, qui (ut lib. 3. notat) *in plures præfectos Ægyptum distribuit* etc. Cautio ab Alexandro esse potuit; non tamen imitatio: quia ille in plures, isti uni permiserunt; sed infirmo. Lips. MS. Guelf. *Ægyptumque copiasque.* Mox videtur esse debere *coercetur*, vel *coerceatur.* Ferri quidem potest *coerceretur* propter verba, *jam inde ab Augusto:* Sed *coercetur* melius et verius est. Sic paullo post: *Thracia, et quæ aliæ Procuratoribus cohibentur* etc. *Loco Regum* est, iique tantum dignitatis habent, ut nihil prope, nisi nomen regium, desit. Ern. Bud. *etiam inde ab Aug.*

*Ignarum Magistratuum, domi retinere*] *Domi* licet referre ad *Magistr.* Nec leges suas, nec Magistratus suos ac

Tiberius Alexander, ejusdem nationis. Africa ac legiones in ea, interfecto Clodio Macro, contentæ qualicunque Principe, post experimentum domini minoris. Duæ Mauretaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia, et quæ aliæ Procuratoribus cohibentur, ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur. Inermes provinciæ, atque ipsa in primis Italia, cuicumque servitio exposita, in pretium belli cessuræ erant. Hic fuit rerum Romanarum status, cum Ser. Galba iterum, Titus Vinius, Consules, inchoavere annum, sibi ultimum, Reip. prope supremum.

domesticos habebat. Quamquam Dio 51, 17. solis Alexandrinis Senatum ademtum dicit: quem iis restituit Severus, auctore Spartiano in Sev. 17. Sed et *domi retinere* potest accipi pro, per Procuratores administrare, per Cæsaris Magistratus. ERN.

*Tiberius Alexander*] Ego hunc illum puto, qui in castris et gratia Corbulonis 15, 28. Qui et Judææ Procurator, apud Josephum 20, 5. Pater ejus, item Tiber. Alexander, qui Alabarches Alexandriæ, et frater Philonis Judæi, cujus nunc scripta habemus. LIPS. Dicitur *ejusdem nationis*, quia in Ægypto natus erat ex familia, Judaica illa quidem, sed quæ Alexandriæ sedes fortunarum haberet, ceterum dudum civitate Romana donata, et Equestrem gradum adepta. ERN. Cf. et H. 2, 74, 79. Alciatus putat, eum esse, de quo Juven. 1, 30. sed saltem filius istius fuit.

*Africa, ac legiones in ea*] Plures igitur legiones tunc in Africa? Vix opinor. Adi, si lubet, quæ scripsi A. 4, 5. Una sane ordinaria legio in Africa, neque aliter infra numerat, aut nominat, hoc ipso anno H. 4, 48. *Legio in Africa, auxiliaque tutandis Imperii finibus.* Juvare aliquid hanc lectionem videatur locus H. 2, 97. *In Africa legio cohortesque delectæ a Clodio Macro, mox a Galba dimissæ:* quasi novam legionem illi veteri adjunxerit Macer, atque ita sub initio Galbæ fuerint duæ. Vane: quia cohortes dumtaxat delectas a Macro intelligit, non legionem ipsam. Igitur inclino, ut hic rescribam, *Africa ac legio in ea.* LIPS. Libri omnes constanter *legiones.* Ac forte legiones hic pro copiis dicuntur, unaque legione: ut *liberi* pro uno filio aut filia, *parentes* pro patre, uti supra vidimus *triumphales avos* de uno 14, 1. Libri porro plures habent *Africam*, quasi ad *regebat* referretur, ut Agr. Guelf. ed. pr. Denique libri meliores Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. *contenta*, ut ad *Africam* referatur. Quæ res suspicionem aliquam movere potest, verba *ac legiones in ea* esse insititia, nata ab eo, qui hunc locum superioribus similem reddere voluerit. ERN. *Contenta* restitui cum Bip.

*Post exper. domini minoris*] Quis est *dominus minor?* Macer? de hoc accepit Savilius. Ejus crudelitatem sane erant experti. Sed an is dominus? Solus Imperator proprie dominus. Aut non intelligo satis, aut legendum est *domini prioris* (ut in c. Agr.). Dominus prior, Nero, talis cognitus fuerat, ut facile Africa ferret qualemcunque alium. Si tamen vera est lectio *dominus minor*, erit intelligendus Præses provinciæ simpliciter, ut opponatur *domino majori*, Cæsari. ERN. De Macro capiunt etiam Brot. Lall. Bip. Ejus tyrannidem testatur Plut. cap. 6.

*Duæ Mauretaniæ*] Tingitana et Cæsareensis. Hanc divisionem Plinius acceptam fert Cæsari Caligulæ 5, 1. *Principio terrarum*, inquit, *Mauretaniæ appellantur usque ad C. Cæsarem Germanici F. regna: sævitia ejus in duas divisa provincias.* At Dio, palam adversus, Claudio attribuit 60, 9. Πραχθέντων δὲ τούτων ὁ Κλαύδιος διχῇ τοὺς Μαύρους τοὺς ὑπηκόους ἔνειμεν, ἔς τε τὰ περὶ Τίγγιν, καὶ ἐς τὰ περὶ Καισάρειαν, ἀφ' ὧνπερ καὶ ὀνομάζονται, καὶ δύο ἄρχουσιν ἱππεῦσι προσέταξε. LIPS.

*Procuratoribus*] De his Procuratoribus Cæss. v. Guther. de off. dom. Aug. 3, 34.

*Cuicumque servitio exposita*] Sic dedi e Flor. Agr. Guelf. Pertinet hoc ad solam Italiam: reliquum est commune: igitur *cessuræ* verum, ut Guelf. et edd. omnes, non *cessura*, ut Flor. (Bud.) Agr. habent. ERN. Bud. *exposita.* Vulgo male *expositæ.*

*Inchoavere annum sibi ultimum*] Eleganter dictum. Solicitant tamen; et nonne, inquiunt, idem est ultimum ac

XII. Paucis post Kal. Januarias diebus Pompeii Propinqui, Procuratoris, e Belgica litteræ adferuntur: " superioris Germaniæ legiones, rupta sacramenti reverentia, Imperatorem alium flagitare, et Senatui ac Pop. Rom. arbitrium eligendi permittere;" quo seditio mollius acciperetur. Maturavit ea res consilium Galbæ, jam pridem de adoptione secum et cum proximis agitantis. Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat: primum licentia ac libidine talia loquendi, dein fessa jam ætate Galbæ. Paucis judicium aut Reip. amor: multi occulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium, qui in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat.

supremum? Fateor: geminanda tamen vox fuit ob sententiam disparem. Non enim certe Reip. ultimus annus. Alioqui dicere percommode potuisset, *sibi et Reip. suprcmum.* Non ergo audio adolescentem eruditum, qui per litteras me monuit videri legendum, *Reip. prope primum*; qui tantum non vetus, inquit, Resp. et libertas incepere a Galba. Logi alogi. LIPS.

*Rupta sacramenti reverentia*] Ita mei libri, et sententia exigit. Rhenanus, dum Budensis codicis corruptam scripturam [*licentia*] ut τερένων ἱερὰ observat, nodum in scirpo quærit. LIPS. Ita rem cape. Bud. habet, *rupta sacramenti licentia.* Inde Rhen. conjiciebat *rupti sacr. lic.* sed in textu servat vulgatum.

*Fessa jam ætate Galbæ*] Sic libri scr. et edd. nisi quod Bud. habuit *defessa an æ. G.* unde Rhenanus conjiciebat *defessa animis ætate Galbæ.* Frustra: nec enim hic post *primum*, deesse potest *dein*, e more Taciti. Melius Marklandus ad Stat. Silv. 3, 3. *fesso jam ætate Galba*: nam *fessi annis, senectute* sæpe dicuntur, ut ibi demonstrat et Lexica docent. Virg. Æn. 2, 596. *ætate fessus.* Sed et *ætas fessa*, et quidem exquisitius dicitur sæpe a nostro, Ann. 1, 46. etc. ERN. Rhenanus lectionem Bud. interpretatur ita: *sermonem fuisse de fessa annis* (non *animis*, ut male hic legitur) *ætate Galbæ*, putabatque id *primum* non requirere sequens *dein.* Hæc sic placebant Vertranio. Interim Rhen. vulgatum expressit.

*Multi occulta spe*] Libri mei scripti, *stulta spe*, uti et in Covarruviæ. Placet tamen magis vulgata. LIPS. *Stulta* etiam ed. pr. quod non ferunt sequentia. Sed Flor. et ed. pr. *militis* unde Pichena conjiciebat *multis occulta spes*, ut est in cod. Agr. J. Gronovius *multis occulta spei.* Lector eligat. Ego vulgatam veram puto. ERN. Et hæc emendanda. Cod. Agr. habet: *multis stulta spes*; hinc Heins. quoque et Ryck. conjectabant *multis occulta spes.* Bud. *stulta spe*, nec præcedit *multis*, tolerabili sensu, sed potior vulgata lectio.

*Ambitionis rumoribus*] Verum non negaveris, *ambitiosis.* LIPS. *Ambitionis* scr. (in his et Bud.) et edd. omnes ante Lipsium, præter MS. Agr. Et tamen *ambitiosis* verum est, recteque receptum. ERN. Bip. præferunt *ambitionis* subaudito *ergo.* Mihi dura nimis videtur ellipsis. Bene habet recepta legendi forma.

*In T. Vinii odium diverterant*] Parum cohærens lectio aut sententia. A priscis libris abest vox *diverterant.* Et tollam sane ego arbiter, legamque: *hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant, etiam in T. Vinii odium, qui indies*, etc. Multi, inquit, successorem destinabant ex sua spe, quidam ex odio Vinii. Non dissimile illud Taciti de Pisone c. 34. *Juvenis recenti favore et infensus T. Vinio: seu quia erat, seu quia irati ita volebant.* Quod si retinendum tamen id verbi sit, mutem et diducam. *Etiam in T. Vinii odium diversi ierant.* LIPS. Delevit Pichena auctoritate Flor. Abest etiam a Guelf. edd. omnibus ante Rhenanum, præter pr. in qua est quoque *et jam*, quod rursus cum *diverterant* induxit Rhenanus. ERN. Bud. *et jam—deverterat.*

*Eodem actu invisior*] Quid est illud, *actu invisum esse?* Ineptiæ, et sermo parum non dicam lautus, sed Latinus. Scribebam sublata ea voce, *eadem invisior erat*: genus sermonis notum vel ex uno Plauto. Placuit Jac. Lectii eruditi viri conjectura, *eodem auctu*: nunc mea ista, *eo dein fastu invisior.* LIPS. Lectii sententiam probat Freinsh. (item Acid. Heinsius). Pichena: *eo cunctis inv.*

Quippe hiantes, in magna fortuna, amicorum cupiditates ipsa Galbæ facilitas intendebat: cum apud infirmum et credulum minore metu et majore præmio peccaretur.

A. U. 823. A. C. 70.

XIII. Potentia Principatus divisa in T. Vinium, Consulem, et Cornelium Laconem, Prætorii Præfectum. Nec minor gratia Icelo, Galbæ liberto, quem anulis donatum, Equestri nomine *Martianum* vocitabant. Hi discordes, et rebus minoribus sibi quisque tendentes, circa consilium eligendi successoris in duas factiones scindebantur. Vinius pro M. Othone: Laco atque Icelus consensu non tam unum aliquem fovebant, quam alium. Neque erat Galbæ ignota Othonis ac T. Vinii amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium, (quia Vinio vidua filia, cælebs Otho) gener ac socer destinabantur. Credo et Reip. curam subisse, frustra a Nerone translatæ, si apud Othonem relinqueretur. Namque Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat; gratus Neroni æmulatione luxus: eoque jam Poppæam Sabinam, Principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum

Possis etiam *eodem* (tempore) *factis invisior*, quod sequentibus non male convenit: item alia: sed frustra, sine libris, qui hic nihil variant. ERN.

*Icelo Galbæ liberto*] Nequissimi hujus servuli nomen varie scriptum. Alibi *Hycellus*, alibi *Icellus*. (Bud. *Ycelo*.) Vaticanus semper *Icelus*: quem sequor. Plutarchum in ea voce emaculo, in Galba c. 7. Καὶ ἦκεν ἀπὸ Ῥώμης Ἰκελὸς ἀπελεύθερος ἑβδομαῖος. Vulgo, Σικελὸς scriptum: et verterunt homines docti, *Siculus quidam*. At Icelum hunc festinatum nuntium fuisse, docent eos Suetonius Galb. 22. LIPS.

*Quem anulis donatum*] De hoc eodem Suet. 14. *Icelus paullo ante annulis aureis donatus, et Martiani cognomine ornatus, et jam summæ Equestris gradus candidatus*. Viri docti interpretantur summam Equestris gradus, Præfecturam Prætorii: haud improbe. Tamen ego magis intelligam de Procuratione: quæ propria Equestris ordinis dignitas. An libertum promotum iri censeam ad Prætorii Præfecturam, idque sub Galba? numquam. LIPS. De anulis v. Plin. 33, 2. et Paulus 1. 5. de jur. aur. anul.

*Martianum*] Recte sic, quippe derivatum a Marte. V. Cannegieter de mutata Rom. nom. sub Princ. ratione, c. 13.

*Rebus minor*] Muretus et Acid. supplent *in*. Sufficit subaudiri.

*Vinius*] Bud. ubivis *Junius*. Sic et c. 32. sq.

*Pro M. Othone*] Prænomen addunt MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. edd. vett. omnes. Casu in recentioribus post Lipsium excidit: restituit J. Gron. ERN.

*Ex rumoribus etc.*] Hunc locum aliquid vitii habere, satis convenit: medela non eadem adhibetur. Libri nil variant: nisi, quod MS. Fl. ed. prim. *et rum.* Bud. *et ex.* Jac. Gronovius hinc periodum sic concinnat: *et rumoribus—unica Vinio filia vidua* etc. Sed et *unica filia vidua* non satis placet, et tamen vel sic aliquid non satis culti superest in verbis *filia Vinio—cælebs Otho, socer ac gener dest.* Nam nominativus patris potius, quam filiæ desideratur. Itaque sic corrigam: *quibus* vel *quis Vinius, vidua filia*, (i. e. cujus filia erat vidua) *cælebs Otho, gener ac socer destinabantur*. Ceterum non repugnem, si *et* pro *etiam* vel præferatur, vel addatur. Infra c. 22. similis huic locus: *conjectura et rumore senium Galbæ et juventam Othonis computantium*. ERN. Cum Bip. præfero Flor. *et rum.* causa, quæ adfertur, uncis inclusa. Lectio Bud. *et ex.* eundem sensum præbet.

*Namque Otho*] Cf. A. 13, 45.

*Eoque jam P. S.*] Τὸ *jam* suspectum Acidalio fuit. Merito. An fuit *tum*? ERN. *Jam* Bip. reddunt *primum*. Heins. volebat *clam*. Cf. Suet. Oth. 3. Plut. Galb. 19. ubi paullo aliter.

*Octaviam uxorem amoliretur*] Iisdem in hanc rem verbis usus est A. 14, 59.

in eadem Poppæa in provinciam Lusitaniam, specie legationis, seposuit. Otho, comiter administrata provincia, primus in partes transgressus, nec segnis, et, donec bellum fuit, inter præsentes splendidissimus, spem adoptionis, statim conceptam, acrius in dies rapiebat: faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis, ut similem.

XIV. Sed Galba, post nuntios Germanicæ seditionis, quamquam nihil adhuc de Vitellio certum, anxius quonam exercituum vis erumperet, ne urbano quidem militi confisus, quod remedium unicum rebatur, comitia Imperii transigit: adhibitoque, super Vinium ac Laconem, Mario Celso, Consule designato, ac Ducennio Gemino, Præfecto urbis, pauca præfatus "de sua senectute, Pisonem Licinianum arcessi" jubet;

et sic mei libri. Covarruviæ tamen codex et Budensis, *Octavia uxor amoveretur.* Quod rectum æque. LIPS. *Amoliretur* Flor. Guelf. edd. omnes. Sed in Guelf. est et *Octavia*, ut Colerus volebat, πα-ϑητικῶς accepto *amolirctur*. Budensis MS. lectionem rec. Rhen. cum seqq. usque ad Lips. ERN.

*In Provinciam Lusitaniam*] Totidem verbis Suet. Oth. 3. *Sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam.* Sed operæ est videre divisionem Hispaniæ et Præfecturas, quoniam sæpe hic intercurrit. Divisa ea ab Augusto in duas provincias, citeriorem et ulteriorem. Citerior Tarraconensis etiam dicta: cui Galba præfuit, cui nunc Cluvius Rufus. Ulterior divisa in duas provincias, Bæticam et Lusitaniam. Bætica populi fuit, et in eam missus Proconsul. Noster 4, 13. *Vibius Serenus ulterioris Hispaniæ Proconsul:* non quia tota Hispania ulterior (caute legas) Proconsulem habuerit, sed quia ejus pars melior Bætica. Itaque confundebant scribendo sive loquendo. Plinius 3, 1. (2.) *Prima Hispania terrarum est, ulterior appellata, eadem Bætica.* Non tamen etiam regendo. Nam duæ Cæsaris fuerunt, sola Bætica populi. Strabo distincte, l. 3. p. 166. Νυνὶ δὲ τῶν ἐπαρχιῶν, τῶν μὲν ἀποδειχθεισῶν τῷ δήμῳ τε καὶ τῇ συγκλήτῳ, τῶν δὲ τῷ ἡγεμόνι τῶν Ῥωμαίων, ἡ μὲν Βαιτικὴ πρόσκειται τῷ δήμῳ, καὶ πέμπεται στρατηγὸς ἐπ' αὐτὴν, ἔχων ταμίαν τε καὶ πρεσβευτήν... Ἡ δὲ λοιπὴ, Καίσαρός ἐστι. Πέμπονται δ' ἀπ' αὐτοῦ δύο πρεσβευταὶ, στρατηγικός τε καὶ ὑπατικός. Addit deinde, Prætorium Lusitaniæ præfuisse cum unico Legato: Consularem reliquæ cum tribus Legatis tribusque legionibus. Consentit et Dio 53, 12. qui diserte, *Bæticam populo adsignat, Lusitaniam et Tarraconensem Cæsari.* Quid igitur Appiano in mentem venit scribere, de bello Hispaniensi, extremo? *Ab eo tempore* (quo Cantabri ab Augusto victi) *Romani Iberiam, quæ hodie Hispania dicitur, in tres partes dividere cœpisse mihi videntur, in quarum duas annuos magistratus Senatus mittit, in tertiam vero Præsidem Imperator.* Quæ a falso numquam excusem, nisi quid mutavit ejus ævo. Strabo etiam in fine operis duas Hispanias recensere inter eas, quæ populi sunt, videtur; sed videtur: eaque res interpretem decepit, qui etiam τὴν ἐντὸς Ἰβηρίαν, id est *ulteriorem* sive *exteriorem* Hispaniam, turpiter *interiorem* convertit. Vellem monuisse eruditissimum Casaubonum, cujus ad Strabonem probas sane notas jam nunc vidi. LIPS. De provinciis Hispan. late egit Cennius in Antiq. Eccles. Hispan. vol. 1. Disc. 1. c. 1. sqq. Mox pro vulgato *seposuit* præcedentia requirunt *seposuerat*, ut ante est *deposuerat:* quod recipere non dubitavi, propter necessariam evidentiam: post Acidalius bene copulam *et* transponit: *nec segnis, donec bellum fuit, et inter pr. spl.* ERN. In verbo *seposuit* mutando fallitur vir optimus. Distinguenda omnino sunt tempora. Nec aliter codices. Mox Bud. *in diem.*

*Ducennio Gemino*] Ille est, de quo 15, 18. legis: *Exin Nero tres Consulares, L. Pisonem, Ducennium Geminum, Pompeium Paullinum vectigalibus præposuit.* LIPS. De Mario Celso v. 15, 25.

*Accersiri jubet, seu propria dilectione, sive ut quidam tradiderunt*] Lege, *arcessi.* GRON. Recte. Sic et correxerat vir doctus in ed. Gryph. et convenit hodie satis *accersere* esse vocem nihili, debitam inscitiæ librariorum, qui eam millies

seu propria electione, sive, ut quidam crediderunt, Lacone instante, cui apud Rubellium Plautum exercita cum Pisone amicitia: sed callide, ut ignotum, fovebat: et prospera de Pisone fama consilio ejus fidem addiderat. Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur: ea pars morum ejus, quo suspectior sollicitis, adoptanti placebat.

XV. Igitur Galba, adprehensa Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur: "Si te privatus lege curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem, et mihi egregium erat Cn. Pompeii et M. Crassi subolem in Penates meos adsciscere, et tibi insigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ decora nobilitati tuæ adjecisse. Nunc me, Deorum hominumque consensu ad Imperium vocatum, præclara indoles tua et amor patriæ inpulit, ut Principatum, de quo majores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo D. Augusti, qui sororis filium, Marcellum, dein generum, Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem, privignum, in proximo sibi fastigio conlocavit. Sed Augustus in domo successorem quæsivit; ego,

verbo *arcessere* substituerunt. Itaque, ut aliis locis permultis factum est a viris doctis, movi loco vocem ineptam, etsi omnes libri et scr. et edd. in ea consentiunt. V. quos laudat Drakenb. ad Liv. 2, 19. qui et aliis locis ad Livium de eo verbo egit: et nos infra ad c. 31. *Crediderunt* e Flor. recepit Freinshemius. (Sic et Bud.) Ceteri libri *tradiderunt*. ERN. Lips. Pich. alii *dilectione*. Flor. Bud. ed. Puteol. *electione*.

*Piso M. Crasso et Scribonia genitus*] Puto illo M. Crasso Frugi, qui Consul fuit cum C. Lecanio Basso a. 816. sub Nerone; qui ipse e Calpurniis Frugi, in Liciniam gentem adoptione transiit, ut ex cognomine apparet: sicut hic noster iterum e Licinniis ad Calpurnios ivit. Quod autem de Scribonia addit: ex eo vides perperam in Plutarchi Galba c. 23. legi, Κράσσου καὶ Κριτίωνος ἔγγονος: et ex nostro corrigendum. LIPS. De correctione Plutarchi frustra obloquitur Lipsio Ryckius, quod Plutarchus utrosque a Nerone sublatos dicat, cum Seneca in Apocol. a Claudio sublatos tradat. In nomine Imperatoris dissentire scriptores non mirum, quum in majoribus dissentiant. Et Senecæ hic haud dubie major fides. Idem Ryckius mavult intelligere Crassum, qui a. 780. cum Pisone Consul fuit, fratrem autem Pisonis putat, quem Lipsius patrem credebat. Verum puto: et sic jam Rupertus ad Reines. p. 679. ERN. et p. 429.

*Et Scribonia*] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *ex*.

*Æstimatione recta*] Recte sic accepta scriptura vetus *extimatione*, quam MS. (Bud.) Guelf. ed. pr. habent; ut et c. 16. Vid. ad 13, 17. Mox pro *quo* ed. pr. *quæ*, ut eod. Agr. Recepit Ryckius. Mihi vulgatum Taciti stilo convenientius: quo magis aliis suspecta erat, hoc magis Principi placebat. ERN. Bud. *quo* recte.

*Egregium erat tunc*] Guelf. *esset*. Tὸ *tunc* vitiosum esse, nemo ambigat. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *nunc*, quod nihilo melius, etsi placet J. Gronovio. Freinsh. correxit *Cnæi Pomp.* quod mihi quoque placet. ERN. Bene Freinsh. sensit id *nunc* vel *tunc* ortum ex voce *Cnæi* vel *Cnei*: hoc prænomen vel eo est necessarium, quod et *Crasso* suum tribuitur. Secus J. Gron.

*Sulpiciæ ac Lutatiæ*] Intelligi volunt (cum Boxhornio) *nobilitatis*, e sequentibus. At in *decoribus* est nobilitas. Omnino excidit *gentis* post *insigne*: ubi facilis hic lapsus erat. ERN. Freinsh. et Heins. volebant *Sulpicia et Lutatia*.

*In domo succ.*] Mihi non dubium est, Tacitum scripsisse *in domo sua*, et *sua* absorptum esse per primam verbi sequentis syllabam. Nam ita consuetudo

in Republica: non, quia propinquos aut socios belli non habeam; sed neque ipse Imperium ambitione accepi: et judicii mei documentum sint non meæ tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed et tuæ. Est tibi frater pari nobilitate, natu major, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea ætas tua, quæ cupidita'es adolescentiæ jam effugerit; ea vita, in qua nihil præteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum adversam tulisti; secundæ res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis: sed alii per obsequium inminuent. Inrumpet adulatio, blanditiæ, pessimum veri adfectus venenum, sua cuique utilitas. Ego, ac tu, simplicissime inter nos hodie loquimur: ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere Principi, quod oporteat, multi laboris: adsentatio erga Principem quemcunque sine adfectu peragitur.

XVI. " Etiam, si inmensum Imperii corpus stare ac librari

loquendi fert, et concinnius opponuntur *domus sua* et *Respublica*. ERN.

*Socios belli*] Qui me belligerantem consilio, factis adjuverunt, ut quondam Agrippa Augustum. Deinde elegantior Latinitas postulabat *non, quin pr. a. s. belli habeam*, aut *quo — non habeam*. Ne nostrum quidem quisquam hodie audeat dicere, *non quia non habeam*: certe non ego, at iterum sic c. 29. ERN.

*Et judicii mei documentum*] Sententiam ante involutam, filo et fide Vaticani codicis apte evolvi. Hoc dicit. Neque ego ambitione aut malis artibus Imperium quæsivi: et, quod te judicio successorem eligam, signum posthabiti non solum mei amici, sed et tui. LIPS. *Et* MSS. Flor. edd. primæ. *Ut sit* Rhen. seqq. usque ad Lips. ERN. Bud. *ut sit*. Rhen. tamen malit *ut sint*. Idem e Bud. *sed tuæ*, omisso *et* male. Sic et Puteol.

*Est tibi frater*] De quo infra 4, 39. *Ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis majoribus et fraterna imagine fulgentem, ad capessendam Remp. hortatus*. LIPS. V. et mox c. 47.

*Nihil præteritum*] Heinsius ap. Ryckium malebat *præteriti*. Rectius totum verbum abesset, præsertim apud scriptorem brevitatis nomine laudatum. Cicero certe et Livius omisissent: de Tacito affirmare nihil possum, ut jam alibi dixi. Libri quidem omnes *præteritum* habent. ERN.

*Secundæ res acrioribus stimulis*] Xenophon pariter Cyrop. 8, 4. Δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι, εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά· τὰ μὲν γὰρ δῆρι τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. Et sententia similis, Diodoro Siculo expressa, 19. Διόπερ ὑιοι προσηκόντως ὑπολαμβάνουσιν, εὐχερίστερον ὑπάρχειν συμφορὰς ἐνεγκεῖν ἐπιδεξίως, ἢ τὰς εὐμεγέθεις εὐημερίας ἐμφρόνως. αἱ μὲν γὰρ διὰ τὸν περὶ τοῦ μέλλοντος φόβον ἀναγκάζουσιν ἐπιμελεῖσθαι, αἱ δὲ διὰ τὸ προγεγονὸς εὐτύχημα, προτρέπονται καταφρονεῖν πάντων. Et Catoni illi Prisco (in fragm. l. 5. Originum.) *Adversæ res se domant, et docent quid opus sit facto; secundæ res lætitia transvorsum trudere solent a recte intelligendo atque consulendo*. LIPS. *Animos* Flor. (Bud.) ed. pr. Freinsh. seqq. Ceteri scr. et edd. *animum*. ERN.

*Per obsequium imminuent*] Ita diserte Vatic. et Venetus: nec quidquam pote (non me quidem arbitro) lectione hac melius. Rhenanus tamen turbat, mutat, et exemplaria ut haberent fecit, *alii licet per obsequium annuant*. LIPS. Firmant Lipsii lectionem MSS. Flor. Guelf. ed. pr. Beroaldus. Alc. ERN. Rhen. ista non ex ingenio, sed ex Bud.

*Etiam ego*] Conjunctio ista perperam hic posita. Pichena rejicit ad præcedentia. Acidalius transponit et refert ad *si immensum*, quod probo, si virgula separetur; nec dubito ita recipere. In margine forsan olim adposita, alienum dein locum occupavit errore librarii. Bip. τὸ *etiam* in *enim* vertendum putant. Rectius Agr. *etenim ego*.

sine rectore posset, dignus eram, a quo Resp. inciperet: nunc eo necessitatis jam pridem ventum est, ut nec mea senectus conferre plus Populo Rom. possit, quam bonum successorem, nec tua plus juventa, quam bonum Principem. Sub Tiberio et Caio et Claudio unius familiæ quasi hereditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus. Et, finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque adoptio inveniet. Nam generari et nasci a Principibus, fortuitum, nec ultra æstimatur: adoptandi judicium integrum; et, si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, quem, longa Cæsarum serie tumentem, non Vindex cum inermi provincia, aut ego cum una legione, sed sua inmanitas, sua luxuria, cervicibus publicis depulere: neque erat adhuc damnati Principis exemplum. Nos bello et ab æstimantibus adsciti, cum invidia, quamvis egregii, erimus. Ne tamen territus fueris, si duæ legiones in hoc concussi orbis motu nondum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi: et, audita adoptione, desinam videri senex; quod nunc mihi unum objicitur. Nero a pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi providendum est, ne etiam a bonis desideretur. Monere diutius, neque temporis hujus; et inpletum est omne consilium, si te bene elegi. Utilissimusque idem ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus est, cogitare, quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris. Neque enim hic, ut in ceteris gentibus, quæ regnantur, certa dominorum domus, et ceteri servi: sed imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem." Et Galba quidem hæc ac talia, tamquam Principem faceret; ceteri tamquam cum facto loquebantur.

*Inmensum Imp. corpus*] Vide Heins. ad Vell. 2, 109.

*Cum una legione*] Una tantum? Atqui antea tres, in illa parte Hispaniæ, et τρία τάγματα, *tres legiones* (ita vertere interpres debuit, non *cohortes*) collocat sub Augusto Strabo l. 3. p. 156. Etiam sub Tiberio noster A. 4, 5. *Hispaniæ*, inquit, *recens perdomitæ tribus habebantur*. Sed iis ipsis verbis adsignificat, id mutatum, et imminutas legiones, animis ejus gentis tempore imminutis et fractis. Itaque in Tarraconensi, cui Galba præfuit, una tunc legio. Suetonius in Galba 10. ostendit, exercitum fuisse *legionis unius, alarum duarum, trium cohortium*. Lips. Sextam legionem fuisse docemur H. 5, 16. Mox *ne tamen* Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) at *nec tamen* Puteol. Ber. Deinde, si vellemus, ut quidque commode et eleganter abesse potest, ita tollere, *concussi* tentaremus. Sed credimus facile, esse a Tacito. Similiter mox frustra *desideretur*, eadem caussa, in suspicionem adducit Gruterus. Ern.

*Depulere*] Cod. Bud. *depulerit*. Mox Bud. *extimantibus*, sic et Puteol. Dein Bud. et Puteol. *non quiescunt*. Porro in Bud. *quod mihi unum*, omisso *nunc*; et *objicitur*, ut sæpe alias.

*Utilissimus quidem ac*] Sive, ut Rhenano et Mauro visum e Budensi, *utilissimus idem*. Lips. *Idem* etiam Flor. unde Pichena edidit *utilissimusque idem*, ed. pr. et alii MSS. ap. Broterium. Ern.

*Volueris—nolueris*] Sic Pich. e Flor. Vulgo et in Bud. inverso ordine. Mox Bud. *neque enim ut gentibus q. r.*

XVII. Pisonem, ferunt, statim intuentibus, et mox conjectis in eum omnium oculis, nullum turbati aut exsultantis animi motum prodidisse. Sermo erga patrem Imperatoremque reverens, de se moderatus; nihil in vultu habituque mutatum: quasi imperare posset magis, quam vellet. Consultatum inde, "pro rostris, an in Senatu, an in castris adoptio nuncuparetur." "Iri in castra," placuit: "honorificum id militibus fore, quorum favorem, ut largitione et ambitu male adquiri, ita per bonas artes haud spernendum." Circumsteterat interim palatium publica exspectatio, magni secreti impatiens: et male coercitam famam supprimentes augebant.

XVIII. Quartum Idus Januarias, fœdum imbribus diem, tonitrua et fulgura et cælestes minæ ultra solitum turbaverant. Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit Galbam, quo minus in castra pergeret, contemptorem talium, ut fortuitorum; seu, quæ fato manent, quamvis significata, non vitantur. Apud frequentem militum concionem, Imperatoria brevitate, adoptari a se Pisonem, more D. Augusti et exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. Ac ne dissimulata seditio in majus crederetur, ultro adseverat, "quartam et duodevicesimam legiones, paucis seditionis auctoribus, non ultra verba ac voces errasse, et brevi in officio fore." Nec ullum orationi aut lenocinium addit aut pretium. Tribuni tamen Centurionesque et proximi militum grata auditu respondent: per ceteros mæstitia ac silentium, tamquam

*In castris*] Prætorianis, ut ap. Suet. Claud. 21.

*Observatum id a. c. d.*] i. e. cum ab ultimis temporibus ea res diremerit comitia, pro re habita sit, propter quam comitia debeant dirimi. Verbi *observare* exquisitior vis, et Livio usurpata. ERN. De re vide Cic. de Divin. 2, 18.

*Non vitantur*] In editione prima dedimus e Guelf. *vitarentur*, quod optime convenire temporum rationi videbatur, et hæc non e mente Taciti, sed Galbæ dici putabam. Sed ita etiam ante deberet esse *manerent*. Igitur pristinam lectionem restitui. Ed. Spir. habet *vertantur*. Intelligenda sunt e judicio Taciti, non Galbæ. Ceteri scr. et edd. fluctuant inter *vitentur*, ut Puteol. Ber et *vitantur*. ERN. Sic Bud. et Rhen.

*More D. Augusti et exemplo militari*] Trajectio facta vocum videtur, quam odoratus Æmilius Ferrettus: legitque, *exemplo D. Augusti et more militari*: me quidem utraque manu adsentiente. LIPS. Vulgatum defendunt Voss. et Davies ad Cæsar. B. G. 1, 8. quod et *more* pro *exemplo* dicatur. Ut id concedam, tamen et *exemplo militari* durius, quam ut probem. ERN.

*Quo vir virum leg.*] Cf. Victor. V. L. 18, 19.

*Quartam et duodevicesimam legiones*] Sic omnes scr. et edd. ante Pichenam, qui recepit *duo et vicesimam*, velut historia et Flor. a pr. manu desideraret. At se correxit ipse ad c. 55. Ceterum mirum, tamen a sequentibus editoribus hic *duo et v.* servatum, cum c. 55. *duodev.* exhiberent. Vetus restituit Ryckius (ex Agr.). ERN. Bud. *duodevic.*

*Addit aut*] Bud. *addidit aut.* Agr. *additum aut.*

*Et proximi militum grata auditu respondent*] Sic edd. Puteol. Ber. Alc. Firmat Flor. (Agr.) ed. pr. ubi est *grata audito*. At Rhen. cum sequentibus usque ad Pichenam (e Bud.) dedit *gratabundi*, quod est etiam in Guelf. Sed tamen et in margine eadem manu var. lect. *grata auditu*. ERN. Bip. recepere *grata audito*.

usurpatam etiam in pace donativi necessitatem bello perdidissent. Constat, potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor et nimia severitas; cui jam pares non sumus.

XIX. Inde apud Senatum non comptior Galbæ, non longior, quam apud militem sermo: Pisonis comis oratio. Et Patrum favor aderat; multi voluntate effusius; qui noluerant, medie; ac plurimi obvio obsequio, privatas spes agitantes, sine publica cura. Nec aliud sequenti quatriduo (quod medium inter adoptionem et cædem fuit) dictum a Pisone in publico factumve. Crebrioribus in dies Germanicæ defectionis nuntiis, et facili civitate ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt, censuerant Patres, mittendos ad Germanicum exercitum legatos: agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, majore prætextu; illi auctoritatem Senatus, hic dignationem Cæsaris laturus. Placebat et Laconem, Prætorii Præfectum, simul mitti: is consilio intercessit. Legati quoque (nam Senatus electionem Galbæ permiserat) fœda inconstantia nominati, excusati, substituti, ambitu remanendi aut eundi, ut quemque metus vel spes inpulerat.

*Usurp. etiam in pace don.*] Cf. A. 12, 41.

*Parci senis*] Sic edd. omnes. MS. tamen Bud. *q. parva lib.* et in Guelf. excidit *senis*, additum a man. sec. Rhenanus conjiciebat *quantumcunque parva lib.* aut *quantacunque liberalitate*; quod melius. Sed vulgatum bene habet. Ern. In Bud. *parva* glossam sapit.

*Quam apud militem*] Sic Flor. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. Ceteræ *milites*. Vetus restituit Ryckius: bene. Ern.

*Et patrum favor aderat: multi*] Hunc locum distinctione restituit Freinsh. cum ante post *effusius*, et *medie* (majore signo) interpungeretur. Idemque pro *medie* dedit *medii*. *Medie* omnes scr. et edd. quod defendit Ryckius, cujus MS. habebat *medie, at plurimi*. Vox *medie* non est illa quidem optima, sed in Tacito tamen toleranda, ut aliæ. Ea bene respondet antecedentibus *voluntate; effusius*. Sed ita *ac*, ut opinor, delendum foret, et scribendum *medie plurimi*; aut cum Agr. *at plurimi*, idque ut in parenthesi dictum accipiendum. Certe utrumque melius, quam Freinshemianum *medii*, quod *agitabant* desiderat, non *agitantes*. Prius melius puto, et *ac* natum e mala interpunctione: sed alterum secutus sum propter libros. Ceterum in omnibus membris intelligendum *favebant*, quod latet in verbis præcedentibus, *patrum favor aderat*. Mox *in publico* Guelf. (et Bud.) ut Flor. Ceteri (in his Agr.) *in publicum*. *In publico* recepit Pichena. Ern. Priscam distinctionem cum Bip. reposui, aptiorem quippe.

*Majore prætextu*] Quid illud, *majore?* Suspectum mihi hic verbum. Lips. At est in omnibus libris. Sensus esse potest: prætextus, qui obtendebatur a suadentibus, verbo ac specie major, quam res ac vis esset. Nam dicebant: ut legati Senatus auctoritatem secum ad exercitum ferrent, sic illum Cæsaris dignationem, eaque de caussa legationem majorem vim ad coercendos milites habituram. Sed potius *prætextum* de specie rei, splendore, dignitate capiendum puto, ut et alibi dicitur apud nostrum v. c. c. 76. et alios. Vid. Gronov. ad Senec. epist. 71. Sensus igitur est: ut major legationis dignitas esset. Et fuit illa deliberatio Galbæ secreta, non Senatorum, et inter amicos. Ern.

*Ambitu remanendi aut eundi*] h. e. dum alii per gratiam consequuntur, ut liberentur a legatione, alii ire cupiunt. Nescio, cur Heinsio locus suspectus fuerit, qui *renitendi* tentabat. Ern. In cod. Agr. invenerat *retinendi*. Mox Bud. habet *ille auct.* quod probat Rhen. nullo sensu. Porro Rhen. refert in Bud. esse *ni consilio* potius ibi est *in cons.* sed aperto librarii vitio.

XX. Proxima pecuniæ cura: et cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, unde inopiæ caussa erat. Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. Adpellari singulos jussit, decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decumæ super portiones erant, iisdem erga aliena sumptibus, quibus sua prodegerant; cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri, aut fenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni XXX Equites Romani præpositi; novum officii genus, et ambitu ac numero onerosum: ubique hasta et sector; et inquieta urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent, quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Exauctorati per eos dies Tribuni, e Prætorio Antonius Taurus et Antonius Naso; ex urbanis cohortibus Æmilius Pacensis; e vigiliis Julius Fronto. Nec remedium in ceteros fuit, sed metus initium: tamquam per artem et formidinem singuli pellerentur, omnibus suspectis.

XXI. Interea Othonem, cui; compositis rebus, nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant:

*Ubi inopiæ caussa erat*] Pichena reposuit *ubi*, ex Flor. et aliis veteribus, pro *unde*. Consentiunt Guelf. (Bud.) et vett. edd. præter pr. in qua *unde*, meliori Latinitate, ut in duobus MSS. ap. Broterium, unde restitui. ERN.

*Bis et vicies mille sestertium*] Verius fortasse, *bis et vicies millies*: quæ summa sane grandiuscula, sed digna effusionibus ejus monstri. *Erunt quinquaginta quinque milliones*, ut loquamur ritu et compendio nostro. Quid nimium pro opibus Romanis? LIPS. Recepit Freinsh. Recte. ERN. Consentiunt Faernus, Ursinus, Acidalius, et recentiores.

*Super portiones erant*] Per tmesin, pro *supererant*. Bene Pichena Virgilii illud comparat Æn. 2, 567. *Jamque adeo super unus eram*. ERN. Bud. male *supra*.

*Exactioni XXX Equites præpositi*] In Suetonio c. 15. est, *quinquaginta*: nec liquet mihi de veritate. LIPS.

*Ambitu ac numero onerosum*] Sensus: difficile illud munus erat propter ambitum et numerum collegarum, quo impediebatur sæpe administratio ejus. Tam multi enim non facile consentiunt; et quo plures collegæ, hoc sæpius accidebat, ut gratia turbaret negotium. Possis tamen etiam ambitum et numerum referre ad eos, a quibus revocanda pecunia erat. Mox bene *auctionibus*, etsi contra libros, qui habent *actionibus*, quæ confusio et alibi observata. Edidit jam Lipsius. Sed J. Gronovius *actionibus* servat ac defendit, intelligens negotia ex appellandis, in jus vocandis, cogendis iis, qui accepissent. ERN. Bud. *sectores* et *actionibus*. Sed Rhen. jam posuit *auctionibus* ex ingenio. Mox Bud. *ac tamen*.

*E Prætorio*] V. Perizon. de Prætor. p. 139. ubi ex h. l. planissime docet, *Prætorium* de cohortibus Prætorianis dici, ut *vigilias* de cohortibus vigilum. ERN.

*Antonius Naso*] Farnesiano est *Aurelius*. LIPS. Probat Burmannus ad Suet. Cæs. c. 52. *Aurelius* aut *Autronius* Heinsii. Certe *Antonius* vitiosum. Dixisset enim *Antonii, Taurus et Naso*. Mox *Julius Fronto* v. ad 2, 68. ERN. Apud Suet. Cæs. 9. est *M. Actorius Naso*.

*Metus initium*] Heinsius malebat *motus*. Acid. *nec id remedium*.

*Othonem exstimulabant: luxuria*] Veræ hæ mutationum caussæ: et prudenter Aristoteles eas ingerit Polit. 5, 6. Γίγνονται δὲ μεταβολαὶ . . . . καὶ ὅταν ἀναλώσωσι τὰ ἴδια ζῶντες ἀσελγῶς. Καὶ γὰρ οἱ τοιοῦτοι καινοτομεῖν ζητοῦσι, καὶ ἡ τυραννὶδι ἐπιτίθενται αὐτοὶ, ἢ κατασκευάζουσιν ἕτερον. O veriloquium, quod utinam principes imbibant, et corruptissimis hodie moribus advertant! LIPS. Mox *iram et invidiam* Guelf. ed. pr. ut ad

luxuria etiam Principi onerosa, inopia vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. Fingebat et metum, quo magis concupisceret. "Prægravem se Neroni fuisse: nec Lusitaniam rursus, et alterius exsilii honorem exspectandum: suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Nocuisse id sibi apud senem Principem: magis nociturum apud juvenem, ingenio trucem, et longo exsilio efferatum: occidi Othonem posse. Proinde agendum audendumque, dum Galbæ auctoritas fluxa, Pisonis nondum coaluisset. Opportunos magnis conatibus transitus rerum: nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas. Mortem omnibus ex natura æqualem, oblivione apud posteros vel gloria distingui. Ac, si nocentem innocentemque idem exitus maneat, acrioris viri esse, merito perire."

XXII. Non erat Othonis mollis et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque, corruptius quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia, ceterasque regnorum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes; quiescenti, ut aliena, exprobrabant: urgentibus etiam mathematicis, dum "novos motus, et clarum Othoni annum, observatione siderum," adfirmant: genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et

*fingebat* referantur: male. ERN. Bud. *iram ... invidia.* Mox idem *se Neroni gravem.*

*Et alterius e. hon.*] Sic MSS. et edd. vett. Rhenanus dedit *aut* ex ingenio. Vetus restitui. ERN. Non ex ingenio Rhen. sed e Bud.

*Occidi Othonem posse*] Ant. Augustinus (referente Ursino) legebat: *occidi Pisonem posse.* Item Groslotius, qui nil certius putabat. Mox *proinde* Fl. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteri *proin.* ERN.

*Agendum audendumque*] Sic Liv. 22, 14. *Audendo atque agendo res Romana crevit.*

*Nondum coaluisset*] i. e. confirmata esset, convaluisset; ut supra *coalita libertas, audacia.* V. Indic. Male Ryckius: scil. *cum auctoritate Galbæ.* Male et Acidalius corrigebat *convaluisset:* nam idem est. ERN.

*Transitus rerum*] Conversiones, commutationes Imperii, cum ab uno ad alterum transit: sic c. 29. *res translatæ.* ERN.

*Acrioris viri esse*] *Acrioris* suspectum Freinshemio. Fortior sane oratio foret, si abesset. Sed non propterea Tacitus non sic dedit: estque in omnibus libris. ERN. *Acres viros* etiam Seneca habet de morte Claudii; et nostro infra 2, 5. *Vespasianus acer militiæ* dicitur.

*Adulteria, matrimonia*] Apud Suetonium lego inter illa, quæ maxime improbantur in Nerone 28. *Super ingenuorum pædagogia et nuptarum concubinatus virgini Vestali Rubriæ vim intulit.* Hinc colligo, Tacitum scripsisse: *aulam Neronis et luxus, adulteria, pædagogia, cæterasque regnorum libidines.* GRON. Nimis a scriptura recedit hæc correctio. Bene filius defendit vulgatum, et sumtum dicit e memoria Poppææ: in qua primum adulterium, deinde matrimonium. Ryckius conjicit *adulteria matronarum.* ERN.

*Ceterasque regnorum libidines*] Glossam præfert: ac fortasse germanius, *cæteraque regnorum avido talium.* Paullo ante etiam malim conjunctim legi, *adultera matrimonia.* LIPS. Et sic erat in MS. Bud. ERN. Sed vulg. rectius: nam et matrimonia pro libidine mutabat Nero, ut ante Claudius. Budensis hic varie peccat. Supra *audiendum* habet pro *audendum, munet* pro *maneat,* mox *vetabatur* pro *vetabitur, Principis* pro *principalis.*

vetabitur semper, et retinebitur. Multos secreta Poppææ mathematicos, pessimum Principalis matrimonii instrumentum, habuerant: e quibus Ptolemæus, Othoni in Hispania comes, cum " superfuturum eum Neroni" promisisset, postquam ex eventu fides, conjectura jam et rumore senium Galbæ et juventam Othonis computantium, persuaserat, " fore, ut in Imperium adsciscerétur." Sed Otho tamquam peritia et monitu fatorum prædicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credendi. Nec deerat Ptolemæus, jam et sceleris instinctor, ad quod facillime ab ejusmodi voto transitur.

XXIII. Sed sceleris cogitatio incertum an repens: studia militum jam pridem, spe successionis, aut paratu facinoris, adfectaverat; in itinere, in agmine, in stationibus, vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac, memoria Neroniani comitatus, *contubernales* adpellando; alios agnoscere, quosdam requirere et pecunia aut gratia juvare: inserendo sæpius querelas et ambiguos de Galba sermones, quæque alia turbamenta vulgi. Labores itinerum, inopia commeatuum, duritia imperii, atrocius accipiebantur, cum, Campaniæ lacus et Achaiæ urbes classibus adire soliti, Pyrenæum et Alpes et inmensa viarum spatia ægre sub armis eniterentur.

XXIV. Flagrantibus jam militum animis velut faces addiderat Mævius Pudens, e proximis Tigellini: is mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, et in novas cupiditates præcipitem adliciendo, eo paullatim progressus est, ut per speciem convivii, quotiens Galba apud Othonem epularetur,

*E quibus Ptolemæus*] Sueton. c. 4. *Seleucum* vocat: ubi v. intt. Ejusdem hominis nomina esse nuper defendit Oudend. ERN.

*Computantium*] Possis e Livio 1, 5. conjicere *comparantium*. Sed non est necesse. ERN.

*Libentius obscura credi*] Assentior Pichenæ, *credendi*. LIPS. Quidni recipiamus, quod Latinitas necessario exigit? Sæpe jam talia vitia sublata vidimus, ex omissione syllabæ mediæ orta. V. ad 2, 63. Petavius et Huetius corr. *credentis*, quod recepit Broterius. Sed non ingenium humanum credit, verum homo, cupidine credendi obscura, ingenio insita. ERN. Cf. Plin. 30, 1.

*An repens*] Acid. malit *an recens*. Sed vulg. majorem vim habet. Vide dicta ad A. 6, 7.

*In itinere, in agmine*] Sic omnes libri. Et tamen *in agmine* nihil aliud, quam, *in itinere*, cum exercitus, aut pars ejus iter faceret: nam sic *agmen* dici, vel tirones sciunt: ceterum hæc cum antecedentibus cohærent. Explicant enim verba *studia m. affectaverat*. Igitur mediam interpunctionem feci pro puncto. ERN.

*Eniterentur*] Sic Flor. PICHENA. Probum: nec improbe idem Pichena, *emetirentur*. LIPS. *Eniterentur* scr. (in his et Bud.) et edd. pr. Rhen. sqq. At Puteol. Ber. *emitterentur*, male. ERN.

*Flagrantibus i. m. animis*] Bud. non habet *animis*, vitio librarii, quod non visum Rhenano. Juretus ad Symmachum 6, 22. ideo legendum suadebat *flagratibus*. Mox Bud. *jam faces*.

*In novas cupiditates pr.*] i. e. rerum novarum. Sæpe sic hoc adjectivum ad aliud substantivum refertur, ut supra jam notavimus. Sic *spes* quoque *novæ* dicuntur. A. 14, 63. 15, 42, 51. ERN. Sed ibi *spes* ubivis simpliciter, nullibi *nova* dicitur.

*Per speciem convivii*] Sportularum titulo erogatio ea facta, nisi fallor. LIPS. Vid. Grut. Inscr. p. 330, 2.

cohorti excubias agenti viritim centenos nummos divideret: quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat; adeo animosus corruptor, ut Cocceio Proculo, speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum, sua pecunia emptum, dono dederit: per socordiam Præfecti, quem nota pariter et occulta fallebant.

XXV. Sed tum e libertis Onomastum futuro sceleri præfecit, a quo Barbium Proculum, Tesserarium speculatorum, et

*Centenos nummos*] Suetonius *aureos* habet. Nam sub Cæsaribus aureis singuli centum nummis sestertiis æstimati. V. intt. ad Sueton. Oth. 4. et Gronov. de Sestert. p. 82. Ceterum *viritim* commode abfuerit, non consentiens nec Taciti brevitati nec Latinitati severæ: nam inest in *centenos*. ERN.

*Animosus corruptor*] i. e. per magnas largitiones, sic Suet. Cæs. 47. *animosissime comparare*, insanis pretiis emere etc. ERN.

*Proculo speculatori*] Ubique hoc militiæ nomen et munus ita scribo, et *spiculatores* expello. Libri omnes scripti suadent: etiam lapides: ut ille Romæ (ap. Grut. p. 517, 7.) P. ÆL. MUCIANO. SPEC. LEG. II. ADJUT. Alius juxta Æmiliam (ib. p. 386, 4.) L. CASURIO. L. F. CLU. SPECULATORI. Item (ib. p. 169, 7.) SCHOLA. SPECULATORUM. LEGIONUM. I. ET. II. ADJUTRICUM. PIARUM. FIDELIUM. In Nummis item M. Antonii COHORTIS. SPECULATORUM. Sed et in Marci Evangelio 6, 27. Ὁ Βασιλεὺς ἀποστείλας τὸν σπεκουλάτωρα: et in Suetonii Calig. 52. *caliga speculatoria*, scriptum. Sed verine hi speculatores sive exploratores? Vix opinor, et exempla refutant. Potius censeam, fuisse inter custodes corporis Imperatorii certum genus, qui velut in specula ejus salutis. Unde nomen. Certe Suidas clare σπεκουλάτωρα τὸν δορυφόρον interpretatur: et hic in Tacito atque in Suetonio reperias inter satellites Principales. Arma iis clypeus et lancea: ex Joseph. Ἰουδαικ. ἀλώσ. 3, 6. Φέρουσι δὲ οἱ μὲν ἐπὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι πεζοὶ λόγχην καὶ ἀσπίδα. et c. 8. Μεθ' οὓς αὐτὸς Οὐεσπασιανὸς ἐξήλαυνε τούς τε ἐπιλέκτους τῶν πεζῶν καὶ ἱππέων καὶ τοὺς λογχοφόρους ἔχων. Nam capiam ibi sane λογχοφόρους sive lancearios, hos speculatores. Suet. hortatur in Claudio 35. *Neque convivia inire est ausus, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent.* Et in Galba 18. *Descendentem Galbam speculator impulsu turbæ lancea prope vulneravit.* Hi sunt, quos sequens ætas *scultatores* dixisse videtur, quasi auscultatores: quod vere notatum censeo a Cujacio Observ. 6, 33. quem de alio etiam munere speculatorum adi et audi. LIPS. *Speculatori* MSS. (Bud.) ed. pr. At Puteol. Ber. etc. *spic.* de scriptura verbi nuper et Oudendorpius ad Suet. ERN. Vide et infra 2, 11. Cf. omnino Eckhel in Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 53. ad nummum M. Antonii cit. et C. G. Schwarzii diss. de Speculatorib. Rom. 4. Alt. 1726.

*Dono dederit*] Suet. Oth. 4. *emancipavit*, de quo v. Brummer ad leg. Cinciam c. 13, p. 209.

*Per socordiam Præfecti*] Hæc durius coeunt cum antecedentibus. Itaque putavi aliquando loco mota esse et ponenda post *divideret*, ubi sane commodus locus foret. Sed, si verba hæc sunt suo loco, referenda sunt ad *intendebat*, vel *animosus corruptor*. ERN.

*Tesserarium speculatorum*] Ita scriptum meis libris. Cur spernam? Tesserarios enim suos cohortibus speculatorum fuisse, credam non vane. Si quis tamen junctim malit, *tesserarium speculatorum*, haud pugnem. In Glossario prisco: Γραμματεύς, *scriba*, *tesserarius*. In lapide, Romæ: AUR. SATURNINO. EQ. COH. VII. PR. S. VERISSIMI. QUI. MILITAVIT. IN. EQ. SECUNDA. ITALICA. TESSERARIUS. ANN. VI. Plutarchus in hac ipsa narratione c. 24. Ἐν δὲ τούτοις Οὐιτούριος καὶ Βάρβιος, ὁ μὲν ὀπτίων, ὁ δὲ τεσσεράριος· οὕτω γὰρ καλοῦνται οἱ δ' ἀγγέλων καὶ διοπτήρων ὑπηρεσίας τελοῦντες. LIPS. *Tesserarium* fuit a pr. manu in Guelf. est in ed. pr. E quo factum in ed. Puteolani *tesseranum*, vitio haud dubie operarum. Et tamen id propagatum usque ad Lipsium. ERN. Bud. idem vitium habet *tesseranum speculatorem*. Plura de *Tesserario* et *Optione* dat Marc. Donatus ad h. l. Torrent. ad Suet. Oth. 5. præfert *speculatorem* et mox *eodem*.

Veturium, Optionem eorundem, perductos, postquam vario sermone callidos audacesque cognovit, pretio et promissis onerat, data pecunia ad pertentandos plurium animos. Suscepere duo manipulares Imperium Pop. Rom. transferendum; et transtulerunt. In conscientiam facinoris pauci adsciti: suspensos ceterorum animos diversis artibus stimulant: primores militum, per beneficia Nymphidii ut suspectos: vulgus et ceteros, ira et desperatione dilati totiens donativi: erant, quos memoria Neronis ac desiderium prioris licentiæ accenderet: in commune omnes metu mutandæ militiæ terrebantur.

XXVI. Infecit ea tabes legionum quoque et auxiliorum motas jam mentes, postquam vulgatum erat, labare Germanici exercitus fidem: adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut postero Iduum die redeuntem a

*Optionem eorundem*] Constituta lectio pridem ab eximio Cujacio, loco quem jam dixi; nisi quod, *eorundem*, scripsi, non, *eodem*, fide Vaticani libri. Optiones Romana militia vetus dixit, qui a dignioribus cum gradu militibus adoptati, vicem eorum subibant. Posterior ætas, nisi fallor, diverso paullum sensu, qui velut custodes quidam, arbitri, et inspectores. Plutarchus l. c. διοπτῆρας vertit: et in legum libris Optio fabricæ, simili sensu: in Ambrosio, Optio carceris scriptum: videntur in quaque centuria hi fuisse, ex lapide qui in Piceno (ap. Grut. p. 551.) C. LUCILIUS. C. F. VEL. VINDEX. MIL. COH. VI. PRÆT. VIX. ANN. XXX. MILITAVIT. ANNIS. XII. PRINCIPALIS. BENEFICIARIUS. TRIBUNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTURIA. alibi utrumque junctum legas, et Tesserarium et Optionem: ut in illo marmore, EQUITI. COH. EJUSDEM. TESSERARIO. OPTIONI. (Cf. et Grut. p. 445, 10.) Male autem hactenus in Tacito hic, *Othonem*, lectum, contra meliores libros, itemque Cujacii monita et Turnebi Adv. 4, 7. LIPS. *Optionem* MSS. Flor. Bud. ed. pr. At Guelf. edd. Puteol. sqq. usque ad Lipsium *Othonem*. Iidem libri *eodem*. Post *perductos* int. ad se, (Othonem) estque in partem deteriorem dictum, turpi de caussa; ut feminæ a lenonibus perduci dicuntur. ERN. Bud. *Vecturium*.

*Manipulares*] Sunt hi, quos Vegetius 2, 7. *principales milites* vel *principes* adpellat, quorum frequens apud nostrum mentio. V. A. 1, 20, 21. 12, 38. 15, 12.

*Ad pertentandos*] Infra c. 29. Lipsius corrigit *prætentare*, hic intactum prætermittit. Sed ibi sane probabilior est conjectura. Hic *tentare* simpliciter desideratur, pro quo *pertentare* ap. Terentium, Ciceronem, Livium, et alios dicitur. ERN.

*Per beneficia Nymphidii*] Id est, qui promoti essent per Nymphidium, eos incitare et irritare, ut Galbæ suspectos; quia Nymphidium invisum ipse sustulerat. Commune autem, ut beneficiarii benefactori suo adhæreant: atque ita de Sejano, Præfecto item Prætorii, supra 4, 2. *Simul Centuriones ac Tribunos ipse deligere*: et, quod sequitur, beneficii sui facere. LIPS.

*In communi omnes metu*] Rhenanus (ex ingenio) correxit bene *in commune*: ut paullo post *accendendos in commune ratus*. Libri scr. et edd. *in communi*, male. *Terrebantur* omnes libri. Pichena velut e cod. Fl. dedit *exterr.* quod propagatum usque ad Ryckium. ERN. Ibi scil. recentiori manu id superscriptum.

*Postero Iduum die*] Hispanus liber, *dierum*. Ego utrumque additicium puto, et *postero Iduum*, scribo. LIPS. *Dierum* MS. Flor. (et Bud.) At Guelf. (et Agr.) edd. *die*. Pichena conjiciebat *Januar.* (quia mox occurrit XVIII Kal. Febr.) nam mensis nomen adjiciendum fuisse: quod recte negat J. Gronovius, non tamen ea caussa, quam ponit, quod statim mensis ac temporis notatio sequitur: sed quod præcessit c. 18. Sed vereor, ne alia hic corruptela restet. Ac formam quidem loquendi feram: etsi alias non reperi, diem, qui Kalend. Nonas, aut Idus sequitur, sic expressum. Dictum sit Græco more, ὑστέρα Εἰδῶν, Καλανδῶν. c. 57. quidem, memoratis paullo ante Kal. Januariis, sequitur *die postero*. Sed, si res facta statim ab Idi-

cœna Othonem rapturi fuerint, nisi incerta noctis, et tota urbe sparsa militum castra, nec facilem inter temulentos consensum, timuissent: non Reipublicæ cura, quam fœdare Principis sui sanguine sobrii parabant; sed ne per tenebras, ut quisque Pannonici vel Germanici exercitus militibus oblatus esset, ignorantibus plerisque, pro Othone destinaretur. Multa erumpentis seditionis indicia per conscios oppressa; quædam apud Galbæ aures Præfectus Laco elusit, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse adferret, inimicus, et adversus peritos pervicax.

XXVII. XVIII Kal. Febr. sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ Haruspex Umbricius "tristia exta et instantes insidias ac domesticum hostem" prædicit: audiente Othone (nam proximus adstiterat) idque, ut lætum e contrario, et suis cogitationibus prosperum, interpretante. Nec multo post libertus Onomastus nuntiat, "exspectari eum ab architecto et redemtoribus:" quæ significatio coeuntium jam militum et paratæ conjurationis convenerat. Otho, "caussam digressus" requirentibus, cum, "emi sibi prædia vetustate suspecta, eoque prius exploranda," finxisset, inmixus liberto, per Tiberianam domum, in Velabrum, inde ad Miliarium aureum, sub ædem Saturni, pergit. Ibi tres et viginti speculatores consalutatum

bus, h. e. XIX Kal. Febr. qui fuit dies ante cædem Galbæ, falsus est Suetonius, qui Oth. c. 6. tradit, conjuratos in animo habuisse, statim ab adoptione, Galba interfecto, Othonem Imperatorem facere: deinde adlata caussa mutati consilii, medium ab illo die usque ad XVIII Kal. Febr. tempus Seleucum religione exemisse. Quod si est, nullo modo tentandæ rei consilium primum esse potuit XIX Kal. Febr. Adde, quod sic non satis fit præcedentibus: *adeo parata seditio fuit*, hoc est promta, festinata. Itaque suspicor, Tacitum scripsisse, *postero statim* (sc. ab adoptione) *die*, quæ facta est, IV Idus, (s. *dierum*, ut est in Flor. nam si *statim* legimus, *dierum* locum habet) ut c. 31. *primo statim introitu*. Ita et Suetonio et sibi congruet. Initium conjurationis factum ipsa adoptionis die. Res ita accelerata fuit, ita parati conscii, ut postero statim die, h. e. III Idus, in castra rapere Othonem vellent, Galbamque interficere. In caussis deinde dilatæ rei dissentiunt Suetonius et Tacitus; sed ita, ut componi possint. Suetonius caussam dilatæ cædis, Tacitus dilatæ in castra deductionis tradit. Broterius tamen putat, correctionem nostram diriorem esse, quod remotior adoptionis tum memoria fuerit. Id ego non intelligo. Ipse scriptum putat fuisse *pr. Id.* ERN. Bip. recepere *postero Iduum dierum*. Mihi hoc plane insolitum videtur. Servo vulg. donec quid melius offeratur.

*Apud Galbæ aures*] Bud. *apud Galbam audiens*. Probat Rhen.

*Nam proxime adst.*] In Bud. *nam* deest.

*Miliarium aureum*] Columna ex eo metallo, ut Plutarchus hic in Galba describit c. 24. *ad quam viæ omnes ex Italia desinebant. Fecit Augustus, cum Curator viarum esset*, Dio 54, 8. et statuit *in capite Romani fori*. Plin. 3, 9. Victor juxta Vicum Jugarium collocat (reg. 8.) et recte. *Ædes Opis et Saturni in Vico Jugario. Miliarium aureum*. LIPS. v. Ryckius ad h. l. Collectanea de mil. aur. dedit Broterius ad h. l. ERN. Videantur de eo Revillas in Diss. Acad. Corton. t. 1. Holstenius in Grævii thes. a. R. t. 4. Arntzenius in Thes. diss. Belgic. vol. 1.

*Sub ædem Saturni*] Regius codex *in ædem Saturni*. Unde Rhenanus elicit, *inde in Saturni* sc. *ædem*. Falso uterque. Suetonius convincit Oth. 6. *ut se in foro*, inquit, *sub æde Saturni ad milliarium aureum opperirentur*. LIPS. *Sub ædem* Guelf. *æde* ed. pr. ERN.

*Imperatorem*, ac paucitate salutantium trepidum, et sellæ festinanter inpositum, strictis mucronibus rapiunt. Totidem ferme milites in itinere adgregantur: alii conscientia, plerique miraculo; pars clamore et gaudio, pars silentio, animum ex eventu sumpturi.

XXVIII. Stationem in castris agebat Julius Martialis Tribunus. Is, magnitudine subiti sceleris, an conrupta latius castra, ac, si contra tenderet, exitium metuens, præbuit plerisque suspicionem conscientiæ. Anteposuere ceteri quoque Tribuni Centurionesque præsentia dubiis et honestis. Isque habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

XXIX. Ignarus interim Galba et sacris intentus, fatigabat alieni jam Imperii Deos: cum adfertur rumor, " rapi in castra, incertum quem Senatorem: mox, Othonem esse, qui raperetur:" simul ex tota urbe, ut quisque obvius fuerat, alii formidinem augentes, quidam minora vero, ne tum quidem obliti adulationis. Igitur consultantibus placuit, " pertentari animum cohortis, quæ in palatio stationem agebat: nec per ipsum Galbam; cujus integra auctoritas majoribus remediis servabatur." Piso pro gradibus domus vocatos in hunc modum adlocutus est: " Sextus dies agitur, commilitones, ex quo, ignarus futuri, et sive optandum hoc nomen, sive timendum erat, Cæsar adscitus sum; quo domus nostræ aut Reipublicæ fatum in vestra manu positum est; non, quia meo nomine tristiorem casum paveam, (ut qui, adversas res expertus, cum maxime discam, ne secundas quidem minus

*Pars clamore et gladiis*] *Gladiis* libri omnes (in his Bud.). At Faernus, Muretus, Acidalius, et alii corrigunt *gaudiis* vel *gaudio* (sic Pich.). Verum puto. Nam milites omnes *gladios* habent: nisi velis intelligere *strictis*. Mox *animum*, quod e Flor. dedit Pichena, etiam ed. pr. ERN. Nullus dubito cum Bip. recipere *gaudio*. Plane sic et infra 2, 70.

*Julius Martialis*] Ryck. suspicatur, eum esse, ad cujus bibliothecam exstat epigramma Martialis 7, 16.

*Fatigabat Deos*] Scil. dum aliam super aliam victimam cædi jubet, si tandem litare posset. Mox *formidine* e Flor. edidit J. Gronov. Vulgatum verum puto, quod in omnibus reperi. ERN. Bud. quoque *formidinem*, recte. J.Gron. pro ratione adfert, quod nulla dum formido adfuerit, quæ augeri posset. Sed *rumor* is *adlatus* excitare metum debebat. Bip. tamen sequuntur Gron.

*Tentari animum*] Libri fere *pertentari*: ex quo ego, *prætentari*. LIPS. *Tentari* est a Rhenano (e Bud.). *Pertentari* MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. quod restituit Pichena. At ed. pr. plane, ut Lipsius voluit, *prætentari*: et confunduntur istæ syllabæ sexcenties in libris, ut et in hoc opere vidimus aliquoties. *Pertentare* supra jam c. 25. dixit noster: atque id hic quoque sufficit, nec necessario *prius pertentare*, ut apud Livium est 27, 10. requirit sensus, quod esset *prætentare*. ERN. V. et 6, 20. Bip. præferunt *prætentari*. Mox Agr. cod. *evocatos*.

*Reip. fato*] MS. Flor. Agr. (Bud.) *fatum*: etiam Guelf. sed a manu sec. ed. pr. *Fato* verum esse Latinitatis ratio indicat. ERN. Consensus codicum jubet reponi *fatum*, ut fecere Bip. bono sensu, si distinctione textus juvetur. Ryck. *fato* præfert.

*Ut qui, adversas res expertus, cum maxime discam etc.*] *Adversas res* e Flor edidit Ryckius. *Adversas* et *secundas* (est in Bud.) fuit et in Guelf. a

discriminis habere); patris, et Senatus, et ipsius Imperii vicem doleo, si nobis aut perire hodie necesse est, aut, quod æque apud bonos miserum est, occidere. Solatium proximi motus habebamus incruentam urbem, et res sine discordia translatas. Provisum adoptione videbatur, ut ne post Galbam quidem bello locus esset.

XXX. "Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiæ: neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. Vitia, quibus solis gloriatur, evertere Imperium, etiam cum amicum Imperatoris ageret. Habitune et incessu, an illo muliebri ornatu mereretur Imperium? Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste sciet, donare nesciet. Stupra nunc et comissationes et feminarum cœtus volvit animo: hæc Principatus præmia putat; quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim unquam Imperium, flagitio quæsitum, bonis artibus exercuit. Galbam consensus generis humani, me Galba, consentientibus vobis, Cæsarem dixit. Si Respublica et Senatus et Populus vana nomina sunt: vestra, commilitones, interest, ne Imperatorem pessimi faciant. Legionum seditio adversum Duces suos audita est aliquando: vestra fides fa-

man. pr. sed *res* exciderat: manus sec. correxit *adversam Remp.* et *secundam*: quod est et in ed. pr. Vulgo est *adversa* et *secunda*. Deinde *cum maxime*, quod temporis præsentis significationem habere, hodie pervulgatum est, non ad *expertus* referendum, ut in vulgatis fere, sed ad sequens *discam*, quod e correctione Freinshemii recepimus. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. pr. sqq. *dicam*, e quo male factum a Rhenano *ducam*, et quidem ex ingenio: cui cur non præferatur *discam*, quod τὸ *expertus* plane desiderat. *Dicere* sæpe in MSS. pro *discere* obtruditur. V. Burm. ad Ovidium Fast. 3, 326. *Cummaxime* autem recte ab eodem inductum. Ante erat *tummaxime*, illud in MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. ERN.

*Ipsius Imperii*] *Ipsius* non est in Bud.

*An illo muliebri orn.*] Sic omnes libri, nisi quod Puteol. *alio*. Vulgatum efficacius puto. Post *meretur* legendum credo cum Acidalio: nec ullo modo ex elegantiori Latinitate hic imperfectum ferendum (Bud. *mereretur*). Mox MSS. et edd. ante Rhen. *speciem*. Forte excidit *per*. Quamquam vel sic frigidum est, *falluntur quibus imponit* i. e. qui falluntur. J. Gronovius præfert atque edit lectionem vett. librorum (Flor. Agr. Bud.) *specieṁ*. Sed ita *fallunt* requiritur, non *falluntur*. Fallunt res eæ, i. e. vitia, quibus luxuria speciem liberalitatis tribuit. (Nam Gronovianam explicationem aut non capio, aut est contra Latinitatem.) Sed luxuria non tribuit speciem, verum accipit, deberetque esse: *quibus luxuriæ speciem liberalitatis imponit*, h. e. falluntur homines iis rebus, quibus speciem liberalitatis conciliant luxuriæ suæ. In hac difficultate undique se ingerente, vulgatum, ut lenissimum retinui. Horatius: *fallit enim vitium specie virtutis et umbra*. ERN. Cum Gron. faciunt Bip. et *inponit* explicant per *offert, objicit*, quod durum nimis. Locus quem ex Horatio citat Ern. est Juvenalis 14, 109.

*Donare nesciet*] MS. Reg. (Agr.) et ed. pr. *donare nescius*: non male. ERN.

*Comissationes*] Bud. *comessationes*: et mox *apud omnes*.

*Vana nomina sunt*] Sic Guelf. edd. Puteol. sqq. At Flor. Bud. Agr. ed. pr. *vacua nomina sunt*. Id recepit Ryckius et J. Gronovius. Sed exempla allata non sunt huic similia, nec mihi satis simile exemplum occurrit. ERN. Ast simile tamen prorsus H. 4, 14. *inania legionum nomina*. Itaque sequor codices cum Bip. Bahrdt in vers. Germ. pro *Si* legit *Ni*, non male, si codices consentirent.

maque inlæsa ad hunc diem mansit: et Nero quoque vos destituit, non vos Neronem. Minus XXX transfugæ et desertores, quos Centurionem aut Tribunum sibi eligentes nemo ferret, Imperium adsignabunt? Admittitis exemplum? et quiescendo commune crimen facitis? Transscendet hæc licentia in provincias: et ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos, pertinebunt. Nec est plus, quod pro cæde Principis, quam quod innocentibus datur: sed perinde a nobis donativum ob fidem, quam ab aliis pro facinore accipietis."

XXXI. Dilapsis speculatoribus, cetera cohors, non adspernata concionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio, parat signa, quam, quod postea creditum est, insidiis et simulatione. Missus et Celsus Marius ad electos Illyrici exercitus, Vipsania in porticu tendentes. Præceptum Amulio Sereno et Domitio Sabino, primipilaribus, "ut Germanicos milites e Libertatis atrio arcesserent." Legioni classicæ diffidebatur, infestæ ob cædem commilitonum, quos primo

*Minus XXX tr.*] Respice ad c. 27.

*Sed proinde a nobis*] *Perinde* legendum esse consentiunt multi. Sed libri omnes *proinde:* male, ut alibi. Broterius tamen in MS. Harleiano reperit *perinde* et edidit. ERN.

*Donativum*] Cod. Med. et Bud. *donativo*, ut alias dono, muneri. Quod sequebatur in edd. *plus*, non est in Bud. recteque delevit Rhen.

*Ut turbidis rebus evenit, timore*] Locus totus mihi inter infirmos. Vacillat etiam Budensis scriptio, *rebus evectior ire magis et nullo adhuc consilio.* Ex qua facias: *evenit, ira magis, et nonnulli ad hoc.* At in Flor. est, *eventior te magis:* unde Pichena, *forte magis.* LIPS. Guelf. *timore magis*, ut editi habent usque ad Pichenam: nisi quod ed. pr. *evectior re.. .et nonnullo a. c.* Deinde pro *parat signa*, quod edd. omnes et Bud. habent Flor. *par signas.* Guelf. plane ut Lipsius conjecerat, *pars ingens.* Hinc varie tentatus locus. J. Gronovius Pichenæ rationem probat: quam et nos secuti sumus. Freinshemius mavult *more*, et dein, *nullo consilio*, item, *quam ut*, pro *quod.* At *more* hic alienum est. Nec *signa parare* placet, quæ jam aderant, et tantum convellenda erant: igitur *pars ingens* et *nullo a. c.* præferam. Illud Broterius in tribus MSS. reperit, hoc propter *forte* necessarium est: *pars ingens*, int. cohortis. ERN. Triller. Obs. Crit. 3, 22. legit *erectior temere magis* etc. Ingeniose Bip. *ut t. r. evenit, in orbem agi, sed inconsulto adhuc consilio; pars agitans, quod* etc. Sequor Broterium. Acid. suo more locum transpositione sanare studebat. Sic et proxime sequentia turbat.

*Celsus Marius ad electos*] Credo ideo, quia notus iis et in Illyrico militaverat. Tacitus 15, 25. *Et legio decimaquinta, ducente Mario Celso, e Pannonia adjecta est.* Videtur igitur Legatus fuisse ejus legionis. LIPS. Cf. et c. 14.

*Vipsania in porticu*] Nam miles, extra ordinem in urbe, agere plerumque solitus in porticibus aut templis. Noster 2, 93. infra: *Sed miles in porticibus aut delubris.* Ipsi Prætoriani in Palatii porticibus excubabant. Vult Isidorus 9, 3. *Excubitores, quod excubias agunt. Sunt enim ex numero militum, et in porticibus excubant propter Regalem custodiam.* LIPS. *Vipsania* recte e MS. Flor. edidit J. Gron. Vulgo *Vipsani* aut *Vipsanii.* Ed. pr. *Vipsano.* Mox *arcesserent* legi volunt pro *accerserent.* Recte: et sic exhibet MS. Oxon. (et Bud.) nosque edidimus. Vide ad c. 14. ERN. Bud. *tendentis:* sic passim antique. Porticus ista alias Neptuni item Argonautarum dicta, in regione urbis IX, de qua Donatus et Nardinus videndi.

*Legioni classicæ diffidebatur*] Sic recte Guelf. a pr. manu. Erasum a. m. sec. *ur.* Sic volebat Acidalius. Alii omnes (et Bud.) *diffidebat:* quod vitiosum esse facile apparet. De legione classica et classicis v. ad c. 36. Mox MSS. Flor. Guelf. (et Reg. Lall.) ed. pr. *Cetrius:* item *necdum* Flor. ed. pr. Sic voluit et Rhenanus (ex ingenio) sed operæ non paruere. Recepit Jac. Gronovius. Vulgo

statim introitu trucidaverat Galba. Pergunt etiam in castra Prætorianorum Tribuni, Cerius Severus, Subrius Dexter, Pompeius Longinus; si incipiens adhuc, et necdum adulta seditio, melioribus consiliis flecteretur. Tribunorum Subrium et Cerium milites adorti minis, Longinum manibus coercent exarmantque; quia non ordine militiæ, sed e Galbæ amicis, fidus Principi suo, et desciscentibus suspectior erat. Legio classica, nihil cunctata, Prætorianis adjungitur. Illyrici exercitus electi Celsum ingestis pilis proturbant. Germanica vexilla diu nutavere; invalidis adhuc corporibus et placatis animis, quod eos, a Nerone Alexandriam præmissos, atque inde rursus longa navigatione ægros, inpensiore cura Galba refovebat.

XXXII. Universa jam plebs palatium inplebat, mixtis servitiis, et dissono clamore, "cædem Othonis et conjuratorum exitium" poscentium, ut si in circo ac theatro ludicrum aliquod postularent: neque illis judicium aut veritas; quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis: sed tradito more, quemcumque Principem adulandi, licentia adclamationum et studiis inanibus. Interim Galbam duæ sententiæ distinebant; T. Vinius, "manendum intra domum, opponenda servitia, firmandos aditus, non eundum ad iratos" censebat: "daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum consensui spatium: scelera inpetu, bona consilia mora valescere. Denique eundi ultro, si ratio sit, eandem mox facultatem: regressus, si pœniteat, in aliena potestate."

XXXIII. "Festinandum" ceteris videbatur, "antequam cresceret invalida adhuc conjuratio paucorum. Trepidaturum etiam Othonem, qui furtim digressus, ad ignaros inlatus, cunctatione nunc et segnitia terentium tempus imitari Principem discat. Non exspectandum, ut, compositis castris,

*nondum.* Ern. Bud. *Cerrius* et *nedum.* Puteol. *Cerius.* Bip. forsan *Curtius Sev.* de quo 12, 55.

*Principi suo*] Suspectum mihi est *suo*, et a librario germanizante additum. Ern.

*Celsum*] Bud. *Festum Celsum.*

*Ingestis pilis*] Sic MSS. Bud. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. Firmat Flor. *incestis.* Ceteri *infestis*, quod, ut notius, illi substitutum. Mox possis conjicere *refoverat* e Suet. Galb. 20. *quod se ægros et invalidos magnopere fovisset.* Sed vulgatum ferri potest, cum præsertim præcedat *adhuc invalidis corporibus.* Ern. Brot. et Bip. recepere *infestis.*

*Dissono clamore*] Qualis sit, disce e c. 36. med. Ern.

*Conjuratorum exitium poscentium*] Acidalius *exitium.* Recte. Mox c. 37. *supplicia* postulari Otho dicit. Et sæpe eæ voces permutatæ in libris. Plane autem confirmatur correctio c. 72. ubi impetratum *exitium.* *Exilia* plane aliena. Itaque *exitium* recipere non dubitavi. Ern. Sic et Brot. Lall. Bip.

*Neque illis judicium aut veritas*] Est hendiadys. Non de vero animi judicio, ut Cicero loqui solet, ista postulabant, sed impetu ac temere. *Pari certamine* est pari studio, clamore. Ern.

*Eundi ultro*] Ryck. explicat *sponte se offerendi.* Rectius Bip. *domo procedendi.*

*Non exspectandum*] Efficaciorem orationem fore putat Freinshem. si legatur *an* (ut A. 2, 77.). Verum est. Sed lenius fuerit *num*, ut jam monuit J. Gron. Mox *capitolium adeat:* sc. de more, ut auspicaturus Imperium sacrificet. Post Guelf. (et Bud.) *claudit*, ut edd. ante

forum invadat, et, prospectante Galba, capitolium adeat: dum egregius Imperator, cum fortibus amicis, janua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus. Et præclarum in servis auxilium, si consensus tantæ multitudinis, et, quæ plurimum valet, prima indignatio elanguescat. Proinde intuta, quæ indecora: vel, si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Id Othoni invidiosius, et ipsis honestum." Repugnantem huic sententiæ Vinium Laco minaciter invasit, stimulante Icelo, privati odii pertinacia, in publicum exitium.

XXXIV. Nec diutius Galba cunctatus, speciosiora suadentibus accessit. Præmissus tamen in castra Piso, ut juvenis magno nomine, recenti favore, et infensus T. Vinio seu quia erat, seu quia irati ita volebant; et facilius de odio creditur. Vix dum egresso Pisone, occisum in castris Othonem, vagus primum et incertus rumor: mox, ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam et vidisse, adfirmabant, credula Fama inter gaudentes et incuriosos. Multi arbitrabantur, compositum auctumque rumorem, mixtis jam Othonianis, qui ad evocandum Galbam læta falso vulgaverint.

XXXV. Tum vero non populus tantum et inperita plebs in plausus et inmodica studia, sed Equitum plerique ac Senatorum, posito metu incauti, refractis palatii foribus, ruere intus, ac se Galbæ ostentare, prærreptam sibi ultionem querentes. Ignavissimus quisque et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguæ feroces: nemo scire, et omnes adfirmare: donec inopia veri, et consensu errantium victus, sumpto thorace, Galba, inruenti turbæ, neque ætate,

Lipsium. ed. pr. *excludit:* male; sed firmat τὸ *cludit*, quod jam Lipsius dedit. ERN.

*Indign. languescat*] MS. Flor. *indignatione langu.* unde J. Gron. corrigit *indignatio elanguescat:* placet. ERN. Recepere Lall. et Dotteville. Sequor. Sic et c. 46. et 4, 42.

*Credula fama*] Passive *credula* dixit: nove; nisi si ποιητικώτερον *famam* de hominibus dissipantibus rem temere creditam capias. ERN. Notat Savilius ex Dionysio Hal. consuetam fuisse Thucydidi activorum in passiva, et contra, mutationem. Simili modo *gnarum* pro *noto* passim; *volens* pro *grato; fuga* pro *exilio; largitio vulgi* pro *in vulgus collata* etc. apud nostrum. Possis tamen cum Virg. Æn. 4, 188. *Famam* accipere pro *Dea ficti pravique tenace.*

*Vulgaverint*] Sic scripti. (in his Bud.) edd. pr. Puteol. Rhen. sqq. At Ber. Alc. *vulgaverant.* ERN.

*Ruere intus*] Nihil hic vitii, ut nimis prono in conjecturas Acidalio visum et Ryckio. *Ruere* referendum primo ad *in plausus et i. st.* quoad pertinet ad populum et plebem, deinde ad *intus* pro *intro*, quoad pertinet ad Equites et Senatores. Ceterum Heinsius *ignavissimus* etc. conjungit cum *querentes*, et sic est in Guelf. ed. pr. Interpunctio vulgata est a Puteol. Mox Guelf. *nimiis verbis.* ERN. *Eo intus; sum intro* solœcismis adnumerat Quinctil. 1, 5, 50. Habet tamen Cato de R. R. *quæ intro dolitabunt;* et Cæsar B. C. 3, 26. *Quo simul atque intus est itum.*

*Irruenti turbæ*] Rhenanus Budensem scripturam secutus, legit, *irruente turba, neque corpore sistens*, hoc sensu, ut dicat, propter irruentem turbam, et quia corpore non posset sistere sive insistere, sella levatum. Meis tamen libris (et Agr.) scriptæ eæ voces, quas tollit: legamque potius, *irruenti turbæ neque æ. n. corpore resistens;* hac mente: Galbam, et ætate et corpore invalidum, non sustinuisse effuse irruentem et gratulantem turbam. LIPS. *Resistens* etiam

neque corpore sistens, sella levaretur. Obvius in palatio Julius Atticus, speculator, cruentum gladium ostentans, "occisum a se Othonem," exclamavit: et Galba, "Commilito," inquit, "quis jussit?" insigni animo ad coercendam militarem licentiam, minantibus intrepidus, adversus blandientes inconruptus.

XXXVI. Haud dubiæ jam in castris omnium mentes: tantusque ardor, ut non contenti agmine et corporibus, in suggestu, in quo paullo ante aurea Galbæ statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. Nec Tribunis aut Centurionibus adeundi locus: gregarius miles caveri insuper præpositos jubebat. Strepere cuncta clamoribus et tumultu et exhortatione mutua, non tamquam in populo ac plebe, variis segni adulatione vocibus, sed, ut quemque adfluentium militum adspexerant, prensare manibus, complecti armis, conlocare juxta, præire sacramentum, modo Imperatorem militibus, modo Imperatori milites commendare. Nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, et omnia serviliter pro dominatione. Postquam universa classicorum legio sacramentum ejus accepit; fidens viribus,

Faerno placebat (et Heinsio): idque verum puto. Prima syllaba absorpta est a finali præcedentis verbi, ut centies alibi in MSS. *Insistens* MS. Agr. ed. pr. Mox *exclamavit*, quod e Flor. dedit Pichena, etiam Guelf. (Bud.) ed. pr. ceteræ *clamavit*: item *coercendam*, quod edidit Rhen. (e Bud.) post Put. at Ber. *coercendum*, quod ipsum quoque rectum esse, hodie satis constat. Ern. Rhenanum male cepit Lipsius. Bud. ita habet *irruenti turbæ neque corpore sistens*, omissis *neque ætate*. Inde Rhen. conjicit legendum *irruente turba*; in textu tamen vulgatum servat. Mox *se sistens* Bip. mallent.

*Aurea Galbæ statua*] Apparet ita tunc receptum in castris, A. 15, 29. *Medio tribunal sedem curulem et sedes effigiem Neronis sustinebat.* Lips.

*Prensare*] Sic dedimus pro vulg. *prehensare*: quia Tacitus sic semper, si bonis libris fides. MS. Flor. (et Agr.) ed. pr. *pressare* ut 14, 10. ubi vid. Jac. Gron. qui ad c. 66. tam acriter defendit, Tacitum ubique scripsisse *prensare*, tamen hic illam suam rationem deseruit: sed videtur esse vitium operarum, nam l. c. etiam hunc locum affert, ubi *prensare* scribendum sit. Ern. Bud. *prensare*.

*Complecti armis*] Muretus vellet, *arctius*. Non equidem: et militaris salutatio fuit, et affusi sunt cum gladiis et scutis, atque iis amplexi. Siquid mutandum, vellem, *amplecti armis*. Lips. Vulgatum est in libris scr. (Flor. Bud. Agr.) et edd. Ryckius et Schurzfleischius intelligebant *armos*, brachia: male. Schurzfl. hic etiam comparat frustra Virgil. Æn. 11, 641. Immo arma intelligenda, i. e. scutum, quo in complexu arctius admovetur pectori amicus. Et sunt tales amplexus apud Homerum. Ern.

*Jacere oscula*] Φιλήματα πίμπειν. Xiphil.

*Classicorum legio*] Hæc est lectio MS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. quam bene restituit J. Gron. Falsum tamen est, quod *classiariorum* putat esse ab ingenio Beroaldi. Nam sic MS. Guelf. ed. Puteol. ex qua accepit Beroaldus. Neque credo, non et *classiariorum legionem* dici eodem sensu posse, et non *classicos* eosdem *classiarios* vocari, ut vult Fabrettus ad Column. Traj. c. 3. p. 69. negans etiam p. 84. legiones classicas *classiarias* dici posse ex h. l. Taciti, cum Lazio, et *classiariorum legionem* vocari putans, quod ea legio fuerit, quam e classiariis Nero conscripserat. Nam etsi verum est, *classiarios* subinde intelligi *remiges*, et distingui a sociis navalibus, hoc est, militibus classem propugnantibus, et bellum mari gerentibus, tamen idem nomen etiam de militibus dici, minime ambiguis exemplis doceri potest, quæ etiam in lexicis exhibentur; unde, qui in antiquis monimentis *Centurio classi-*

et, quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus, pro vallo castrorum ita cœpit:

XXXVII. "Quis ad vos processerim, commilitones, dicere non possum: quia nec privatum me vocare sustineo, Princeps a vobis nominatus; nec Principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur, Imperatorem Populi Rom. in castris, an hostem habeatis. Auditisne, ut pœna mea et supplicium vestrum simul postulentur? adeo manifestum est, neque perire nos, neque salvos esse, nisi una, posse. Et, cujus lenitatis est Galba, jam fortasse promisit: ut qui, nullo exposcente, tot millia innocentissimorum militum trucidaverit. Horror animum subit, quotiens recordor feralem introitum, et hanc solam Galbæ victoriam, cum, in oculis urbis, decumari deditos juberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis urbem ingressus, quam gloriam ad Principatum adtulit, nisi occisi Obultronii Sabini et Cornelii Marcelli in Hispania, Betui Chilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Cingonii in via,

*cus* vocatur, ut ap. Donium Cl. 6, 15. apud nostrum *Centurio classiarius* dicitur A. 14, 8. Eademque inconstantia reperitur in verbis *nautæ*, *socii navales*. Nam, cum *nautæ* vulgo de remigibus dicantur, apud Ciceronem clare dicuntur etiam pro militibus navalibus. Verr. 5, 17. sunt *nautæ militesque*, et 20. extr. pro quo sunt c. 51. *milites remigesque*, et c. 33. *propugnatores atque remiges*: at c. 50. *remiges nautæque*: item c. 34. Porro *socii navales* de remigibus non uno loco dicuntur, apud Livium v. c. 21, 50. *ut sociis navalibus affatim instructam classem, ita inopem milite habebant*, ubi v. Sigon. item c. 61. *classici milites navalesque socii*: at apud eundem *socii navales* pro militibus classicis 26, 48. qui ante *socii navales* dicti erant, distinctique a *legionariis* militibus, clare mox *classici milites* vocantur. Ceterum *legionis classicæ* mentio supra c. 31. item *classicorum*, qui sunt ex ista legione H. 2, 11. 67. etc. Nempe, ut tradit Vegetius 5, 1. *apud Misenum et Ravennam singulæ legiones cum classibus stabant*: de quo loco vid. Fabrett. l. c. p. 83. quamquam etiam antiquioribus scriptoribus et in liberæ Reip. historia *legiones classis* memorantur, ut ap. Liv. 22, 57. 24, 2. Hinc *cohortes classicæ* in inscriptionibus antiquis. Add. A. van der Mieden in erudita disp. ad Marmor vetus de P. Sulpicii Quirini Censu. Traj. 1745. p. 15. sq. Mox *vocare* bene restituit Pichena (e Flor.) pro quo *vocari* edidit Rhenanus (e Bud.). ERN. Bud. perperam *classiorum*, unde Rhen. *classiariorum*. Mox Bud. *imperitante*. De classicis apud Misenum v. Xiphil. 73, 16.

*Cujus lenitatis est*] Sic MSS. Fl. (Bud.) Agr. Guelf. estque mordacius eo, quod omnes edd. ante Ryckium et J. Gron. habent *levitatis*: alioqui et ipsum bonum sensum habet. Mox *militum* pro *civium* habet etiam (Bud. Flor. Agr. et) ed. pr. at Guelf. edd. a Puteol. ad Pichenam alterum. Sane milites fere occiderat: et militum mentio ad exacerbandos milites efficacior, quam civium. ERN.

*Obultronii Sabini*] Conjectura ductus sic restitui, cum in libris esset, *ab ultroniis Albini*. Suspicor autem eum esse, de quo Tacitus A. 13, 28. *Helvidius Priscus adversus Obultronium Sabinum ærarii Quæstorem proprias contentiones exercuit*. LIPS. *Obultronii* plane Guelf. sed dein *Albini*. ERN.

*Et Cornelii Marcelli*] Libri scripti ita appellant, hominem alia mihi ignotum. Paullo post *Vettii Chilonis* lego, cum Rhenano. LIPS. Ejus (*Marcelli*) mentio tamen A. 16, 8. Sueton. Galb. 9, 12. ERN.

*Vettii Chilonis*] Hæc est correctio Rhenani, Lipsio probata, recepta a Freinshemio et sqq. MSS. (in his Bud.) et edd. vett. *Betuichilonis* vel *Bervich.* Flor. divisum *Betui Chilonis*, quæ est vera lectio, ut ex inscr. ap. Gruter. p. 375. plane demonstrat J. Gronovius, in qua C. BETUO TRO. CILONI. ERN.

Turpiliani in urbe, Nymphidii in castris? Quæ usquam provincia, quæ castra sunt, nisi cruenta et maculata? aut, ut ipse prædicat, emendata et correcta? Nam, quæ alii scelera, hic remedia vocat: dum falsis nominibus, severitatem pro sævitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias vestras, disciplinam adpellat. Septem a Neronis fine menses sunt, et jam plus rapuit Icelus, quam quod Polycleti et Vatinii et Elii paraverunt. Minore avaritia ac licentia grassatus esset T. Vinius, si ipse imperasset: nunc et subjectos nos habuit, tamquam suos, et viles, ut alienos. Una illa domus sufficit donativo, quod vobis nunquam datur, et cotidie exprobratur.

XXXVIII. "Ac, ne qua saltem in successore Galbæ spes esset, accersit ab exsilio, quem tristitia et avaritia sui simillimum judicabat. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam Deos infaustam adoptionem aversantes. Idem Senatus, idem Populi Rom. animus est. Vestra virtus exspectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, et sine quibus, quamvis egregia, invalida sunt. Non ad bellum vos, nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. Nec una cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Cum vos adspexerit, cum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum inputet. Nullus cunctationi

*Quæ castra*] Bud. *Quæ in castris.*

*Vatinii, et Elii, et alii*] Vulgatis libris erat, *et Egii*, qui mihi quidem inter potentiores libertos irreperti. At Elium invenio (Dion. 63, 12. 64, 3. scribitur Ἥλιος) qui magnus apud Neronem, quique, abeunte eo in Græciam cantillatum, Præfectus mansit urbi Romæ. Est is ipse, de quo Tacitus 13, 1. *P. Celer Eques Romanus et Elius libertus, rei familiari Principis in Asia impositi.* Quod sequitur, *et alii:* videndum, ne superfluat, natumque sit ex hæsitantia librarii, et adfinitate vocis prioris. LIPS. Conjiciebam: *et jam plus rapuit Icelus, quam Polycleti et Vatinii et Elii et Tigellini paraverunt.* GRON. Ryckius *et Haloti* ex 12, 66. Suet. Galb. 15. (Id recepit Brot.) Jac. Gron. ex *et ægi* quod est in Flor. Guelf. etc. *Cethegi*, qui aliunde non noti in historia Neronis. Mox *ac* bene e Flor. pro *aut* Pich. Sic et (in Bud. et) Guelf. ed. pr. Idem deinde dedi *adversantes*, pro vulg. *avers.* cum (Mur. et) Pichena; de quo supra vidimus ad c. 1. In delendo *quod* consentio (Acidalio et) Gronovio. ERN. Bud. *adversantes.*

*Nec una cohors togata*] Quare Togata? et satisne ea vox sana? sana. Appellat enim ita, velut elevans et infirmans, quia moris, ut illa cohors, quæ more militiæ excubabat, idipsum faceret sine armis, gladiis tantum lanceisque contenta. Itaque et togis induti erant, non sagis. Modestiæ caussa institutum id videtur; et ne Mars palam habitare videretur in sua urbe. Huc spectat, quod infra legis, *apertum in castris armamentarium fuisse, rapta arma:* quorum scilicet armorum non iis vulgo jus aut usus, nisi Tribunis aut Præfecto permittente. Ideo in Martiali de Fusco (6, 76.), Præfecto Prætorii: *Ille sacri lateris custos Martisque togati, Credita cui summi castra fuere Ducis.* Vocat ecce *togati Martis* custodem ab hoc habitu: atque adeo in ipsa Italia tota milites togatos esse voluit M. Antoninus, de quo Capitolinus c. 27. *Per Brundisium veniens in Italiam, togam et ipse sumpsit, et milites togatos esse jussit: nec umquam sagati fuerunt sub eo milites.* Hæc tamen de ipsis Prætoriis cohortibus tantum accipio, quæ e civibus: de Batavis Germanisque custodibus, scimus aliter fuisse. LIPS. Ceterum legendum videtur *nec illa cohors togata:* nisi vulgatum dictum putemus abrupta brevitate, pro, nec illa cohors, quæ et una et togata est; quod non præfracte negem: sed illud mollius et usitatius. ERN.

*Quis mihi plurimum imputet*] Dictum

locus est in eo consilio, quod non potest laudari, nisi peractum." Aperire deinde armamentarium jussit: rapta statim arma, sine more et ordine militiæ, ut prætorianus aut legionarius insignibus suis distingueretur: miscentur auxiliaribus galeis scutisque. Nullo Tribunorum Centurionumve adhortante, sibi quisque dux et instigator: et præcipuum pessimorum incitamentum, quod boni mœrebant.

XXXIX. Jam exterritus Piso fremitu crebrescentis seditionis, et vocibus in urbem usque resonantibus, egressum interim Galbam, et foro adpropinquantem, adsecutus erat: jam Marius Celsus haud læta retulerat: cum alii, "in palatium redire," alii, "capitolium petere," plerique, "rostra occupanda," censerent, plures tantum sententiis aliorum contradicerent, utque evenit in consiliis infelicibus, optima viderentur, quorum tempus effugerat. Agitasse Laco, ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, sive ut pœna ejus animos militum mulceret, seu conscium Othonis credebat, ad postremum, vel odio: hæsitationem adtulit tempus ac locus, quia, initio cædis orto, difficilis modus: et turbavere consilium trepidi nuntii ac proximorum diffugia, languentibus omnium studiis, qui primo alacres fidem atque animum ostentaverant.

XL. Agebatur huc illuc Galba, vario turbæ fluctuantis inpulsu: completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu: neque populi, aut plebis ulla vox; sed adtoniti vultus et conversæ ad omnia aures: non tumultus, non quies: quale magni metus et magnæ iræ silentium est. Othoni tamen, "armari plebem," nuntiabatur. "Ire præcipites et occupare pericula" jubet. Igitur milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, ac non Imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent, disjecta plebe, proculcato Senatu, truces armis, rapidis equis, forum inrumpunt: nec illos capitolii adspectus, et inminentium templorum religio, et priores

exquisitius consequens pro antecedente, hoc sensu: quis pro me acrius contendendo efficiat, ut ei plus debeam. ERN. Cf. c. 55.

*Cunctationi*] Sic Bud. ast Flor. Agr. *cunctationis.*

*Aperire deinde armamentarium jussit*] *Aperire* scr. (Bud. Agr.) et edd. omnes, ante Pichenam, qui recepit *aperiri*, quod omnes secuti sunt. Ego vetus restitui. Nam *jubere* et cum infinitivo activo dicitur, intellecto accusativo eorum, qui jubentur: v. Drakenb. ad Liv. 27, 24. et quos ibi laudat. Mox noster c. 40. *occupare pericula jubet*, sc. milites: ubi Rhenanus ex ingenio, ut opinor, (v. ibi notata) *occupari* edidit cum seqq. nonnullis. Sed id nec Lipsius nec sequentes imitati sunt. Atque etiam supra c. 36. pro *miles caveri præpositos jubebat* Muretus, qui hic corrigit *aperiri*, legi vult *cavere*: adeo inconstantes in hoc sunt viri docti. ERN.

*Ad postremum vel odio*] Sic primus Rhen. (ex ingenio) edidit: ante omnes *ad posterum*, ut et Guelf. (et Bud.) habet. ERN.

*Huc illuc*] Bud. *huc et illuc.* Mox Agr. *aspectu*, et dein *conculcato.*

*Occupare pericula jubet*] Sic scr. et edd. ante Rhen. V. ad c. 38. Mox Flor. (et Reg. Lall. et Bud.) *rapidi equis.* ERN. Bud. et ex eo Rhen. *occupari.* Sed sub activo intelligitur *suos.*

et futuri Principes terruere, quo minus facerent scelus, cujus ultor est, quisquis successit.

XLI. Viso cominus armatorum agmine, vexillarius comitatæ Galbam cohortis (" Atilium Vergilionem fuisse" tradunt) dereptam Galbæ imaginem solo adflixit. Eo signo manifesta in Othonem omnium militum studia, desertum fuga populi forum, destricta adversus dubitantes tela. Juxta Curtii lacum, trepidatione ferentium Galba projectus e sella ac provolutus est. Extremam ejus vocem, ut cuique odium aut admiratio fuit, varie prodidere. Alii, suppliciter interrogasse, " quid mali meruisset? paucos dies exsolvendo donativo" deprecatum: plures, obtulisse ultro percussoribus jugulum, " agerent ac ferirent, si ita e Republica videretur:" non interfuit occidentium, quid diceret. De percussore non satis constat: quidam " Terentium Evocatum," alii " Lecanium;" crebrior fama tradidit " Camurium XV legionis militem, inpresso gladio, jugulum ejus hausisse." Ceteri crura brachiaque, nam pectus tegebatur, fœde laniavere: pleraque vulnera feritate et sævitia trunco jam corpori adjecta.

XLII. Titum inde Vinium invasere: de quo et ipso ambigitur, consumpseritne vocem ejus instans metus, an proclamaverit, " non esse ab Othone mandatum, ut occideretur." Quod seu finxit formidine, seu conscientiam conjurationis confessus est: huc potius ejus vita famaque inclinat, ut conscius sceleris fuerit, cujus caussa erat. Ante ædem D. Julii

*Vexillarius comitantis G. cohortis*] Hæc lectio debetur Rhenano, qui an e MSS. duxerit, nescio. Nam in scriptis aliis et edd. ante Rhen. aliter est. (omnino Rhen. sic e Bud.) Flor. *comitatæ Galbæ coh.* Guelf. a man. pr. *comitatas Galbæ cohortes*, man. sec. fecit *comitatus*, quod est in MS. Agr. edd. ante Rhen. deinde *Galbæ cohortis:* in ed. pr. tantum *Galbæ*. Corrigendum potius fuisse *comitatæ Galbam cohortis*, credo cum Ryckio et J. Gronovio, quod et sensus postulat: et fecisset sic Rhenanus, si cod. Flor. habuisset. *Vergilionem* mox omnes libri. Plutarchus *Servilionem* vocat. Sed MS. Fl. habet *adilium*, ed. pr. *ad illum:* unde J. Gron. conjicit *A Dilium* pro *Dillium* vel *Dellium*. Plutarchus c. 26. Αἰτίλλιον vocat. (Bud. *Atilium.*) Post Rhenanus bene (e Bud.) *dereptam* fecit e *direptam:* sed debebat etiam mox *destrictam* e *districtam*. Ern.

*Solo adflixit*] Bud. *solo affixit.*

*Curtii lacum*] Sic e Flor. edidit J. Gron. Si habent MS. Agr. ed. pr. Sic est etiam H. 2, 55. et ap. Sueton. 20. *Martis campum* supra vidimus, ubi pariter plures *Martium* edidere. Ern. Bud. *Curtium.*

*Si ita e Rep.*] Flor. *ita rep.* unde J. Gron. corrigit *id e rep.* MS. Agr. ed. pr. *ita reip.* Sed *hoc* ab initio addi, e formula solenni *hoc age*, ut Muretus et Acidalius volunt, non necessarium puto. Ern. Bud. *Ita e Rep.*

*Quidam etc.*] V. et Plut. in Galba 27. qui non omnes hos, sed etiam alios commemorat, ut *Arcadium*, et *Fabium Fabulum*. Ern.

*Nam pectus tegebatur*] Agr. *Nam pectus thorax tegebat.*

*Corpora adjecta*] Groslotius, etsi vulgatum ferri posse fatetur, mavult tamen *adacta*, cui conjecturæ favet dativus *corpori*, quod verbum aptius huic, quam illi. Ern.

*Conscientia conjurationis confessus est*] Videtur *conscientiam* legendum Acidalio (et Heinsio). Recte, ut opinor. Non enim in illis est proprie confessio. Plutarchus ὁμολογῶν κοινωνὸς γεγονέναι τῆς συνωμοσίας: quod valde firmat hanc correctionem. Ern. *Conscientiam* probat et Lall. nec dubito recipere.

jacult, primo ictu in poplitem, mox ab Julio Caro, legionario milite, utrumque latus transverberatus.

XLIII. Insignem illa die virum Sempronium Densum ætas nostra vidit. Centurio is Prætoriæ cohortis, a Galba custodiæ Pisonis additus, stricto pugione occurrens armatis et scelus exprobrans, ac modo manu, modo voce, vertendo in se percussores, quamquam vulnerato Pisoni effugium dedit. Piso in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi et contubernio ejus abditus, non religione, nec cærimoniis, sed latebra inminens exitium differebat: cum advenere, missu Othonis, nominatim in cædem ejus ardentes, Sulpicius Florus, e Britannicis cohortibus, nuper a Galba civitate donatus, et Statius Murcus, speculator: a quibus protractus Piso, in foribus templi trucidatur.

XLIV. Nullam cædem Otho majore lætitia excepisse, nullum caput tam insatiabilibus oculis perlustrasse dicitur: seu tum primum levata omni sollicitudine mens vacare gaudio

*Julio Caro*] Sic MSS. Flor. Guelf. at edd. ante Rhen. *Cario*. Ern. Bud. *Cario*.

*In utrumque latus transverberatur*] Suspicor præpositionem non esse a Tacito. Liv. 21, 7. *adversum femur tragula graviter ictus*. Auctor Africani belli c. 78. *pilo per cassidem caput ictus*. Idem 85. *Rufus brachium gladio percussus*. Suetonius Aug. 20. *crus et utrumque brachium consauciatus*. Gron. Sic visum et Heinsio. Verum est. Ern. Recte. Sic et Bip.

*Centurio is Prætoriæ cohortis ad Galbæ custodiam a Pisone additus*] Aliter concepta lectio in Farnesii codice: *Centurio is Prætoriæ ac Galbæ custodiæ a Pisone additus*. Quæ utravis tamen parum mihi certa. Quid enim? a Pisone custos hic Galbæ appositus? Quomodo potuit aut debuit? cum Galbæ sane, ut Principi, legitimi sui custodes et stipatores fuerint. Denique, unde ea auctoritas Pisoni? Tacitum etiam ipsum lege: videbis clare Sempronium hunc non Galbæ tutorem, sed Pisonis fuisse; cui quamvis vulnerato effugium etiam præbuit. Igitur inclinabam ut legerem: *Centurio is Prætorii, a Galba custodiæ Pisonis additus:* ut in illo motu rerum Galba, de Pisone anxius, addiderit ei custodem Centurionem. Hoc probabile: sustinet me tamen a pleno adsensu Dio et Plutarchus: qui ita narrant, ut Sempronius Galbam defenderit, non Pisonem. Si eos sequimur, tum mentem verborum Taciti faciam, ut hic Sempronius venerit in cohortes Prætorias, promotusque sit beneficio Pisonis: atque ita additus insertusque custodiæ. Vix tamen est, ut Taciti narratio cum Græcis iis non pugnet. Certe nec Suetonius, opem quemquam tulisse Galbæ, refert. Lips. Recepit Pichena cum sequentibus, ob Flor. lectionem, non longe abhorrentem, *a Galba custodi et a Pisonis additus*. Ed. pr. *ac Galbæ custodiæ a Pisone*. Guelf. (Bud.) edd. vett. omnes, ut ab initio indicatum. Acidalii correctio *Pisoni* non contemnenda: sed non propterea *ad custodiam* necessarium: nam *custodiæ* idem significat. Ern. Verba, quæ hic editio Alciati intrusit, nec Puteolanus habet, nec Bud. codex; rejecit et Rhen.

*Occurrens armatis*] Sic edidit Rhenanus (e Bud.) cum ante esset *armatus*. Guelf. *armatis*. ed. pr. *armis*. Mox bene idem (e Bud.) *cum* pro *tum*. Sed sic jam ed. pr. quæ etiam *advenirent* pro *advenere*. Male contra *jussu* pro *missu*, quod recte restituit Pichena: sic MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. et sic sæpe loquitur in tali re Tacitus. Ern. Bud. *advenere jussu*. Noster *missu* passim habet. Vid. ind.

*Vagare gaudio*] Repertum in opt. Vatic. non sprevi: quoniam passim veteres ita locutos sciebam. Vox autem apta, ad habitum explicandum mentis gaudio diffusæ et velut natantis. Lips. *Vacare* recte restituit Freinsh. quod omnes ante Lipsium edd. etiam scripti alii habent. Solita autem librariis hæc confusio, (v. Drakenb. ad Liv. 5, 8. 27, 16.) forte etiam hac de caussa, quod media

cœperat: seu recordatio majestatis in Galba, amicitiæ in T. Vinio, quamvis inmitem animum imagine tristi confuderat: Pisonis, ut inimici et æmuli, cæde lætari, jus fasque credebat. Præfixa contis capita gestabantur, inter signa cohortium, juxta aquilam legionis; certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant, qui interfuerant, qui vere, qui falso, ut pulchrum et memorabile facinus, jactabant. Plures quam CXX libellos præmia exposcentium, ob aliquam notabilem illa die operam, Vitellius postea invenit: omnesque conquiri et interfici jussit: non honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem.

ætate *vagare* pro *vacare* dicebatur: unde *Clerici vagantes*, pro *vacantes*, in Concilio Vormatiensi apud Du Cangium, et alibi. in Cod. Theod. l. 49. *de Decurion.* præpositi *pacis* pro *pagis*, ut vidit Gothofr. Sic Ann. 3, 72. *arguerat* pro *arcuerat*. ERN. Bud. *vagare*. Sed Rhen. *vacare*.

*Capita gestubantur*] MS. Guelf. non habet *gestabantur*: sed in margine additum a man. sec. *gestantur*, quod est in ed. pr. Abest et a MS. Oxon. et potest commode abesse. ERN.

*Quive vere, quive falso*] Franc. Modius me monet in Rom. codice legi, *qui vere, qui falso*. Quod idem etiam scriptus Covarruviæ liber habebat. LIPS. Item ed. pr. recepit Pichena, recte: est enim elegantius, et Taciti consuetudini congruens: *quive* tamen MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Unde nata sit syllaba, me tacente, apparet. ERN. Acid. volebat *qui vere, quive falso*.

*Præmia exposc.*] Flor. Bud. et Agr. *præmium*, quod recepit Gron.

*Tradito Principibus more*] Diu in hoc loco mei atque alieni fluctus. Nunc sisto in emendatione mea ultima: vera, etsi quidam renituntur: sed neque omnium est, veram criticam approbare: quid exercere? De re: ita lego. *Tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultione.* Ita verba structa apte, quæ alioqui non redigas sub grammaticæ leges: ita sententia concinna et vera. Ultio, inquam, hæc tradita est Principibus more, ad præsens munimentum et tutelam sui, sed quæ ultio? *in posterum:* id est, post ipsos, et ut successor ulciscatur. Tacitus in hac re c. 40. *Fecere facinus, cujus ultor est quisquis successit.* Et quo fine? ut ipsi in præsenti tutiores. Ita Claudius (in Suetonio 11.) *Centuriones e conjuratis in Caium interemit, exempli caussa:* et Domitianus Epaphroditum (in eodem 14.) *ut ostenderet, ne bono quidem exemplo audendam patroni necem.* Nimirum Principes, sollenniter puniendo Principum interfectores, se muniunt et tuentur. Œdipus hoc ita pulchre apud Sophoclem, ubi ait velle se exsequi et punire Laii cædem in Œd. Tyr. v. 130.

Ὅστις γὰρ ἦν, ἐκεῖνον ὁ κτανὼν, τάχ' ἂν
Κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι
Κείνῳ προσαρκῶν οὖν, ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

LIPS. Non memini me unquam, ex quo Taciti cum fructu tractandi fiduciam habui, hic loci hæsisse. Quid enim? nonne clamat auctor se dicere, Vitellium de istis supplicium sumpsisse, non ut Galbæ manes hac vindicta coleret, sed ut solent Principes punire omnes interfectores Principum, quo et ipsi in præsens sint ab insidiis hujusmodi tutiores, et successori exemplum ulciscendi, si quid ipsis contigerit, præbeant. *Ad præsens, in posterum*, sic H. 4, 17. *Clara ea victoria in præsens, in posterum usui.* Τὰ *munimentum* et *ultionem* sunt ἐξηγήσεις totius illius *conquiri et interfici jussit:* quasi foret: interfici jussit, quo recte Principes et more veteri judicant se sibi munimentum circumdare ad præsens, in futurum parare ultorem: vel quali animadversione putant Principes se comparare sibi, dum sunt, statum securiorem; si quid durius eveniat, ne desit vindex, ab ipsorum exemplo doctus decessorem non inultum pati. Collegeram ob genus loquendi fere omnia, quæ jam alii ediderunt, neque repeti necesse est. Sic et 16, 17. *Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis.* Ad rem pertinent ista. Suetonius Claudio 11. *paucis e conjuratorum in Caium numero interemptis, exempli simul caussa, et quod suam quoque necem depoposcisse cognoverat.* Dio 47, 18. de triumviris: ἅτε γὰρ τῆς μοναρχίας ἐφιέμενοι, καὶ πρὸς αὐτὴν ἐκτεγόμενοι, τούς τε σφαγέας αὐτοῦ (τοῦ Καίσαρος) τοὺς λοιποὺς

XLV. Alium crederes Senatum, alium populum: ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum: quantoque magis falsa erant, quæ fiebant, tanto plura facere. Non adspernabatur singulos Otho, avidum et minacem militum animum voce vultuque temperans. Marium Celsum, Consulem designatum, et Galbæ usque in extremas res amicum fidumque, ad supplicium expostulabant, industriæ ejus innocentiæque, quasi malis artibus, infensi. Cædis et prædarum initium et optimo cuique perniciem quæri adparebat: sed Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum scelus: jubere jam poterat. Ita, simulatione iræ, "vinciri" jussum, et "majores pœnas daturum" adfirmans, præsenti exitio subtraxit.

XLVI. Omnia deinde arbitrio militum acta. Prætorii Præfectos sibi ipsi legere: Plotium Firmum, e manipularibus quondam, tum vigilibus præpositum, et, incolumi adhuc Galba, partes Othonis secutum: adjungitur Licinius Proculus, intima familiaritate Othonis, suspectus, consilia ejus fovisse. Urbi Flavium Sabinum præfecere, judicium Neronis secuti, sub quo eamdem curam obtinuerat: plerisque Vespasianum fratrem in eo respicientibus. Flagitatum, "ut vacationes,

ἀργῇ μιτήσαν (quare? non profecto honore Cæsaris, ut Vitellius *non honore Galbæ, sed*) ὡς καὶ ἐκ τούτου τὴν τε ἄδειαν σφίσιν, ὃν ἐπολουν, καὶ τὴν ἀσφάλειαν πόρρωθεν προπαρασκευάσοντες, (hoc utique *munimentum ad præsens*) καὶ πάνθ' ὅσα (hoc pro illo, *in posterum ultionem*, etsi melioris ominis et latius pateat) ἐς τιμὴν αὐτῷ ἔφερε, προθύμως ἔπραττον, ἐς ὑποδοχὴν τοῦ καὶ αὐτοὶ ποτὲ ὁμοίων ἀξιωθῆναι. Notabile quoque in hanc rem, quod Zonaras narrat in imperio Theophili 15, 25. Pater hujus Michael Balbus Leonem Armenium conspiratione sustulerat regnumque invaserat. Filius αὐταρχήσας πρῶτον ἐποιήσατο ἔργον, τὴν κόλασιν τῶν τῷ πατρὶ αὐτοῦ συναραμένων εἰς τὸ τῆς βασιλείας τυχεῖν, καὶ ἀνελόντων τὸν Λέοντα. etc. GRON. Recte Gronovius, quem et vide Obs. 4. p. 272: idemque judicavere Bernecc. ad Sueton. Titum c. 6. Freinsh. et alii. Ultima intelligenda: ut esset munimentum etc. Lipsiana nota in ed. ultima in brevius contracta, sed majori fiduciæ significatione. ERN. Adde 13, 32. *Factum SC. ultioni juxta et securitati.*

*Exosculari*] Bud. *et osculari.*

*Jubere jam poterat*] Hæc verba aberant a MS. Bud. nec sunt in Guelf. Sed efficiunt sententiam nimis pulchram, quam ut non sint a Tacito. ERN. A Bud. absunt *ad proh. sc. i. r. p.* Idem mox *incolumi* absque conjunctione.

*Simulatione iræ*] Seneca explicat, qui callide hoc ad primam magnamque iram adhibendum suadet. De ira 3, 39. *quem non audet lenire, fallet. Simulabit*, inquit, *iram, ut tamquam adjutor, et doloris comes, plus auctoritatis in consiliis habeat: moras nectet, et, dum majorem quærit pœnam, præsentem differet.* Ipsa hæc nostra sunt, et moniti illius clarum hic exemplum. LIPS.

*Vacationes*] De his militarium operum vacationibus Justinus capiendus fuit 37, 4. *Hieme deinde imminente, non in convivio, sed in campo, non in vacationibus, sed in exercitationibus, nec inter sodales, sed inter æquales, aut equo aut cursu aut viribus contendebat.* Nec acutissimum Palmerium audire amicus meus debuit, *vocationes* substituentem et invitationes interpretantem. Imo vero has militares vacationes intelligit, et recte proprieque exercitationibus opponit. Tacitus A. 1, 17. *Vacationes munerum* appellat: et iisdem verbis Quinctilianus pro Milite c. 6. *Transeo oblatam nolenti munerum vacationem, et blandius quam militiæ disciplina postulat, adulatum militi Tribunum: imperatas asper-*

præstari Centurionibus solitæ, remitterentur." Namque gregarius miles, ut tributum annuum, pendebat. Quarta pars manipuli sparsa per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem Centurioni exsolveret: neque modum oneris quisquam, neque genus quæstus pensi habebat: per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles labore ac sævitia fatigari, donec vacationem emeret: ubi, sumptibus exhaustus, socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete et iners pro strenuo, in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia conrupti, ad seditiones et discordias, et ad extremum in bella civilia ruebant. Sed Otho, ne vulgi largitione Centurionum animos averteret, "fiscum suum vacationes annuas exsoluturum," promisit: rem haud dubie utilem, et a bonis postea Principibus perpetuitate disciplinæ firmatam. Laco Præfectus, tamquam in insulam seponeretur, ab evocato, quem ad cædem ejus Otho præmiserat, confossus: in Martianum Icelum, ut in libertinum, palam animadversum.

XLVII. Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit

*rimas expeditiones, ut remitterentur.* Talem vacationem et Livius intellexit 7, 7. de cohortibus Hernicorum, *Immunes quoque operum militarium erant, ut in unum pugnæ laborem reservati plus quam pro virili parte adnitendum scirent.* Lips. Sunt autem pretia vacationum, pecunia, qua vacationes munerum redimerentur, ut verba *præstari* et *remitterentur* docent. Ern. Plura dat Marc. Donatus.

*Pendebat. Pars manipulis*] Libris veteribus vox inseritur, *pendebat quarta pars.* Numquid, *pendebat quartam?* ut velit in hoc tributum quartam stipendii partem erogatam? an magis Pichenam audimus? *Quarta pars manipuli sparsa per commeatus.* Audio, audio, et nihil melius veriusve. Lips. Recepit bene Freinsh. Nam sic Flor. Agr. Guelf. a manu sec. ed. pr. Ern. Bip. dedere *pendebat quartam*, quod Lipsio in mentem venerat. Sed quartam stipendii partem erogatam præcise, vix videtur auctor voluisse narrare. Verbum *pendebat*, absque casu positum, refertur ad *vacationes.* Bud. vitiosam Puteolani et al. lectionem offert, servatam a Rhenano.

*Socordia miser elanguerat*] Mallem *miscre*, pro *miser*: aut cum Pichena (e Flor.) *insuper.* Lips. Guelf. *miser*, ed. pr. *socordia elanguerat.* Mox *seditiones* e Flor. J. Gron. sic et (c. Agr. et) ed. pr. Vulgo *seditionem.* Ern. Sic et Bud.

*In bella civilia*] Sic Heinsius recte. Tò *in* ultima præcedentis vocis littera abstulit.

*Fiscum suum*] Secutus sum J. Gronovium, qui sic primus edidit e cod. Flor. in quo est *et fiscum suum*, ut in MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. cum ceteri scr. (in his Bud.) et edd. habeant *ex fisco suo. Et* unde natum sit, in promtu est. Sed mihi et pronomen *suum* vel *suo* suspectum. An enim alius fiscus, quam Cæsaris? Et semper alibi, apud bonos scriptores, quantum memini, absolute dicitur, ut infra c. 58. *vacationes Centurionibus ex fisco numerat.* Et potuit facile pronomen hoc nasci e *fisco* vel *fiscum*, præsertim cum etiam *fisci* verbum scriberent vitiose, velut in Guelf. *physico*, in quo ultimæ duæ syllabæ prope nil differunt a *suo.* Post correxi *libertinum* pro *libertum.* Nam conditio hominis exprimitur, in qua *libertinus* dicitur non *libertus*: quod non sensit Broterius. Ern. Scripti et edd. *libertum.*

*Tamquam—seponeretur*] Sensus est, simulatum et divulgatum est, eum in insulam seponi, sed clam ab evocato confossum; nam opponitur *palam animadversum.* An excidit *clam* ante *tanquam?* Sed id Tacitus brevitatis studio potuit omittere. Ern. Bip. mallent *tum*, *quum.*

lætitia. Vocat Senatum Prætor urbanus: certant adulationibus ceteri Magistratus. Adcurrunt Patres: decernitur Othoni "Tribunicia potestas et nomen Augusti et omnes Principum honores," adnitentibus cunctis abolere convicia ac probra, quæ, promiscue jacta, hæsisse animo ejus, nemo sensit: omisisset offensas, an distulisset, brevitate imperii in incerto fuit. Otho, cruento adhuc foro, per stragem jacentium, in capitolium, atque inde in palatium vectus, concedi corpora sepulturæ, cremarique permisit. Pisonem Verania uxor ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia, composuere, quæsitis redemptisque capitibus, quæ venalia interfectores servaverant.

XLVIII. Piso unum et tricesimum ætatis annum explebat, fama meliore, quam fortuna. Fratres ejus, Magnum Claudius, Crassum Nero interfecerant. Ipse diu exsul, quatriduo Cæsar, properata adoptione ad hoc tantum majori fratri prælatus est, ut prior occideretur. T. Vinius LVII annos variis moribus egit. Pater illi e Prætoria familia, maternus avus e proscriptis.

*Vocat Senatum Prætor urbanus*] Uterque enim Consul cæsus erat, ut bene monet Savillius, qui laudat et Cicer. ad Fam. 10, 12. *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum Prætorem urb. literas deferremus: qui, quod Coss. aberant, Consulare munus sustinebat more majorum.* Sed multa ap. Livium exempla. Mox *occurrunt* MS. Oxon. quod placebat Gronovio. Utrumque rectum. Sed vulgatum plures et meliores libri. ERN. Bud. *adcurrunt.*

*Decernitur etc.*] V. contra H. 2, 55.

*Hæsisse animo*] MS. Guelf. in textu *exisse*, in margine, sed eadem manu, *hæsisse*. Ante pro *jacta* ed. pr. vitiose *acta*. ERN. Bud. *hesisse*, sed videtur et hic adfuisse prius *exisse*.

*Omisisset offensas, an distulisset*] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui edidit *omisisse tot offensas, an distulisse*. Priscum restituit Pichena. Mox *stragem* dedi ex ed. pr. pro *strages*. Consentiunt MSS. duo ap. Broterium, qui idem dedit. ERN. Flor. corrupte *tot fensas*. Bud. *tot offensas*. Perperam ergo Pichena Rhenanum ex Florentini errore id *tot* intrusisse putat, quod Mur. et Acid. delent. Mox Bud. *strages*, quod servat Gron.

*Pisonem Veranial*] Plutarchum hinc emendemus in eadem ista re Galba 28. Τὴν δὲ Πείσωνος (κεφαλὴν) ἡ γυνὴ ἔλαβεν οὐ κρανίου δεηθεῖσα: et scribamus, Οὐρανία δεηθεῖσα; ut interpretes aliquando nubecula ista liberentur. Nam Verania est, quæ precibus caput mariti abstulit. De hac Plinius ep. 2, 20. *Verania Pisonis graviter jacebat, Pisonis dico illius, quem Galba adoptavit.* LIPS. Dedit decem millia HS, auctore Plutarcho. Verbum *componendi*, de sepeliendis usitatum, jam ab aliis passim illustratum est. Sic etiam dixit Horatius Sat. 2, 3, 110. ERN.

*Annum explebat*] Temporum ratio postulat *explerat*: et sic Tacitus videtur scripsisse. De mortuo enim sermo est. ERN.

*Magnum Claudius, Crassum Nero*] Atqui Seneca in Menippea etiam Crassum videtur adserere a Claudio interfectum. *Occidit*, inquit, *in una domo Crassum, Magnum, Scriboniam, Assarionem, nobiles tamen: Crassum vero tam fatuum, ut regnare posset.* De Crasso a Nerone interfecto etiam Plin. epist. 1, 5. LIPS. Sed alius ille ab eo, quem Claudius interfecit. V. ad c. 14. *Interfecerant*, quod e Flor. dedit Pichena, pro *interfecerat*, etiam Guelf. a manu pr. (Bud. *interfecerat.*) Mox *ad hoc* MS. idem (et Bud.) ed. pr. Rhenanus sqq. mediæ *adhæc*: male. ERN.

*LVII annos*] Sic, *quinquaginta septem*. MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. recte recepere Ryckius et Gronovius. Vid. Ryckium. Ceteri libri *XLVII*. Sed numerus exprimendus *septem et quinquaginta*. ERN.

*E Præt. fam.*] Bud. *Præt. fam.* sine præpositione, ut mox 52. *Equestri fam.* et 4, 13. *Regia stirpe.*

*Maternus avus e proscriptis*] Ego

Prima militiæ infamis, Legatum Calvisium Sabinum habuerat: cujus uxor, mala cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias et cetera militiæ munia eadem lascivia tentasset in ipsis principiis stuprum ausa: et criminis hujus reus T. Vinius arguebatur. Igitur jussu C. Cæsaris oneratus catenis, mox, mutatione temporum, dimissus, cursu honorum inoffenso, legioni post Prætoram præpositus probatusque: servili deinceps probro respersus est, tamquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus: et Claudius postera die soli omnium Vinio fictilibus ministrari jussit. Sed Vinius Proconsulatu Galliam Narbonensem severe integreque rexit: mox Galbæ amicitia in abruptum tractus, audax, callidus, promtus, et, prout animum intendisset, pravus aut industrius, eadem vi. Testamentum T. Vinii, magnitudine opum, inritum. Pisonis supremam voluntatem paupertas firmavit.

censuisem, paternum. Nam reperio in Dione 47, 7. T. Vinium proscriptum a Triumviris, et mira fide atque astu ab uxore Tanusia servatum. Fieri autem potest, ut hujus avi etsi materni nomen sumpserit, testamento, an adoptione. LIPS.

*Cujus uxor mala cupidine*] Historiola hæc apud Dionem, in rebus Caii 59, 18. Καλουίσιος δὲ Σαβῖνος ἔν τε τοῖς πρώτοις τῆς βουλῆς ὢν, καὶ τότε ἐκ τῆς ὑπ' τῇ Παννονίᾳ ἀρχῆς ἐφεγμένος, ἥτε γυνὴ αὐτοῦ Κορνηλία γραφέντες (καὶ γὰρ ἐκείνη, ὡς φυλακάς τε ἐφοδεύσασα καὶ τοὺς στρατιώτας ἀσκοῦντας ἰδοῦσα, αἰτίαν ἔσχεν) οὐχ' ὑπέμειναν τὴν κρίσιν, ἀλλ' ἑαυτοὺς προαπάλωσαν. LIPS. De Calvisio v. et Sen. ep. 27. *habuerat*, i. e. sub eo militaverat.

*Eadem lascivia tentasset*] Regius (Bud.) codex, *temperasset*, ex quo Rhen. *temerasset*. LIPS. Ceteri omnes scr. et edd. *temperasset*. Rhen. conjecturam recepit Freinsh. Alii *tentasset* edidere. Illud defendit Heinsius ad Vell. 2, 60. ubi de confusione horum verborum vide. ERN. Non dubito, in Bud. vitiose legi *temperasset* pro *temptasset*, ut alias habet. Repono ergo vulgatum. Sic et Bip. Ipse quoque Rhen. servarat. Contra Ryck. Brot. Lall. Dottev. sequuntur Freinshemium.

*In ipsis principiis*] Plutarchus expressit Galba 12. καὶ διέφθειρεν ἐν τοῖς ἀρχαίοις, ἃ πρινκίπια Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Principia autem sacra, quia in iis aquilæ et signa, id est, Dii militares. Sententiam ex eadem re Quinctilianus petiit, pro Milite c. 2. *Sed neque hoc Mars parens, nec signa militaria aquilæque victrices sinant, ut tua quoque sententia quisquam vir, et Romanus et miles, nimium pudicus sit, apud quem ante principia agendum est.* Hæc principia Statius, etsi in re Græca, circumscribit Theb. 10, 176. *Ventum ad concilii penetrale, domumque verendam Signorum.* LIPS. Ceterum contextus videtur postulare *passa*. Nam *stuprum* est facientis; id infert, audet mas, patitur femina: estque de Vinii crimine sermo potius, quam feminæ. Et sic etiam videtur legisse Plutarchus. Vulgatum intelligendum: stuprum pati ausa. Et objicitur interdum etiam feminis stuprum. Perizonius porro de Prætor. p. 57. s. non ad sanctitatem loci dicta refert, quam ad frequentiam hominum, quæ ibi esset: unde magnitudo impudentiæ intelligatur. Enimvero res noctu facta est, et criminis verbum Lipsio potius favet. ERN. *Stuprum ausa* nolim mutare cum Bip. Significatur, provocasse stuprum, quod ex adposito *lascivia* patet.

*Audax, callidus, promtus*] J. Gronovius e Flor. edidit *calidus*. (Sic et Bud.) *Calidus* et *audax* sane et ap. Livium junguntur 35, 32. ubi v. Duker. et Gron. permiscenturque sæpe *calidus* et *callidus*. Sed vulgatum servavi, quia omnes alii libri habent *callidus*. Et *audax* atque *callidus* bene junguntur, quia non omnes audaces iidem callidi, nec omnes callidi statim audaces: denique et aliis locis duplicationem literarum in illo codice negligi vidimus. ERN. *Callidus* in Gron. edit. legitur, forte incuria operarum. In Bud. mox etiam c. 51. est *calide* pro *callide*.

XLIX. Galbæ corpus diu neglectum et licentia tenebrarum plurimis ludibriis vexatum, dispensator Argius, e prioribus servis, humili sepultura in privatis ejus hortis contexit. Caput, per lixas calonesque suffixum laceratumque, ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis, punitus a Galba fuerat) postera demum die repertum et cremato jam corpori admixtum est. Hunc exitum habuit Ser. Galba, tribus et septuaginta annis quinque Principes prospera fortuna emensus, et alieno Imperio felicior, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus. Famæ nec incuriosus, nec venditator. Pecuniæ alienæ non adpetens, suæ parcus, publicæ avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens; si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. Proconsule Africam moderate: jam senior, citeriorem Hispaniam pari justitia continuit: major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax Imperii, nisi imperasset.

L. Trepidam urbem, ac simul atrocitatem recentis sceleris, simul veteres Othonis mores paventem, novus insuper "de Vitellio" nuntius exterruit, ante cædem Galbæ suppressus, ut, tantum superioris Germaniæ exercitum descivisse, crederetur. Tum "duos, omnium mortalium, inpudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum Imperium fataliter electos," non Senatus modo et Eques, quis aliqua pars et cura Reipublicæ, sed vulgus quoque palam mœrere. Nec jam recentia sævæ pacis exempla, sed repetita bellorum civilium

*E prioribus servis*] Sic omnes scr. et edd. recte, ut opinor: nec cum Faerno et Savillio corrigendum *primoribus*. (ut A. 4, 10.) Servi sane primores dispensatores: sed tum non amplius servus erat Argius, verum libertus, ut Plutarchus 28. vocat; nisi improprie servum vocavit. Vidimus sane servitia etiam libertos vocari, sed contumeliæ caussa, non in narratione historica. *Priores servi* sunt, qui ante Imperium fuere. ERN.

*Caput per lixas*] Ed. pr. *caput ejus*, additumque est *ejus* in Guelf. a manu sec. (Non habet Bud.) Videtur repetitum e prioribus: nisi forte prius *ejus* potius delendum. ERN.

*Libertus is Ner.*] Et inter *odiorum nomina*. Cf. H. 2, 95.

*Tribus et sept. annis*] Paullo aliter Dio 64, 6. Cf. Ryckius.

*Venditator*] Bud. *vendicator* i. e. *vindicator*, quod forsan non spernendum, etsi vulgo non occurrat.

*Ad culpam ignarus*] Heins. *ignavus*. Sed male ad Lipsium provocat.

*Metus temporum obtentui*] A Rhenano est (e Bud.). Libri scripti, *obtinuit*: quod verius hic puto. LIPS. Sed et Flor. et Agr. *obtentui*. (Sic et A. 1, 10. H. 2, 14.) Guelf. edd. ante Rhen. *obtinuit*: quod si verum esset, requireretur *claritate* et *metu*. MOX ex eodem Flor. cum Gron. dedi *Proconsule*. ERN. (Sic et Bud.)

*Velut ad perdendum Imperium*] Ita libri flagitant, ita sententia. Beatus tamen: nos, inquit, *ad partiendum*, emendavimus (scil. e Bud.). LIPS. Heinsius volebat *evectos* ad Vellei. 2, 12. non enim electos a Senatu Populoque fuisse. Non sane ab his, sed a fato. ERN.

memoria: "captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiæ, direptiones provinciarum, Pharsaliam, Philippos et Perusiam ac Mutinam," nota publicarum cladium nomina, loquebantur. "Prope eversum orbem, etiam cum de Principatu inter bonos certaretur: sed mansisse C. Julio, mansisse Cæsare Augusto victore, Imperium; mansuram fuisse, sub Pompeio Brutoque, Rempublicam. Nunc pro Othone, an pro Vitellio, in templa ituros? Utrasque inpias preces, utraque detestanda vota, inter duos, quorum bello solum id scires, deteriorem fore, qui vicisset." Erant, qui Vespasianum et arma Orientis augurarentur: et, ut potior utroque Vespasianus, ita bellum aliud atque alias clades horrebant. Et ambigua de Vespasiano fama; solusque omnium ante se Principum in melius mutatus est.

LI. Nunc initia caussasque motus Vitelliani expediam. Cæso cum omnibus copiis Julio Vindice, ferox præda gloriaque exercitus, ut cui sine labore ac periculo ditissimi belli victoria evenisset, expeditionem quam otium, præmia quam stipendia malebat. Diu infructuosam et asperam militiam toleraverant, ingenio loci cælique et severitate disciplinæ; quam, in pace inexorabilem, discordiæ civium resolvunt, paratis utrimque conruptoribus et perfidia inpunita. Viri, arma, equi, ad usum et ad decus supererant: sed ante bellum

*Totiens*] Bud. *quotiens.*

*Suis civibus urbem*] Præfero quod in scriptis, *suis exercitibus.* Lips. Recepit Pichena. Sic et Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhen. Ern. Is *civibus* e Bud.

*Atque alias clades*] Bud. *et alias clades.*

*In melius mutatus*] Imitatus hoc palam Ausonius, de eodem Vespasiano: *Olim qui dubiam, privato in tempore, famam Par aliis Princeps, transtulit in melius.* Suetonium vide. Lips. Ap. Auson. alii legunt *Rarum aliis!*

*Expeditionem et aciem*] Non temere mutem, et elicio sententiam etiam ex hac scriptura. Tamen haud paullo clarior antithesis videatur, si legas, *expeditionem quam otium.* Lips. Recte sane. Sed scriptores in talibus non sunt semper satis diligentes, in primisque noster, ut alibi vidimus. Ern. Bip. ulcus hujus loci sic sanare parant: *exped. et facilia pr. q. stip.* scil. ordinaria laboribus, quos in pace disciplina postulabat, conjuncta. Ut ingeniosa hæc, aptior tamen Lipsiana ratio et recipienda videtur. Probabat et Acidalius.

*Præmia quam stipendia*] Boxhornius *prædam* malebat, quod ante esset, *præda ferox exercitus.* Sed *præmia* de præda dici, ut suspicabatur Acidalius, docet Gronov. ad Liv. ep. 89. (Sic et A. 1, 16. Inde et *præmiari* Suet. Tit. 7. *præmiatores*, nocturni prædones ap. Non. 2, 629.) Prædam venatorum poetæ quam sæpe præmia vocant? Sed hodie res nota. Potest vero Tacitus respexisse non modo ad prædam, sed etiam alia præmia, quæ victoribus darentur, quorumque crebra apud veteres mentio. Rutgers. Lect. Venus. p. 415. *prælia:* quod sane convenit præcedentibus et sententiæ: sed non est necesse. Præmia sunt belli et præliorum, stipendia etiam in pace solvuntur. Ern.

*Diuque inf.—toleraverat*] MS. Flor. et ed. pr. *diu toleraverant*, quod probat J. Gron. Ceteri libri omnes vulgatum habent: nec id est a libidine Beroaldi, ut J. Gronovius dicit. Idque et ipse servavi, quia præcedit *malebat.* Ern. Bud. et Agr. tamen *toleraverant;* idem *diu* sine præpos. Potior Gronovii lectio.

*Ad usum et ad decus*] Id est, arma, equi, iis suppetebant, non ad necessitatem modo, sed et ornatum. Tale est, quod iisdem infra tribuit, *baltheos et faleras insigniaque armorum argento decora.* Tamen libri quidam (in his Bud.) *dedecus:* ex quibus alii (Rhen.

centurias tantum suas turmasque noverant: exercitus finibus provinciarum discernebantur: tum adversus Vindicem contractæ legiones, seque et Gallias expertæ, quærere rursus arma, novasque discordias: nec "socios," ut olim, sed "hostes, et victos" vocabant. Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, easdem partes secuta, ac tum acerrima instigatrix adversus *Galbianos:* hoc enim nomen, fastidito Vindice, indiderant. Igitur Sequanis Æduisque ac deinde, prout opulentia civitatibus erat, infensi, expugnationes urbium, populationes agrorum, raptus penatium hauserunt animo: super avaritiam et adrogantiam, præcipua validiorum vitia, contumacia Gallorum inritati, qui, "remissam sibi a Galba quartam tributorum partem; eos publice damnatos, in ignominiam exercitus," jactabant. Accessit callide vulgatum, temere creditum, "decumari legiones et promptissimum quemque Centurionum dimitti:" undique atroces nuntii, sinistra ex urbe fama; infensa Lugdunensis colonia, et, pertinaci pro Nerone fide, fecunda rumoribus. Sed plurima ad fingendum credendumque materies in ipsis castris, odio, metu, et, ubi vires suas respexerant, securitate.

LII. Sub ipsas superioris anni Kal. Decembres Aulus Vitellius, inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum cum cura adierat: redditi plerisque ordines, remissa ignominia, adlevatæ notæ: plura ambitione, quædam judicio: in quibus sordem et avaritiam Fonteii Capitonis, adimendis

Vertran.) scribendum, *ad abusum et ad dedecus*, censuerunt, ut mea mens est, procul a Taciti mente, et *Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.* LIPS. *Decus* Flor. Agr. Guelf. edd. omnes. ERN. Unde error, Ryckius docet.

*Contractæ leg.*] Puteol. et Alciati ed. *confractæ.* Sic et Bud.

*Sequc et Gallias expertæ*] i. e. cum usu didicissent, se esse fortiores Gallis, quibus vicissent, novum cum ipsis bellum, certa victoriæ spe optabant. ERN.

*Hoc enim nomen*] Ita solita plebs mutare per fastidium, et innovare hæc contumeliæ nomina. At Dion. Gothofredo IC. legendum videbatur *fatis dato Vindice.* LIPS.

*Super arrogantiam et avaritiam*] *Super* e Flor. edidere Pichena, Ryckius et Gron. Ceteri scr. (in his Bud.) et edd. omnes *secundum:* quod servassem propter istum consensum librorum, ni Latinitas magis *super*, quam *secundum* postularet. Nam *secundum* non est *præter*, quod hic desideratur, sed *post.* Ann. 13, 18. *super ingenitam avaritiam undique pecunias, quasi in subsidium, corripiens:* et aliis locis, quorum magnam copiam Index exhibet. Sueton. Oth. 5. *instigante, super animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni*, qui locus huic est simillimus. ERN.

*Publice donatos*] Agris, quos Galba Treviris eripuerat, aliisque: *et damno finium percularet*; ut infra dicit c. 53. LIPS. Bip. bene notant, quid hoc in ignominiam exercitus, si Galli donentur agro? itaque legunt *publice damnatos*, ut cohæreat cum seq. Melius non succurrit. Recipio, sed sic *et* in *eos* mutandum puto. Est tamen conjectura audacula.

*Pertinaci pro Ner. fide*] Ob beneficium, de quo An. 16, 13. unde etiam infensa erat Galbæ, et rumores sinistros fingebat, alebat. ERN.

*Superioris anni*] Bud. *prioris.*

*In quibus sordem*] Usitatius erat, *sordes:* vid. v. c. infra c. 60. ut recte notat Acidalius. Atque etiam alibi singularis pro plurali irrepsit, ut c. 46. *seditionem* pro *seditiones.* Sed tamen et alibi singularis reperitur. Cicer. Flacc. 3. *nullam sordem in re familiari* etc.

adsignandisve militiæ ordinibus, integre mutaverat. Nec Consularis Legati mensura, sed in majus omnia accipiebantur. Et Vitellius apud severos humilis. Id comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine judicio donaret sua, largiretur aliena: simul aviditate imperandi: ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali et strenui. Sed profusa cupidine et insigni temeritate Legati legionum, Alienus Cæ-

Idem etiam ad Att. 1, 16. dixit *sordem urbis*, de plebe infima: in quo sensu etiam pluralis usitatior. *Integre mutaverat* i. e. dignis reddens, indignis adimens, sine gratiæ aut quæstus respectu. ERN.

*Et Vitellius apud severos humilis*] Rhenanus (ex ingenio) et Salinerius volunt: *et ut Vitellius*, s. *et Vitellius ut*. (Pro Salinerio Acidalium repone. Placebat et Freinshemio.) Non video, quis hic usus sit particularum comparandi. Lege, *id comitatem*, ut et Grotius scribendum notavit. Vitellius inquit, recta æstimatione hominum gravium et disciplinæ studiosorum nimis se demittebat abjiciebatque, et indignis persona sua, ac prope modum vernilibus, blanditiis utebatur (*tota via caligatorum quemque exosculans; perque stabula ac diversoria mulionibus et viatoribus præter modum comis, ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur, seque fecisse ructu ostentaret* teste Suetonio 7.) *id*, inquit, hanc vilitatem sui illi *comitatem* vocabant: quemadmodum etiam *bonitatem* appellabant, *quod sine modo, sine judicio, donaret sua, largiretur aliena*. Neque enim *bonitatis* vocabulum etiam pertinet ad humilitatem excusandam, ut viri docti accepisse videntur. Nempe *bonitas* est ei liberalitas vel munificentia: quemadmodum alibi *malitiam* dicit pro avaritia, ut A. 13, 30. et 15, 21. Plutarchus pro utroque dicit χρηστότητα καὶ μεγαλοφροσύνην. GRON. Omnes libri vulgatum habent: nisi quod MS. Agr. *ut* habet, sed a manu sec. Grotium et Gronovium sequor: etsi sentio, aliquid vel sic duri relinqui, quod tamen in tali scriptore ferendum. ERN.

*Simul aviditate imperandi*] i. e. atque etiam cupientes nimis Imperatorem habere Vitellium, ut recte interpretantur Pichena et J. Gron. Non enim aviditas imperandi in Vitellio, ut patet c. 53. init. Verbum imperandi passive etiam aliis dictum bonis scriptoribus. Cicer. ep. 9, 25. *ades ad imperandum* h. e. ut tibi imperetur. Itaque male Ryckius in textu posuit *impetrandi* e conjectura J. F. Gronovii, quam ipsi postea displicuisse patet ex eo, quod non edidit eam. h. l. *simul* refertur ad *faventes*. Favore quodam in Vitellium, comitatem et bonitatem ei tribuebant, et præterea cupiditate imperii Vitelliani etc. ERN. Potius *imperandi* active accipiunt Bip. referuntque ad Vitellium, adpositoque puncto separant a seq. Sic omnia plana, nisi quod particula *simul* paullulum turbet. Verum sit ita, sequor. In sequentibus quoque ordinem verborum rectius constituisse Bip. puto. Ryckius non tam J. F. Gronov. quam codicem suum Agr. erat secutus. Bud. *imperandi*.

*Sicut modesti quietique etc.*] Colerus corrigi volebat *immodesti*, ut opponerentur *quietis*. Immo *mali et strenui* opponuntur *modestis et quietis*. In MS. Guelf. *strenui* est a sec. manu: quid ante ibi fuerit, adsequi non licuit. *Strenuus* est θρασύτης, promtus ad quidvis audendum: neque semper bonam in partem dicitur. Mox *sed* male in *et* mutavit Rhen. (e Bud.) bene restituit Pichena (e Flor.). Est transitus ab universo s. toto ad partem vel singulos: in quo semper *sed* dicitur. ERN.

*Alienus Cæcina*] Mihi, imo libris debetur verum hoc Cæcinæ nomen. Nam illi constanter *Alienum* scribunt. Etiam in Dionis Epitoma semper Ἀλιηνός. Romanum vero id nomen: et nummi extant, C. CÆSAR. IMP. COS. ITER. ALIENUS. PROCOS. Nominat et quemdam Alienum Cicero Div. in Verrem 15. Vulgatis tamen Taciti libris hic A. Cæcina dicitur: et Fastis, quos eruditi viri concinnarunt, *A. Licinius*. Unde eruerint, miror. LIPS. *A. Cecina* MS. Guelf. et edd. inde a Puteol. usque ad Lipsium, idque defendebat Ursinus (e lap. antiquo.). At Flor. (Bud. Agr.) ed. pr. *Alienus*: idque verum est. Nec spernam Ryckii conjecturam, totum nomen esse *A. Allienus Cæcina* ex Sueton. Tit. 6. ubi *A. Cæcina* vocatur. *A. Allienus* alius pluribus locis ap. Ciceronem occurrit, Trebonii primum Legatus, de-

cina et Fabius Valens: e quibus Valens, infensus Galbæ, tamquam detectam a se Verginii cunctationem, oppressa Capitonis consilia ingrate tulisset, instigare Vitellium, "ardorem militum" ostentans. "Ipsum celebri ubique fama: nullam in Flacco Hordeonio moram: adfore Britanniam: secutura Germanorum auxilia: male fidas provincias: precarium seni Imperium et brevi transiturum: panderet modo sinum et venienti Fortunæ occurreret. Merito dubitasse Verginium, Equestri familia, ignoto patre: inparem, si recepisset Imperium, tutum, si recusasset. Vitellio tres patris Consulatus, Censuram, conlegium Cæsaris, inponere jampridem Imperatoris dignationem, auferre privati securitatem." Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis, quam ut speraret.

LIII. At in superiore Germania, Cæcina, decora juventa, corpore ingens, animi inmodicus, scito sermone, erecto incessu, studia militum inlexerat. Hunc juvenem Galba, Quæstorem in Bætica, inpigre in partes suas transgressum, legioni præposuit: mox compertum, publicam pecuniam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit. Cæcina ægre passus, miscere cuncta et privata vulnera Reipublicæ malis operire statuit. Nec deerant in exercitu semina discordiæ: quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat, nec, nisi occiso Nerone, translatus in Galbam, atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniæ præventus erat. Et Treveri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium

inde Dolabellæ, Prætor Lentulo et Marcello coss. Loca vide in Clave Cicer. Scribitur in libris Cic. fere per duplex *l*. Occurrunt etiam *Halieni*, qui et ipsi *Alieni*. Tusc. 4, 22. ubi vid. Davies. ad Q. Fr. 1, 1, 3. ERN. Differt autem is Cæcina a Lucinio Cæcina, de quo H. 2, 53. Ceterum lapis antiquus, ad quem provocat Ursinus, Reinesio in ep. 21, p. 61. videtur νοθεύειν.

*Detectam a se etc.*] Rhenanus (e Bud.) correxit *detecta a se cunctatione* offensus, ut opinor, omissione copulæ, quæ tamen in Tacito frequens. Sed Lipsius rursus edidit priscum, cum omnibus post eum editoribus. Ed. pr. vitiose *decretam*. *Tulisset ingrate*, est a se accepisset, sibi deberet, neque tamen præmio digno se affecisset. ERN. De re ipsa v. c. 8 et 9.

*Collegium Cæsaris*] Suet. Vit. 2. *L. Vitellius, Imperatoris pater, cum Claudio Principe duos ordinarios Consulatus Censuramque gessit.* Mox *et imp.* Flor. ed. pr. Pich. seqq. At MS. (Bud.) Guelf. ed. Puteol. utraque copula caret, quod mihi optimum videtur. In ed. Beroaldi posterior accessit, casu forte: certe non e libro: quod servatum est usque ad Pichenam. Simile mox: *ut speraret* Flor. Guelf. Puteol. Beroald. Alc. At *ut* abest ab (Bud. Agr.) ed. pr. Rhen. sqq. usque ad Pich. item ab ed. Ryckii. ERN. Copulam utramque delevi Budensem secutus. Legebatur *et impon.... et auferre.*

*Cito sermone*] An, *scito*? LIPS. Sic et aliis videtur, Groslotio, Acidalio, etc. neque recipere dubitavi. Nam *citus sermo* est in vitio, nec ad studia allicienda aptus. Facile patet, literam primam absorptam esse finali præcedentis, sic infr. 2, 5. *aptior sermone Mucianus.* Aliud est *promtus sermone* H. 2, 86. ne quis inde defensionem lectioni vulgatæ petat. Mox *illexerat*, quod e Flor. edidit Pichena, habent etiam Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhenan. in cujus editionem irrepsit (e Bud.) *allexerat*. Illud est suetum Tacito verbum. ERN. Sed *adlicere* non minus. Vid. c. 61. et 2, 5.

*Mox compertum*] Non item male, *compertu*. LIPS.

Galba perculerat, hibernis legionum propius miscentur. Unde seditiosa conloquia, et inter paganos conruptior miles, et in Verginium favor, cuicumque alii profuturus.

LIV. Miserat civitas Lingonum, vetere instituto, dona legionibus, dextras, hospitii insigne. Legati eorum, in squalorem mæstitiamque compositi, per principia, per contubernia, modo " suas injurias," modo " civitatum vicinarum præmia," et, ubi pronis militum auribus accipiebantur, " ipsius exercitus pericula et contumelias" conquerentes, accendebant animos. Nec procul seditione aberant, cum Hordeonius Flaccus " abire Legatos," utque occultior digressus esset, " nocte castris excedere" jubet. Inde atrox rumor, adfirmantibus plerisque, " interfectos, ac, nisi ipsi consulerent, fore, ut acerrimi militum, et præsentia conquesti, per tenebras et inscitiam ceterorum occiderentur." Obstringuntur inter se tacito fœdere legiones. Adsciscitur auxiliorum miles; primo suspectus, tamquam, circumdatis cohortibus alisque, inpetus in legiones pararetur, mox eadem acrius volvens: faciliore

*Dextras hospitii insigne*] Fidei etiam et pacis. Cæsaris locus est, quem correctione libens huc traxerim. De bello Gall. 7, 50. *Ædui visi ab latere nostris aperto...ii similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt: ac, tametsi dextris humeris exertis animadvertebantur, quod insigne pacatis esse consueverat; tamen id ipsum sui fallendi caussa milites ab hostibus factum existimabant.* De humeris, et quomodo exeri ii potuerint, nec capio, nec legi. Glossema subolet, et insitio non proba: legamque, *dextris exertis*: voce *humerorum* ejecta, nisi si ea aliter conformanda. Dextras quidem attolli, etiam nunc pacis ac socii adventus signum habetur. LIPS.

ADD. In Cæsaris loco libenter nunc legerim, *dextris nudis exertis*. Livius suadet 28, 3. qui scribit, oppidanos quosdam, deditionem et amicitiam significantes, egressos: *dextras nudas ostentantes*. Lacedæmonii etiam apud Thucydidem, 4, 38. circumventi ab Atheniensibus, τὰς χεῖρας ἀνίσωσαν, *manus quatiebant*, signum pacis et deditionis. In Frontino quidem lego, humeros etiam exseri a militibus, sed longe alio sensu. Stratag. 2, 1, 3. *Cum Sertorianos milites animadvertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, humerosque exercentes* (lego, *exserentes*) *et lanceas vibrantes*. Itaque hoc magis in Cæsariana correctione nostra firmamur. LIPS. Dextræ hospitii insignia etiam H. 2, 8. occurrunt. Durior modus loquendi: et alias tesseræ potius insignia hospitii, quæ mittantur. Sed contra librorum consensum nihil tentandum. Credo cum Pichena ad H. 2, 8. fuisse figuras quasdam ex auro aut argento: forte quales in nummis Triumvirorum reperimus. Paullo post recte Pichena *auribus* pro *animis* dedit e Flor. Consentit (Bud. et) Guelf. At edd. vett. omnes *animis*: quod ortum est e mox sequente verbo *animos*. ERN. Quæ hic Lipsius, ad rem parum faciunt. Egregium est apud Montefalc. in Antiq. Expl. t. 3. pl. 197. exemplum manus æneæ symbolicæ, inscriptæ ΤΕΛΑΤΝΙΩΝ, quæ ab his in fidei amicitiæque tesseram Arvernis missa videtur. Bud. mox male *insignes*. Ceterum h. l. duæ dextræ junctæ videntur intelligi, quales visuntur in nummis.

*Adfirmantibus*] Ed. pr. addit *et*: cujus vestigia etiam in Guelf. fuit enim *rumore* vel *rumores*: sed erasit sec. manus. Ita conjungenda forent *et obstringuntur legiones*. Sed ab omnibus aliis edd. copula abest. Mox restitutum a Ryckio e Flor. (et Agr.) *nisi ipsi*, quod est et in (Bud.) Guelf. et edd. ante Rhen. qui (ex ingenio) dedit *ni sibi*. Illud melius etiam sensu. *Consulere* sæpe absolute dicitur sine dativo, pro prospicere, mederi malis. ERN.

*Inscitiam*] Bud. *inscientia*: unde Rhen. *inscitia*.

*Acrius volvens*] Sic Flor. Guelf. Agr. (Bud.) edd. ante Rhen. in cujus ed. irrepsit, haud dubie errore operarum, *volens*: non enim tacite hoc mutasset: idque propagatum usque ad J. Gron. qui e Flor. restituit. Infra c. 64. *bellum*

inter malos consensu ad bellum, quam in pace ad concordiam.

LV. Inferioris tamen Germaniæ legiones solemni Kalend. Januariarum sacramento pro Galba adactæ, multa cunctatione et raris primorum ordinum vocibus: ceteri silentio proximi cujusque audaciam exspectantes: insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare. Sed ipsis legionibus inerat diversitas animorum. Primani quintanique turbidi adeo, ut quidam saxa in Galbæ imagines jecerint: quintadecima ac sextadecima legiones, nihil ultra fremitum et minas ausæ, initium erumpendi circumspectabant. At in superiori, quarta ac duodevicesima legiones, iisdem hibernis tendentes, ipso Kalend. Januariarum die, dirumpunt imagines Galbæ: quarta legio promptius, duodevicesima cunctanter, mox consensu. Ac, ne reverentiam Imperii exuere viderentur, Senatus Populique Romani obliterata jam nomina sacramento advocabant: nullo Legatorum Tribunorumve pro Galba nitente, quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus. Non tamen quisquam in modum concionis e suggestu locutus: neque enim erat adhuc, cui imputaretur.

LVI. Spectator flagitii Hordeonius Flaccus, Consularis Legatus aderat, non compescere ruentes, non retinere dubios, non cohortari bonos ausus: sed segnis, pavidus, et socordia innocens. Quatuor Centuriones duodevicesimæ legionis, No-

*volvebat.* Mox pro *tamen* edd. Puteol. Ber. Alc. *inde:* quæ verba permutantur in libris ob similitudinem compendiorum *tñ* et *īn.* Ern. Bud. *tamen* totidem literis.

*Insita mortalibus natura propere*] Melius *insito.* Vidi, qui sequentia perverteret, *non tam propere.* Vere perverteret. Nam Taciti gnome, arcanæ, ut solet, veritatis est; et plebs ita facta, ut rebus arduis nemo facile ducem se præbeat, comitem quivis. Facit huc illud H. 2, 80. *Dum quæritur locus tempusque: quodque in tali re difficillimum est, prima vox.* Lips.

*At in superiori*] Int. Germania: nam mox præcessit *inferioris Germaniæ* mentio. Delevimus *exercitu*, auctoribus MSS. Oxon. Guelf. in quo a manu sec. in margine adscriptum est. Adscripserat aliquis, ut intelligendum: inde venit in textum. Ceterum *superior exercitus* recte dicitur c. 56. atque inde forte vitii origo. Ern. Bud. habet *exercitu.*

*Duo et vicesima*] Covarruviæ scriptus codex ita passim. Probamus. Sæpe erratum etiam infra. Recte tamen integreque scriptum 3, 22. *sextadecimanos duoetvicesimanosque lævum cornu complesse.* Nos alibi in textu reposuimus. Lips. Vide ad c. 18. Guelf. (et Agr. a 2. m.) hic exhibet *duodev.* et edd. vett. præter pr. quæ habet *duo et vic.* ut Flor. Ern. Et Bud. *Duodevicesimam* intelligi Pichena demonstravit ex H. 4, 24 et 37.

*Dirumpunt imagines*] Forte melius *deripiunt.* Supra 1, 41. *Dereptam Galbæ imaginem solo affixit.* Freinsh. et Acidalius. Sed libri omnes consentiunt. Etiam alibi *fractas imagines* dixit. Ern.

*Contanter. Mox consensu, ac*] Melius distingue: *Contanter, mox consensu. Ac ne r.* Lips. Guelf. *constanter* pro *cunctanter;* ut Rutgers. Lect. Venus. p. 415. corrigit: sed id natum est e scriptura solenni illius libri *contanter.* Distinctio Lipsii recte recepta a Pichena. Ern.

*Senatus Populique*] Sic correximus hunc locum, in quo vulgo erat *in Senatus—sacramenta adv.* (ut in Bud.) At sic legendum conjecerat J. Gron. quod *in* a Flor. aberat. Quod dedi, plane est in ed. pr. Paullo post e *suggestu* volebat Groslotius: idemque in mentem venit Ryckio. Ern. Bene: non puto unquam *suggestu* simpliciter sine præpos. dictum.

*Socordia innocens*] Boxhornius *inter*

nius Receptus, Donatius Valens, Romilius Marcellus, Calpurnius Repentinus, cum protegerent Galbæ imagines, inpetu militum abrepti vinctique. Nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti; sed, quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Nocte, quæ Kal. Januarias secuta est, in coloniam Agrippinensem aquilifer quartæ legionis epulanti Vitellio nuntiat "quartam et duodevicesimam legiones, projectis Galbæ imaginibus, in Senatus et Populi Rom. verba jurasse." Id sacramentum inane visum: occupari "nutantem Fortunam et offerri Principem," placuit. Missi a Vitellio ad legiones Legatosque, qui "descivisse a Galba superiorem exercitum," nunciarent: "proinde aut bellandum adversus desciscentes, aut, si concordia et pax placeat, faciendum Imperatorem: et minore discrimine sumi Principem, quam quæri."

LVII. Proxima legionis primæ hiberna erant, et promptissimus e Legatis Fabius Valens. Is die postero coloniam Agrippinensem cum equitibus legionis auxiliariorumque ingressus, *Imperatorem* Vitellium consalutavit. Secutæ ingenti certamine ejusdem provinciæ legiones: et superior exercitus, speciosis Senatus Populique Romani nominibus relictis, III Nonar. Januarias Vitellio accessit: scires illum priore biduo non penes Rempublicam fuisse. Ardorem exercituum Agrippinenses, Treveri, Lingones æquabant, "auxilia, equos, arma, pecunias" offerentes, ut quisque corpore, opibus, ingenio validus. Nec principes modo coloniarum aut

*nocentes* corrigit. Si quid mutandum, vellem *socordia nocens*. GRON. In vulgato intellige *sola*: hoc nomine tantum innocens fuit, quod nihil egit contra Galbam: sed Gronoviana correctio melior. ERN.

*Romilius*] MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Puteol. *Romulus*, c. 59. ed. pr. *Romulius*, ut Beroald. ERN.

*In coloniam Agr.*] Incuria operarum in ed. J. F. Gron. hic aliquid turbavit. Nam nota Pichenæ hinc translata ad c. 57. init. verba *Coloniam Agripp.* in qua se dicit e Flor. addidisse *in*. Hinc Ryckius negat notatam esse in collatione sua præpositionem: J. Gronovius confirmat contra Ryckium. Sed de diversis locis loquuntur. ERN.

*Occupari nutantem Fortunam*] Recte: est qui malit, *invitantem*. LIPS. Sed, quid est *nutans fortuna*, quæ *occupetur*? neque innuens, neque labans: sed dubitans, quo se vertat: quo sensu *nutare* dici, hodie etiam lexica docent: et cui verbum *occupandi* egregie convenit. *Fortuna nutans* laudatur e Liv. 21, 44. Sed ibi est in bonis libris *fortuna dubitabit*: et sic editum est a Drakenborchio, ne varietate quidem ulla lectionis notata. Mox *aut* post *proinde* abest a MS. Oxon. ERN.

*Die postero*] Flor. Agr. ed. pr. *proximo*. De equitibus legionum alio loco dictum ad Annales. ERN. Bud. *postero*.

*Secutæ ingenti certamine*] Hispanus liber (et Bud.) *ingenti agmine*. LIPS.

*Corpore, opibus, ingenio validus.*] Cur hic de ingenio; aut quis ejus usus? nisi forte ad orandum, aut impellendum. LIPS. *Ingenio* etiam Acidalium et Pichenam offendit: vix credo, verum esse. Nam, si quis quærat, quis vero corporis usus in tali re? nempe, quia et ipsi operam militarem navare volebant. ERN. De Pichena, nego. Is potius intelligit senes, invalidos saltem consiliis et concionibus populares suos accendisse.

*Principes colon. aut castrorum*] Illi sunt Decuriones, etiam ditiores: hi signiferi, aquiliferi, optiones etc. ut recte Savillius. ERN.

castrorum, quibus præsentia ex adfluenti et parta victoria magnæ spes: sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, insignia armorum argento decora, loco pecuniæ tradebant; instinctu et inpetu et avaritia.

LVIII. Igitur, laudata militum alacritate, Vitellius, ministeria Principatus, per libertos agi solita, in Equites Romanos disponit: vacationes Centurionibus ex fisco numerat: sævitiam militum, plerosque ad pœnam exposcentium, sæpius adprobat, partim simulatione vinculorum frustratur. Pompeius Propinquus, Procurator Belgicæ, statim interfectus. Julium Burdonem, Germanicæ classis Præfectum, astu subtraxit. Exarserat in eum iracundia exercitus, tamquam crimen ac mox insidias Fonteio Capitoni struxisset. Grata erat memoria Capitonis: et apud sævientes occidere palam, ignoscere non nisi fallendo, licebat. Ita in custodia habitus; et post victoriam demum, stratis jam militum odiis, dimissus est. Interim, ut piaculum, objicitur Centurio Crispinus, qui se sanguine Capitonis cruentaverat: eoque et postulantibus manifestior et punienti vilior fuit.

LIX. Julius deinde Civilis periculo exemptus, præpotens inter Batavos, ne supplicio ejus ferox gens alienaretur. Et erant in civitate Lingonum octo Batavorum cohortes, quartædecimæ legionis auxilia, tum discordia temporum a legione digressæ, prout inclinassent, grande momentum sociæ aut adversæ. Nonium, Donatium, Romilium, Calpurnium, Centuriones, de quibus supra retulimus, occidi jussit, damnatos fidei crimine, gravissimo inter desciscentes. Accessere

*Ex adfluenti*] Græca forma loquendi, pro affluenter. In præsens copiosi erant. Mox Groslotius volebat *ex parta*, hoc quoque sine necessitate. ERN. V. et infra 2, 84.

*Pari simulatione vinculorum frustratur*] Manifestum mendum: quo enim illud, *pari*, referetur? Tu vel meo periculo lege, *partim*. Sævitiæ militum, inquit, sæpe indulget, et ad pœnam iis plerosque largitur: quosdam simulatione vinclorum subtrahit. Prisca lectio suffragatur huic correctioni, quæ præfert, *parum*; ex quo, *pari*, emendasse fatetur Rhenanus. *Partim* autem solitarjum sæpe poni nec geminari semper, notius est, quam ut ostendam. LIPS. Recepit Pichena et sic jam voluit Faernus. *Pari* MS. Guelf. (Bud.) Videtur in hoc loco respici ad factum Othonis c. 45. extr. *Parum* edd. ante Rhen. *Partim* verum est. ERN.

*Stratis jam militum odiis*] Restituimus in locum suum vetus *stratis*, quo nihil elegantius, idque juvimus exemplis Observ. 3, 22. GRON. Nempe Freinsh. receperat *satiatis*, e conjectura. *Stratis* MSS. (Bud.) Guelf. Agr. edd. omnes, præter Freinsh. quem miror cum Rhenano in hac voce hæsisse: cum nihil sit frequentius apud Poetas *strato mari*, *fluctu*, forma loquendi, ducta a Græcis. ERN. Rhen. conjectabat *frustratis jam mil. animis*.

*Qui se sanguine*] Absunt *qui se* a Flor. (Agr.) et ed. pr. Jac. Gronov. placet: *sanguine C. se cruentaverat*. Vulgatum verum, et vitio librarii *qui se* excidisse puto. ERN. Bud. habet.

*Jul. Civilis*] Is infra 4, 13. *Cl. Civilis*. Forte integrum nomen *Cl. Jul. Civilis*.

*Grande momentum*] Justini illud simile est 17, 2. *Ingens momentum futurus, utri parti accessisset*. Lucanus 4, 819. *Momentumque fuit, mutatus Curio, rerum*. LIPS.

partibus. Valerius Asiaticus, Belgicæ provinciæ Legatus, quem mox Vitellius generum adscivit: et Junius Blæsus, Lugdunensis Galliæ rector, cum Italica legione et ala Taurina, Lugduni tendentibus. Nec in Rhæticis copiis mora, quo minus statim adjungerentur. Ne in Britannia quidem dubitatum.

LX. Præerat Trebellius Maximus, per avaritiam ac sordes contemptus exercitui invisusque. Accendebat odium ejus Roscius Cælius, Legatus vicesimæ legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius "seditionem et confusum ordinem disciplinæ" Cælio; "spoliatas et inopes legiones" Cælius Trebellio objectabat: cum interim fœdis Legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta, eoque discordiæ ventum, ut auxiliarium quoque militum conviciis proturbatus, et, adgregantibus se Cælio cohortibus alisque, desertus Trebellius ad Vitellium perfugerit: quies provinciæ, quamquam remoto Consulari, mansit: rexere Legati legionum; pares jure, Cælius audendo potentior.

LXI. Adjuncto Britannico exercitu, ingens viribus opibusque Vitellius, duos Duces, duo itinera bello destinavit. Fabius Valens "adlicere, vel, si abnuerent, vastare Gallias, et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere;" Cæcina "propiore transitu, Peninis jugis degredi" jussus. Valenti inferioris exercitus electi, cum aquila quintæ legionis et cohortibus alisque, ad XL millia armatorum data: XXX millia Cæcina e superiore Ger-

*Valerius Asiat.*] Forsan filius ejus de quo 11, 1 sq.

*Junius Blæsus*] Filius ejus, cujus mentio A. 1, 19. Bud. *ut Junius Blæsus.*

*Ala Taurina*] MS. Guelf. edd. vett. *Tauriana.* Ern. Bud. *Taurina.*

*Trebellius Maximus*] De hoc v. 14, 46.

*Atrocius proruperat*] Sic MSS. Flor. a man. pr. Guelf. ed. pr. Editi ceteri (et cod. Bud.) *proruperant:* tamquam ad utrumque pertineret. Verbum *discors* mox præcedens satis indicat, de uno Cælio sermonem esse. Et sic placebat etiam J. Gronovio. Ern.

*Conviciis proturbantibus*] Priscæ editiones *proturbatus:* quas sequor. Lips. *Proturbantibus* est a Rhen. (e Bud.) *Proturbatus* etiam Guelf. (Flor.) ed. pr. Mox *perfugerit*, rectius *perfugeret.* Ern. Agr. *profugerit.*

*Cottianis Alpibus*] MS. Guelf. edd. pr. Puteol. *quottidianist* vitiose. Beroaldus edidit *Cottianis.* Ern. Bud. *Cotianis.* C. 27. dicit *Cottias.*

*Peninis jugis*] Ita scribendum ubique, auctore Livio, qui negat eas Alpes sic dici, quod Annibal Pœnus ea transmiserit, sed a jugo excelsi montis, quod Penum incolæ dicunt. Fidem ei notæ etiam nostra lingua hodie facit, qui excelsa omnia et in acutum fastigiata pennas vocamus sive pinnas. Lips. Add. Cent. 1. ad Belg. ep. 93. et viros doct. ad Liv. 21, 38. Mox *degredi* recte Rhenanus dedit. Vid. ad A. 4, 49. Add. Gronov. ad Melam 2, 45. Ern.

*Cum aquila quintæ legionis*] Vatic. habet, *aquilex quintæ*, e quo legendum esse, *aquilax quintæ*, aut si magis placet, *quintædecimæ*, ego censebam. Lips. Vulgatum est in Flor. (Bud.) Guelf. edd. omnibus, præter pr. in qua est *aquilex*, ut in Vatic. Ern.

*E sup. Germania*] Ex h. l. collato cum H. 4, 70. Perrecior docet, superiorem Germaniam, ad Alpes usque protensam, Helvetiam quoque comprehendisse. Legio XXI, Vindonissa cognominata, ibi stationem habebat. Cf. Grandidier Hist. de la Prov. d'Alsace t. 1, p. 169.

mania ducebat, quorum robur legio una, prima et vicesima, fuit: addita utrique Germanorum auxilia, e quibus Vitellius suas quoque copias supplevit, tota mole belli secuturus.

LXII. Mira inter exercitum Imperatoremque diversitas. Instare miles, arma poscere, "dum Galliæ trepident, dum Hispaniæ cunctentur: non obstare hiemem neque ignavæ pacis moras: invadendam Italiam, occupandam urbem: nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consulto opus esset." Torpebat Vitellius, et fortunam Principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumebat, medio diei temulentus et sagina gravis: cum tamen ardor et vis militum ultro Ducis munia inplebat, ut si adesset Imperator, et strenuis, vel ignavis spem metumque adderet. Instructi intentique "signum profectionis" exposcunt. Nomen *Germanici* Vitellio statim additum: *Cæsarem* se adpellari etiam victor prohibuit. Lætum augurium Fabio Valenti exercituique, quem in bellum agebat, ipso profectionis die, aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ, prævolavit: longumque per spatium is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, ut haud dubium magnæ et prosperæ rei omen acciperetur.

LXIII. Et Treveros quidem, ut socios, securi adiere. Divoduri (Mediomatricorum id oppidum est) quamquam omni comitate exceptos subitus pavor exterruit, raptis re-

*Legio una, prima et vicesima*] Distinctione locum juvi. Nec tamen nunc abnuo, quin glossematium hic sit, scribendumque, *una et vicesima.* (ut c. 67.) LIPS. *Una, pr. et vic.* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. Freinshemius recepit alteram Lipsii conjecturam, illud restituit Ryckius. Sed mihi tamen *una et vicesima* placet. Adde ad 4, 78. ERN. Probat et Lall. Mihi in voce *una* emphasis esse videtur. In omnibus istis copiis *una* fuit legio, quæ omnium robur.

*Instructi intentique*] MS. Guelf. (et Bud.) *interritique*: item edd. Puteol. Beroald. Alc. sqq. Lipsius edidit *intentique*; recte: solent enim hæc duo verba jungi in hac re. ERN.

*Nomine Germanici .. addito*] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. omnes. At MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *nomen additum*: quod melius puto. Estque initium novæ sententiæ. Quia et in aliis MSS. ap. Broterium est, recepi cum ipso. ERN.

*Cæsarem se etc.*] Ægyptium tamen nummum cum elogio *Cæsaris* exhibet Pellerin in Mêlange t. 1. tab. 13. Vid. Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 4. p. 56. et vol. 6. p. 309. Cf. et infra 2, 62. et 3, 58. et Suet. c. 8.

*In bellum agebat*] Sic Flor. ed. pr. Pich. et seqq. *Cogebat* Guelf. (Bud.) edd. cet. Mox *leni meatu* recte edidit Pichena. MSS. (in his Bud. et Agr.) et edd. ante omnes *levi*: quæ verba sæpe confunduntur. ERN.

*Divoduri*] Sic edd. pr. Rhen. sqq. Guelf. cett. edd. ante Rhen. male *Dinodurium* vel *Dinodrium*. ERN.

*Subitus pavor exterruit*] Sic edd. omnes præter J. Gron. qui e Flor. edidit *terruit*, quod est et in (Bud. et) Guelf. At in hac formula et hoc sensu *exterrere* est verbum legitimum. Sensus enim est: subita consternatio invasit milites, ut arma raperent et cædem facere inciperent. Consternatio autem et pavor non de timore, sed perturbatione quadam repentina mentis et furore accipi debent: qui cum incessit animos, *exterriti* dicuntur, i. e. efferati. Virgil. non uno loco sic dixit et cum *efferus* permutavit. Vid. etiam Burm. ad Georg. 3, 534. Itaque non sustinui Gronovium imitari. Mox ed. pr. *cupidine*: quod recte jam e MS. Agr. recepit Ryckius. Vulg. *cupidinem*. ERN. Editiones non utique omnes habent *exterruit*, Puteol. *terruit*. Sic et cod. Bud. idem *cupidinem*. Acidalius jam emendarat *cupidine*.

pente armis ad cædem innoxiæ civitatis: non ob prædam aut spoliandi cupidine, sed furore et rabie et caussis incertis, eoque difficilioribus remediis; donec, precibus Ducis mitigati, ab excidio civitatis temperavere: cæsa tamen ad quatuor millia hominum. Isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universæ civitates cum Magistratibus et precibus occurrerent, strátis per vias pueris feminisque; quæque alia placamenta hostilis iræ, non quidem in bello, sed pro pace, tendebantur.

LXIV. Nuntium de cæde Galbæ et Imperio Othonis, Fabius Valens in civitate Leucorum accepit. Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus: bellum volvebat. Gallis cunctatio exempta, et in Othonem ac Vitellium odium par, ex Vitellio et metus. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus: benigne excepti, modestia certavere; sed brevis lætitia fuit, cohortium intemperie, quas, a legione quartadecima, ut supra memoravimus, digressas, exercitui suo Fabius Valens adjunxerat. Jurgia primum: mox rixa inter Batavos

*Raptis repente armis*] Flor. habet, *raptisve*, forte, *raptisque*. FICHENA. Non hic locus est copulativæ: sed, si non omnino incassum sunt inculcatæ literæ, significant: *raptis derepente*. GRON. Bud. *raptis repente*. Sic et Agr.

*Cum Magistratibus et precibus*] Hæc verba absunt a MS. Guelf. male. (non a Bud.) Etiam alibi Magistratus et Sacerdotes occurrisse hosti traduntur. *Et precibus* etsi tolerari posse et explicari scio, tamen mihi suspecta sunt, et e superioribus huc forte tracta. Nam supplicia in sequentibus insunt, nec solent in hac re commemorari; nisi aliud quid in iis latet. ERN.

*Pueris feminisque*] Flor. Agr. Bud. *feminis puerisque*.

*Placamenta iræ*] i. e. infulæ et velamenta c. 66. Adde Cic. Verr. 4, 50. ubi *infulæ et verbenæ*. Ovid. A. A. 2, 401. *vittæ et lauri*. Verbenæ s. lauri sunt velamenta. Sed MS. Agr. ed. pr. *tendebant*: quod non spernam. In passivo forte dixisset *tenduntur*: ut supra pro *sectabantur* editum *sectantur* i. e. *sectari solent*. ERN. Bud. *tendebantur*. Acid. malebat *tentabantur*.

*Non quidem in bello*] Locus obscurus, sed illustro (si tamen sincerus). Erant preces et supplicia, ut in bello: neque bellum erat, sed tamen timebant hostilia, et pacem sic orabant. LIPS. Adde Græv. ep. ad Heins. T. 4. coll. Burm. p. 175. et Heins. ibid. p. 187. ERN.

*Nec militum animus etc.*] Primo *formidine* ed. pr. In edd. Gronoviorum notula sub nomine Rhenani, eandem lectionem attribuit MS. Budensi. Sed ea non est Rhenani, sed Ursini, ut opinor. Eam lectionem defendere licet Taciti studio variandæ orationis. In ed. pr. etiam *in gaudio*, vitiose. Operæ conformare hanc vocem sequenti volucre. Deinde Grævius epist. ad Heins. l. c. p. 158. corrigebat: *permotus*. *Bellum volebant*. Heinsius autem p. 163. defendit vulgatum ex A. 3, 38. Add. p. 494. ubi distinctionem Grævii probat, non correctionem verbi. Ipse dein Græv. concedit de verbo, ceterum, ut Heinsio placebat, *volvebant* legendum: quod mihi quoque videtur. Distinctionem quidem Grævii recipere non dubitavi. Vitium ortum est ex eo, quod librarii *permotus* pro participio habebant, quod a *volvebat* penderet. ERN. Quod de cod. Bud. et nota Rhenani adfertur, omnino sic se habet; nec ista ad Ursinum spectat. Dein Bud. *volvebat*.

*Ut supra memoravimus*] c. 59.

*Jurgia primum*] *Jurgio* e conjectura edidit Freinsh. (ut H. 2, 27.) quem Gronovii secuti sunt. Stil. quod *exarsere* non convenit jurgiis et rixæ, sed cohortibus. Sed Ryckius *jurgia* revocavit, quod omnes scr. (etiam Bud.) et edd. habent. Neque opus est correctione, modo sic interpungatur locus, ut a nobis factum est. *Primum jurgia* sc. erant, nihil amplius: sed ea exarsere in rixam, qua ita irritati sunt animi, ut res ad arma et vim spectaret. Locus similis est ap. Liv. 10, 23. *brevis altercatio* etc. ERN.

et legionarios, dum his aut illis studia militum adgregantur, prope in prœlium exarsere; ni Valens animadversione paucorum oblitos jam Batavos imperii admonuisset. Frustra adversus Æduos quæsita belli caussa: jussi "pecuniam atque arma deferre," gratuitos insuper commeatus præbuere: quod Ædui formidine, Lugdunenses gaudio fecere. Sed legio Italica et ala Taurina abductæ. Cohortem duodevicesimam Lugduni, solitis sibi hibernis, relinqui placuit. Manlius Valens, Legatus Italicæ legionis, quamquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit: secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum et, quo incautior deciperetur, palam laudatum.

LXV. Veterem inter Lugdunenses Viennensesque discordiam proximum bellum accenderat: multæ invicem clades, crebrius infestiusque, quam ut tantum propter Neronem Galbamque pugnaretur. Et Galba reditus Lugdunensium, occasione iræ, in fiscum verterat: multus contra in Viennenses honor: unde æmulatio et invidia et uno amne discretis con-

*Lugdunenses gaudio fecere*] Caussa gaudii, quod Vitellium bello petere putabant eum, qui contra Neronem fecisset, ab eoque defecisset, seque incommodis affecisset. V. c. 65. ERN.

*Cohortes octodecim Lugduni*] At tot cohortes mihi relinqui non placet. Cur enim, cum undique miles conquiratur, et eo ad aciem opus, in uno eoque amico oppido, impositæ tot cohortes? Sed ait etiam vetera et solita tot cohortibus hiberna fuisse: quod falsum. Unica enim dumtaxat jam olim Lugduni cohors: e Taciti A. 3, 41. *Andegavos Acilius Aviola excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit.* Manuscriptos igitur meos audio, et hic *cohortem decimamoctavam* repono. Vox etiam *Lugduni*, supervacua videtur, et velut interpretamentum inserta. LIPS. Verum vidit Lipsius. In Flor. *cohortem XVIII Lugduni.* Agr. *cohortem decimamoctavam.* (Non ita sed *duodevicesimam* totidem literis exhibet, teste Ryckio). Ed. pr. *octavam decimam. Lugduni* porro non est in MS. Oxon. Tum *sibi*, quod pro *ibi* volebat Acidalius, Flor. Agr. Guelf. ed. pr. Puteol. Beroald. Alc. Primum in ed. Rhen. reperi *ibi*: quod vitio operarum irrepsit, alias, si libri firmarent, non spernendum. Vid. ad c. 70. *Sibi* restituit Pichena. De castris Lugdunensibus v. Marcam de Primat. Lugd. p. 290. sq. ERN. *Ibi* legitur in Bud. inde Rhen.

*Secretis eum cr.*] *Eum* commodius abesset. Sed pronomina talia interdum etiam a brevitatis studiosis admittuntur, ut ad Suetonium notavimus. ERN.

*Veterem discordiam*] De qua vid. Dionis Epit. 46. quem locum jam laudavit Ryckius. Mox *redditus* pro *reditus* Guelf. Puteol. quod præferebat Danesius. Male. ERN. Vitiosa scriptura *redditus* medium ævum sapit, quo sic in usu. Sic et Bud.

*Multus c. i. Viennenses honor*] Hinc factum putat Marca 1. c. ut ordine civili Vienna Lugduno præponeretur, ut in inscriptione epistolæ ap. Euseb. H. E. 5, 1. ERN. Lugdunum fuit colonia juris Romani; Vienna Italici. Cf. Laccary hist. colon. p. 192. et Brot. ad h. l.

*Unde æmulatio etc.*] Auctor des Antiquitez de Lyon p. 273. has caussas non agnoscit, et alias adfert. ERN.

*Et uno amne discretis connexum odium*] Quamquam amne discreti a natura erant, tamen odiis incensi, quasi tollebant fines naturæ, et conjungebant disjuncta. An habuit in animo locum Horat. Carm. 1, 3, 21. Sed tamen ad meum sensum acumen sententiæ non est, nisi in lusu verborum. Etiam τὸ *uno* non satis concoquo. An, quia uno tantum amne discreti, propterea se oderunt, velut nullo tali naturæ opere sejunctos. An fuit *Rhodano*? vel *magno*. Sed quid argutamur? Ipsi, qui ista acumina captant, sæpe non possent plane explicare, ut opinor, argutias suas, quæ fere auditæ placent, non intellectæ. ERN.

nexum odium. Igitur Lugdunenses exstimulare singulos militum, et in eversionem Viennensium inpellere, "obsessam ab illis coloniam suam, adjutos Vindicis conatus, conscriptas nuper legiones in præsidium Galbæ" referendo: et, ubi caussas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ ostendebant. Nec jam secreta exhortatio, sed publicæ preces: "Irent ultores, exscinderent sedem Gallici belli: cuncta illic externa et hostilia: se coloniam Romanam et partem exercitus et prosperarum adversarumque rerum socios: si fortuna contra daret, iratis ne relinquerentur."

LXVI. His et pluribus in eundem modum, perpulerant, ut ne Legati quidem, ac Duces partium restingui posse iracundiam exercitus arbitrarentur; cum haud ignari discriminis sui Viennenses, velamenta et infulas præferentes, ubi agmen incesserat, arma, genua, vestigia prensando, flexere militum animos. Addidit Valens trecenos singulis militibus sestertios: tum vetustas dignitasque coloniæ valuit, et verba Fabii, salutem incolumitatemque Viennensium commendantis, æquis auribus accepta: publice tamen armis mulctati, privatis et

Hæc et mox sequentia boni Ernestii otiosa prorsus, ut bene Bip.

*Referendo*] Gruterus venustiorem fore orationem putabat, si hoc verbum abesset. Credo. Sed idem credo, hanc vocem esse a Tacito, qui sibi in brevitate non constat, ut sæpe vidimus, et in tali narratione fere gerundium tale aut participium addit. ERN.

*Se coloniam Romanam*] Quid ergo? non etiam Vienna inter Romanas colonias? Vero pridem. Vel Claudio Imperatori credamus in Oratione, quam pro Gallis habuit: *Ornatissima ecce valentissimaque colonia Viennensium, quam longo jam tempore Senatores huic Curiæ confert!* Sed et noster statim, de eadem: *Tum vetustas dignitasque coloniæ valuit.* Equidem haud satis hæc concilio. Nisi si Viennenses prisci, id est, Allobroges, sive Galli, donati colonico jure, etsi militibus aut Romanis civibus non deductis; Lugdunum autem contra magnam partem Romanis familiis stetit. Nam et hic externos immixtos, Dio suadet 46, 50. LIPS. Simplicius ac forte melius Boxhornius: se vere coloniam Rom. dignos hoc nomine: nam præcesserat: *illic externa et hostilia.* ERN.

*Si fortuna contra daret*] MS. Agr. *contra cederet.* ed. pr. *contra diceret:* male. In eadem, mira corruptela, pro *prosperarum* editum *persarum.* ERN. Cf. A. 15, 13.

*Ut nec Legati quidem ac Duces*] Vitium frequens nimis. Lege: *ut ne Legati quidem ac Duces.* Sic et l. 2, 76. et 4, 38. GRON. Mox *sui* abest a Guelf. in margine a manu sec. additur. Et quis neget commode abesse posse? potuitque nasci ex ultima litera præcedentis et prima syllaba sequentis verbi. ERN. In capite hujus notæ *togati* pro *legati* quomodo in editiones Gronovianas inrepserit, non video. Manifestus est error, quem Ernesti servare non debebat; delevi. Bud. *nec:* item *sui.*

*Velamenta*] V. ad c. 63. In *prensando*, eadem in libris varietas, quæ supra: nisi quod Flor. (et Bud.) clare *prensando*, ex quo factum *pressando*, quod est in MS. Agr. ed. pr. ut alibi et in Flor. ERN.

*Tricenos singulis militibus sestertios*] Liber Hispanus (et Bud.) *trecenos*, quod verius. Nam prius illud non congiarium sit, sed heminarium: ut quidam jocabatur. *Treceni HS.* sunt nobis, septem Philippici et semis. LIPS. Atque ita habent MSS. Flor. Agr. Ab ed. pr. plane abest. ERN.

*Vetustas dign. col.*] Nam et Claudius in Orat. pro Gallis *ornatissimam et valentissimam coloniam* vocat. Sed ea habebat jus colonicum, etsi civibus Rom. eo non deductis, cum Lugduni contra multæ Romanæ familiæ, ut docet P. de Marca de Primat. Lugd. p. 288. ERN. Agr. *vetusta dignitas col.*

promiscuis copiis juvere militem. Sed fama constans fuit, "ipsum Valentem magna pecunia emptum." Is diu sordidus, repente dives, mutationem fortunæ male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus inmoderatus, et, inopi juventa, senex prodigus. Lento deinde agmine, per fines Allobrogum et Vocontiorum ductus exercitus: ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante Duce, fœdis pactionibus adversus possessores agrorum et Magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco (municipium id Vocontiorum est) faces admoverit, donec pecunia mitigaretur: quotiens pecuniæ materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur. Sic ad Alpes perventum.

LXVII. Plus prædæ ac sanguinis Cæcina hausit. Inritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, et Vitellii imperium abnuentes. Initium bello fuit avaritia ac festinatio unaetvicesimæ legionis: rapuerant pecuniam, missam in stipendium castelli, quod olim Helvetii suis militibus ac stipendiis tuebantur: ægre id passi Helvetii, interceptis epistolis, quæ nomine Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, Centurionem et quosdam militum in custodia retinebant. Cæcina, belli avidus, proximam quamque culpam, antequam pœniteret, ultum ibat: mota propere castra: vastati agri: direptus longa pace in modum municipii exstructus locus, amœno salubrium aquarum usu frequens: missi ad Rhætica auxilia nuntii, ut versos in legionem Helvetios a tergo adgrederentur.

*Accensis eg. longa cup.*] Sic scr. (in his Bud.) et edd. at Guelf. a man. sec. *accenseus*, ob interpunctionem post *longa*, quæ a pr. man. est. Vulgatum verum est. ERN.

*Luco*] Augusti scilicet. Plin. 3, 5.

*Pecuniæ materia*] Non intelligam occasionem, prætextum postulandæ: sed facultatem dandæ: ubi non posset pecunia ob inopiam dari. Copula ante *stupris* abest a Flor. ed. pr. recteque delevit Pichena, ut dudum voluerant viri docti. (Faernus, Acid.) ERN. Bud. copulam habet.

*Olim armis*] Sic recte correxit Rhen. Ante edd. omnes, Guelf. (Bud.) *Sali in armis*. ERN.

*Clara*] Sic Bud. male ex Agr. *clari* probat Heinsius.

*Festinatio undevicesimæ legionis*] Ut supra narravit, Cæcina unicam legionem habuit, eamque XXI. Quis igitur hæreat, quin hic scribendum *unaetvicesimæ*? Didici postea sic esse in Flor. LIPS. Guelf. a pr. man. *unius et vic.* Ed. pr. (et cod. Bud.) *unde et vic.* quod factum ex *una et vie.* facile patet. Mox *rapuerant* Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. omnes. In hujus ed. irrepsit, vitio operarum, *rapuerunt*, idque propagatum. Vetus restituit Pichena. ERN.

*Retinebant*] Agr. *detinebant*. Heinsio placet.

*Proximam quamque culpam*] Heinsius corrigebat *proximum quemque culpæ*. Placet Grævio T. 4. ep. Coll. B. p. 505. Si ad singulorum pœnam pertinet, rectum est. Sed ad id non opus bello, nec ad puniendos Duces. Quod idem ad Valer. Fl. 3, 392. porro corrigit *aut pœnitentiæ*, merito improbat J. Gron. ERN. Hæc verba *aut pœnitentiæ* non leguntur in loco Burmanni.

*Direptus longa pace*] Intelligitur oppidum Badena in pago Tigurino, quod nomen ab aquis salubribus accepit. ERN. Heinsius ad Vell. 2, 115. pro *locus* legi vult *vicus* ut A. 1, 20. Sic mox pro *arma noscere* velit *poscere*, ut 6, 34. 12, 35.

LXVIII. Illi, ante discrimen feroces, in periculo pavidi, quamquam primo tumultu Claudium Severum Ducem legerant, non arma noscere, non ordines sequi, non in unum consulere: exitiosum adversus veteranos prœlium, intuta obsidio, dilapsis vetustate mœnibus: hinc Cæcina cum valido exercitu; inde Rhæticæ alæ cohortesque et ipsorum Rhætorum juventus, sueta armis et more militiæ exercita: undique populatio et cædes: ipsi in medio vagi, abjectis armis, magna pars saucii aut palantes, in montem Vocetium perfugere. Ac statim, inmissa cohorte Thracum, depulsi, et, consectantibus Germanis Rhætisque, per silvas atque in ipsis latebris trucidati: multa hominum millia cæsa, multa sub corona venundata. Cumque, dirutis omnibus, Aventicum, gentis caput, justo agmine peteretur, missi, qui dederent civitatem: et deditio accepta. In Julium Alpinum, e principibus, ut concitorem belli, Cæcina animadvertit: ceteros veniæ vel sævitiæ Vitellii reliquit.

LXIX. Haud facile dictu est, legati Helvetiorum minus placabilem Imperatorem, an militem invenerint: "civitatis excidium" poscunt, tela ac manus in ora Legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat: cum Claudius Cossus, unus ex Legatis, notæ facundiæ, sed dicendi artem apta trepidatione occultans atque eo validior, militis animum mitigavit: ut est mox vulgus mutabile subitis et tam

*Adv. veteranos*] Intellige veteres milites ad differentiam tironum. Sic et alibi. V. index.

*In montem Vocetium*] Quidam libri, *Vocetum*. And. Schottus noster *Vogesum* reponebat. Quem fateor non quidem in Helvetiis esse, sed nec longe ab iis. Certe Vocetii non alibi mentio. LIPS. *Vocetium* Flor. Agr. Guelf. edd. pr. vett. quas inspexi. Putant esse partem Juræ, quæ hodie *Bazberg* vocatur. ERN. Bud. male *Vocensium*. Mons *Vocetius* pars asperrima est Jurassi. Cf. Cellar. G. ant. t. 1. p. 226. et D'Anville notice de la Gaule p. 714. Frickianæ valli inminet. V. Büsching. Male ergo Ortelius apud nostrum parabat *Vogesum* reponere.

*Cumque dirutis omnibus*] Flor. (Reg. Lall.) Agr. ed. pr. *dirutis*. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. Beroald. etc. *diruptis*. Lipsius tacite edidit *direptis*, nescio unde: quod omnes secuti sunt. *Dirutis* defendit J. Gronovius, et commodum sensum habet. Heinsius ad Vellei. 2, 115. etiam *dirutis vicis omnibus*: quod non necessarium puto. Si *direptis* libris scriptis firmaretur, servassem. Nunc antiquam et MSS. lectionem restitui. *Diruptus* factum e *dirutus*, cui sæpe in libris substituitur male. V. Drakenb. ad Liv. 9, 45. Gebhard. ad Cic. ep. 4, 5. ERN. Pichena τὸ *direptis* probat.

*Aventicum*] Hodie Gallis dicitur *Avenches*. Vid. Cellar. G. A. t. 1. p. 223. de qua extat elegans Wildii libellus. ERN. Sub Constantino jam deserta, teste Ammiano 15, 11. Pristini splendoris hodieque vestigia extant, de quibus v. Schmidt. Rec. d'Antiq. trouvées à Avenches etc. 4. Berne 1760. et Ritter Mém. et recueil de qqs. Antiq. de la Suisse. 4. Berne 1788.

*Claudius Cossus*] MS. Oxon. *Cornelius Cossus*: quod placebat J. Gronovio. Sane *Cossus* est cognomen Corneliorum, non Claudiorum. Idque et ipse verum puto. ERN.

*Apta trepid.*] In Bud. *apta* deest.

*Ut est mos vulgo: mutabile etc.*] Sic locum e libris restituimus. *Mutabile* MSS. Agr. Bud. (Reg. Lall.) ed. pr. Ex eo *mutabilem* factum, quod ad *animum* referebant, cum ad *vulgus* pertineret. Atque hinc necessarium visum Freinshemio mox corrigere *immodicus*, quod

pronum in misericordiam, quam inmodicum sævitia fuerat: effusis lacrimis, et meliora constantius postulando, inpunitatem salutemque civitati inpetravere.

LXX. Cæcina paucos in Helvetiis moratus dies, dum sententiæ Vitellii certior fieret, simul transitum Alpium parans, lætum ex Italia nuntium accipit, "alam Silanam, circa Padum agentem, sacramento Vitellii accessisse." Proconsulem Vitellium Syllani in Africa habuerant: mox a Nerone, ut in Ægyptum præmitterentur, exciti, et ob bellum Vindicis revocati, ac tum in Italia manentes, instinctu Decurionum, qui Othonis ignari, Vitellio obstricti, robur adventantium legionum et famam Germanici exercitus adtollebant, transiere in partes: et, ut donum aliquod novo Principi, firmissima Transpadanæ regionis municipia Mediolanum ac Novariam et Eporediam ac Vercellas, adjunxere: id Cæcinæ per ipsos compertum. Et, quia præsidio alæ unius latissima pars Italiæ defendi nequibat, præmissis Gallorum Lusitanorum Britannorumque cohortibus et Germanorum vexillis, cum ala Petrina, ipse paullulum cun-

ipse et Gronovii edidere: atque ipse secutus essem, si libri in *mutabilem* consentirent. Sed interpunctione locus erat juvandus. Ita plana et apta omnia. Vulgus mutabile est subitis in utramque partem. Rhenanus hoc non advertens, fecit *mutabili* et *prono*, quod omnes usque ad Freinsh. secuti sunt. Ryckius e MS. suo (Agr.) edidit: *ut est mox vulgus*. Sed illud *mox* friget. ERN. Bud. *ut est mox vulgo mutabile*. Unde pronum est emendare cum Agr. *ut est mox vulgus*: quod post Ryckium recipio cum Bip.

*Meliora constantius postulando*] Lipsius et Acidalius *molliora* conjecere, quod est verbum usitatum in tali re: *molliora consulta, mollius consulere*, Livius 3, 59. 30, 7. Noster A. 12, 46. *molliora respondens*. Et infra 4, 32. pro vulgato *meliora* e libris *molliora* restituit Pich. Sed et *meliora* ferri posse puto. Notum illud, *Di meliora!* ERN.

*Accipit*] Alter Flor. et Bud. *accepit*.

*Alam Syllanam*] Si vera scriptura, præfectum *Syllam* habuit. Sed MS. Agr. (Bud.) ed. pr. habent *Silanam* hic et alibi: quod melius videtur quibusdam. At esse deberet *Silanianam*. Certe mox *Silaniani*: quamquam in his formis non sunt satis constantes scriptores. ERN. Bip. emendant *Silianam*, forsan a Silio Italico dictam, de quo H. 3, 65.

*Revocati*] Sic MSS. edd. vett. ante Rhen. quem omnes præter Ryckium secuti, *remorati* edidere. Vetus cum Ryckio restituimus. Supra c. 6. *opprimendis Vindicis cœtis revocaverat*. ERN. Bud. *remorati*.

*In Alpe Graia ipse*] Male huic loco esse jurem apud omnes Censores. Pugnat historia, pugnant libri. De historia, quid certius quam Cæcinam non Graio monte sed Penino in Italiam venisse? Tacitus supra 61. *Cæcina propiore transitu Peninis jugis digredi jussus*: et paullo infra: *Penino subsignanum militem itinere et grave legionum agmen traduxit*. Atqui diversi et dissiti hi transitus. Jam libri longe abeunt ab hoc scripto. Farnesianus *in alpe triaria*, sicut et Hispanus: Budensis *trianna*: optimus Vatic. *cum alpe tarina*: ex quo ego, *ala Taurina*: Savillius, *Petrina*. Et certe Taurina jam cum Valente in Italiam iverat. (V. c. 64.) Ergo Savillio assentior et libens. LIPS. Probant Mercerus, Pichena: recepit Freinsh. Ryckius tamen *Taurina* prætulit e MS. Agr. ratus plures Taurinas alas fuisse: ut alia apud Valentem, alia apud Cæcinam fuerit. MS. Guelf. consentit Vaticano: ed. pr. *alpe triarina*. ERN. *Ala Petrina* occurrit et infra 4, 49. in partibus Vitellianis. Comparet etiam in lapide ap. Grut. p. 572, 3. Ab Equitibus inlustribus, quibus Petra nomen, dictam auguratur Broterius.

ctatus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret, adversus Petronium, [urbis] Procuratorem, qui concitis auxiliis, et interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur. Sed metu, ne amitteret præmissas jam cohortes alasque, simul reputans plus gloriæ retenta Italia, et, ubicumque certatum foret, Noricos in cetera victoriæ præmia cessuros, Penino subsignanum militem itinere, et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit.

LXXI. Otho interim, contra spem omnium, non delitiis, neque desidia torpescere: dilatæ voluptates, dissimulata luxuria, et cuncta ad decorem Imperii composita: eoque plus formidinis adferebant falsæ virtutes et vitia reditura. Marium Celsum, Consulem designatum, per speciem vinculorum, sævitiæ militum subtractum, acciri in capitolium jubet: clementiæ titulus e viro claro, et partibus inviso, petebatur. Celsus, constanter servatæ erga Galbam fidei crimen confessus, exemplum ultro inputavit. Nec Otho, quasi igno-

*Petronium urbis Procuratorem*] Cujus urbis? imo totius Nbrici Procurator erat, non unius alicujus oppidi. Vertranius Maurus ICtus emendat, *urbis Præfectum* sive *Prætorem*. Haud recte: quæ enim ejus partes in Norico? Ego vero aut oblita ea voce scripserim, *Petronium Procuratorem*, aut mutata, *Petronium ibi Procuratorem*. Vetus quidem lectio *urbi* habet: quod depravatum facile ex *ubi* vel *ibi*. Lips. Probat Pichena, opportune laudans ex H. 2, 16. *tricrarchum Liburnicarum ibi navium*. Freinsh. etiam conjiciebat *Urbicum*, quod Reinesius probabat. Ad hunc modum et alia conjicere licet. Illud certum, *urbis* vitiosum esse. Ed. pr. etiam habet *urbi*. Ern. Bud. *urbis*, Savillius putabat, *urbem* pro civitate poni. Bip. conjecturas cumulant, forsan *Viruni* legendum. Rectius spuriam vocem uncis includunt. Gutherius de off. dom. Aug. 3, 18. Procuratorem Romæ intelligit, qui alias Rationalis urbis Romæ dictus.

*Accessuros*] Covarruviæ liber et priscæ editiones *cessuros*. Lips. Sic et Guelf. ed. pr. *Accessuros* est a Rhenano (e Bud.), *Cetera* MS. Guelf. (Bud.) ed. vett. Pro quo Freinsh. induxit *ceteræ*. MS. Agr. ed. pr. *incerta* (inde Heins. *in certa*). An fuit *Noricos universæ victoriæ præmia accessuros*: i. e. ut præmia? Ern. Restitui *cetera*. Sic et Brot. et Bip.

*Subsignanum militem*] De subsignanis vid. dicta ad 4, 33. Ern. Cf. et A. 1, 70.

*Hibernis adhuc nivibus*] Iidem libri, *hibernis adhuc Alpibus*: quod interpretor Sallustiano verbo, Alpibus adhuc hiemantibus. Poeta etiam vetus eo sensu dixit: *Jupiter hibernas cana nive conspuit Alpes*. Lips. *Alpibus* Flor. Reg. ed. pr. Ceteræ usque ad Pichenam *nivibus*, quod et Guelf. habet. Ern. Vetus Poeta Furius est Bibaculus. V. vet. schol. ad Horatii Sat. 2, 5, 41. et Quinctil. 8, 6, 17.

*Exemplum ultro imputavit*] i. e. Ita locutus est, ut demonstraret, exemplum fidei a se editum gratum esse Othoni debere: tantum abesse, ut iram ejus meruerit: interesse enim et ipsius, fidos amicos habere; talemque se in ejus amicitia futurum, qualis in Galbam fuisset. Sententia hæc et aliis in tali tempore usurpata, ut Herodi post Actiacam pugnam Cæsarem Octavianum Rhodi adeunti, ap. Joseph. A. I. 15, 10. Add. Freinsh. Ern. Bud. *impetravit*: id se scripsisse Rhenanus testatur, sed in textu vulgatum legitur.

*Nec Otho quasi ignosceret*] Frons aliqua sententiæ appareat: sed, si excutias, vanæ et falsæ. Censeo emendandum: *sed nec hostis metu, reconciliationi se adhiberet*. Duo videlicet, cum Celsum sibi jungeret, Otho cavit. Ne aut ignoscere videretur, ut in vero magnoque crimine: aut ne hostis, id est, Vitellii metu, adsciscere sibi virum nobilem et fortem. Itaque nec obnoxium habere eum voluit, nec suspensum: sed statim assumpsit inter intimos amicos.

aceret, sed, ne hostis metum reconciliationis adhiberet, statim inter intimos amicos habuit, et mox bello inter Duces delegit: mansitque Celso, velut fataliter, etiam pro Othone fides integra et infelix. Læta primoribus civitatis, celebrata in vulgus Celsi salus, ne militibus quidem ingrata fuit, eandem virtutem admirantibus, cui irascebantur.

LXXII. Par inde exsultatio, disparibus caussis consecuta, inpetrato Tigellini exitio. Sophonius Tigellinus, obscuris parentibus, fœda puericia, inpudica senecta, Præfecturam vigilum et Prætorii et alia præmia virtutum quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam et

Plutarchus comitatem hanc ita narrat c. 1. Κελεύσας Μάριον Κέλσον ἀχθῆναι πρὸς αὐτὸν, ἠσπάσατο καὶ διελέχθη φιλανθρώπως, καὶ παρεκάλεσε τῆς ἀπιλαθέσθαι μᾶλλον, ἢ τῆς ἀφέσεως μνημονεύειν. Hæc talia acumina frustra multis verbis approbem iis qui non tales. LIPS. Non placuit viris doctis Lipsii correctio: nec mihi probatur. Sed non magis ab aliis prolata placent. Freinshemius correxit *hosti*, et sic editum inde ab illo tempore, hoc sensu, ne Vitellius, quem allicere oblata pace tentabat, c. 74. metu abalienaretur, scil. ne non reconciliaretur sibi ex animo. Sed recte monuit Ryckius, id non esse, metum reconciliationis adhibere. Nam id est, minari reconciliationem. Ceterum illa sententia esset bona. Nec Ryckii consilium probandum, qui e MS. Agr. recepit: *sed ne hostes metueret, conciliationes adhibens*, quod et Pichena in MS. reperit: (nisi quod ibi *conciliationis*) et fere est in ed. pr. *sed ne hostes metuere, conciliationis adhibens*. Verum male vir doctus. *hostes* pro *inimicis* accipit, quod Latinitas non patitur. Et tamen alii in hac lectione intelligi non possunt. Itaque veterem lectionem servavi. In MS. Guelf. *quasi* post *metum* reperitur. An fuit: *ne hostis metum* (*falsæ* vel *fictæ*) *reconciliationis adhiberet*, sc. Celso, aut omnino omnibus: hoc sensu: Verebatur, ne, si Celsum non exquisita humanitate tractaret, hostis Vitellius averteret ceteros ab Othone, suspicione fictæ reconciliationis admovenda animis. Aut (ut Freinshemio visum) *ne hosti metum* (*falsæ*) *rec. adh.* i. e. ne Vitellius, cognita Celsi fortuna, metueret, ne et illa reconciliatio falsa esset, quam sibi Otho offerret. Illud melius puto. *Metum alicujus rei adhibere*, est injicere, movere metum ejus, efficere, ut aliquis quid metuat. Et sic dixere Cicero de Or. 2, 45. Quinctil. 1, 3. ut ostendit jam Elsnerus, refellens Trilleri conatus, in schediasm. Crit. p. 79: ipse tamen aberrans in eo, quod *hostis* nomine Celsum intelligit. *Hostes* sunt, quibuscum bellum gerimus, *inimici*, quibuscum odia exercemus. Sed in hoc hodie homines facile errant, vernaculæ linguæ consuetudine decepti. Porro *ficte reconciliatam gratiam* dixit Cic. ep. 3, 12. ERN. In loco Cic. citato non est *metum* sed *motum adhibere*. Bud. hic ita: *sed ne hostis metu reconciliationis adhibens*. Inde Rhen. effingebat: *seu hostis metu reconciliationi adnivens*. Satis ingeniose. Reg. Lall. *sed hostes metuere consolationes adhibens*. Gronovius Freinshemium sequitur. Bip. emendant: *sed, ne hostis metueretur, conciliationes adhiberet*. Ceterum cum nostro cf. hic Dio 64, 7.

*Inter intimos*] Sic edidit e MS. Agr. Ryckius, pro vulg. *intra*. Consentit ed. pr. itaque et ipse recepi. ERN. Bud. *intra*.

*Fides integra et infelix*] Acidalius corrigit *felix*, quia et a Vitellio veniam accepit et Consulatum servavit, ut e 2, 60. patet. Sed *infelix*, quod omnes libri habent, referam huc, ut coactus fatis iniquis fuerit, transire ad amici hostem, perdiderit amicum, et sperare sive accipere coactus salutem ab hoste. Mox bene Rhenanus (ex ingenio) correxit *primoribus*. MSS. et edd. vett. omnes *pro moribus*. ERN.

*Eandem virtutem admirantibus*] Est vera et notabilis gnome, atque eadem in Livii l. 5. de Camillo: *Sed acveritate imperii victi, eamdem virtutem et oderant et mirabantur*. LIPS. Paullo post *quia* omnes scr. et edd. Ursinus, Muretus etc. maluere *quæ*: frustra. ERN. Bud. *quia*: et paullo ante *Præfecturam vigiliarum*.

virilia scelera exercuit, corrupto ad omne facinus Nerone; quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor ac proditor. Unde non alium pertinacius ad pœnam flagitavere, diverso adfectu, quibus odium Neronis inerat, et quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinii potentia defensus, prætexentis, " servatam ab eo filiam:" et haud dubie servaverat, non clementia, quippe tot interfectis, sed effugio in futurum: quia pessimus quisque, diffidentia præsentium mutationem pavens, adversus publicum odium privatam gratiam præparat; unde nulla innocentiæ cura, sed vices impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia: concurrere e tota urbe in palatium ac fora, et, ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum et oscula et deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu sero et inhonesto.

*Virilia scelera*] Facinora audaciam virilis ætatis desiderantia, ut cædes et similia. Mox *ac proditor* abest a MS. Reg. et ed. pr. quam Gruterus Romanam vocat. (non a Bud.) Sane Tigellinus deseruit Neronem, non prodidit, nisi hoc sensu, quo dicitur prodere, pro deserere. Sed consuetudinem secutus esse potuit Tacitus, quæ hæc verba libenter conjunxit. Si tamen alius liber consentiret, facile proscriberem hæc verba. ERN.

*Sed effugio in futurum*] Ed. pr. (et cod. Bud.) *effugium*. Non abhorret a Taciti more. Supra c. 44. *non honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens* etc. Mox Grutero suspecta verba *mutationem pavens*, tamquam a librariis orta: quia redundant. Hoc verum. Sed non propterea inscitia verba sunt, ut alibi jam dixi. Nimis multa resecanda forent. ERN.

*Præparat: unde nulla innocentiæ cura sed vitæ impunitatis*] Non mutant libri, nisi quod, vices *impunitatis*, habent. Totum locum lego: *privatam gratiam præparatum it: nulla innocentiæ cura, sed vice suæ impunitatis*. Palmerii etiam conjectura haud improba: *privatam gratiam præparat undeunde: nulla*, etc. *Undeunde* Latinis valet ὁποθενοῦν. Quod autem ad sententiam, pulchra est et usu sæpius probata. Ita Dio notat 49, 30. cum Menas præfectus Sex. Pompeii in mari *Helenum cepisset, libertum Cæsari admodum carum, statim sine pretio remisisse: qui beneficium hoc multo ante apud Cæsarem deponebat, et perfugium sibi, si res ita ferret, apud eum præparans.* LIPS. Alii aliter locum tentant. Antiqua lectio est *vices impunitatis*, quam et MS. Agr. edd. ante Rhen. omnes habent, et restituit bene Freinsh. Sensus est: ea res facit, ut homines non tam innocentia saluti suæ consulere studeant, sed fiducia vicis sibi reddendæ: ipsos impunitatem aliis impetrasse, sibi vicem reddituros, qui potentes essent, si qua mutatio ingruat. Bona et clara sententia. Rhenanus (e Bud.) edidit *vitæ impunitatis*, quod est etiam in Guelf. et edd. inde a Rhenano omnibus usque ad Freinsh. Etiam alibi *vicis* mentio in hac re. A. 13, 20. *Impunitas vitæ* simpliciter pro *scelerum*, non satis placet. ERN. Boxhorn. conjectabat *vitæ et impunitatis*.

*Seditiosis vocibus*] Bud. *seditionis*.

*Sinuessanas aquas*] Male vulgo, *Sucssanas*. Libri scripti docent et Plutarchus in hac ipsa re c. 2. Ἔπεμψεν οὖν ἐπ' αὐτὸν ὁ Ὄθων εἰς τοὺς περὶ Σινόεσσαν ἀγροὺς. Aquæ autem eæ inter salubres habitæ. Plinius 31, 4. *In eadem Campaniæ regione Sinuessanæ aquæ sterilitatem feminarum et insaniam virorum abolere creduntur.* Et quia ad vitia muliebria: ideo in Martiali 11, 8. *Diceret hystericam se forsitan altera mœcha In Sinuessano velle sedere sinu.* Sed et Claudius apud Tacitum 12, 66. *refovendis viribus mollitie cœli et salubritate aquarum, Sinuessam perrexit.* LIPS. Ed. pr. *Sumessanas aquas*, quod manus Lipsio antiquior correxit *Sinuessanas*. ERN. Bud. *Sucssanas*.

LXXIII. Per idem tempus expostulata ad supplicium Galvia Crispinilla variis frustrationibus, et adversa dissimulantis Principis fama, periculo exempta est: magistra libidinum Neronis, transgressa in Africam, ad instigandum in arma Clodium Macrum, famem populo Rom. haud obscure molita, totius postea civitatis gratiam obtinuit, Consulari matrimonio subnixa, et apud Galbam, Othonem, Vitellium inlæsa: mox potens pecunia et orbitate, quæ bonis malisque temporibus juxta valent.

LXXIV. Crebræ interim, et muliebribus blandimentis infectæ, ab Othone ad Vitellium epistolæ, offerebant "pecuniam et gratiam et quemcunque quietis locum prodigæ vitæ legisset." Paria Vitellius ostentabat, primo mollius, stulta utrimque et indecora simulatione: mox, quasi rixantes, stupra et flagitia invicem objectavere: neuter falso. Otho, revocatis, quos Galba miserat, legatis, rursus alios ad utrumque Germanicum exercitum et ad legionem Italicam, easque, quæ Lugduni agebant, copias, specie Senatus misit. Legati apud Vitellium remansere, promptius, quam ut retenti viderentur. Prætoriani, quos, per simulationem officii, legatis Otho adjunxerat,

*Galvia Crispinilla*] *Calvia* verius: an etiam, *ministra?* nec tamen illud damno. Ceterum hæc Calvia a veste Sporo fuit et ejus custos. Breviarium Dionis, in Nerone, 63, 12. Χωρὶς δὲ, ὅ τε Πολύκλειτος καὶ Καλουΐα Κρισπινίλλα ἦγον, ἐπόρθουν, ἐσύλουν πάνθ' ὅσα ἐνεδέχετο· ἐκεῖνος μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ, αὕτη δὲ μετά τε τοῦ Νέρωνος καὶ μετὰ τῆς Σαβίνης τοῦ Σπόρου. Τήν τε γὰρ φυλακὴν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἐπιτροπείαν τὴν περὶ ἐσθῆτα, καίπερ γυνὴ καὶ ἐπιφανὴς οὖσα, ἐπεπίστευτο, καὶ δι' αὐτῆς πάντες ἀπεδύοντο. Vides ex ea nota, quid feminæ Calvia hæc fuerit, et cur populo exosa. LIPS. *Galvia* MS. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. seqq. Ed. pr. *Gallíva*. Eadem *Crispinilla*, ut Guelf. (Bud.) ed. Rhen. sqq. at ceteræ ante Rhen. *Crispilina*: male. ERN.

*Ad instigandum in arma*] Quæ sc. pro Nerone ulciscendo caperet. Mox edidi *Populo Rom.* ut voluit Acidalius, ex ed. pr. Vulgo *populi R.* Sic etiam ante e MS. Agr. Ryckius (et Heins.) ERN. Bud. *Populi R.*

*Consulari matrimonio innixa*] MS. *subnixa*. Sed vulgatam prætulit Pichena. Ego vero alterum, quod sensu prægnantius: nam *subnixa* dicit pro superba, elata. Ut apud Silium Varro *Subnixus rapto plebeii muneris ostro*. GRON. Atque etiam alibi noster *subnixus cognationibus* et similia dixit, non uno loco. Itaque, cum idem sit in ed. pr. et MS. Agr. cum Ryckio recepi. (Bud. *innixa*.) Mox a MS. Bud. aberat *temporibus*. Rhenanus intelligebat hominibus. Non credo *bonis hominibus* dici, nec apud bonos viros ista æque atque apud malos valere. Sed et bonis temporibus ista valuere, ut Augusti. V. Ann. 3, 25. et ibi Lipsius. ERN.

*Crebræ interim* etc.] *Blandimentis*, quod Rhen. (e Bud.) edidit, etiam ed. pr. non *blanditiis*. Mox *offerebant p. et g.* est a Rhen. (ex ingenio.) Sed MSS. (in his et Bud.) et edd. ante *offerebantur pecuniam* etc. Pichena conjecit: *epistolæ. Offerebat pecuniam*. Bene. V. ad 3, 81. ex quo loco hunc emendandum cum Pichena etiam J. Gronovius putabat. Forte etiam non male *Offerebantur pecunia et gratia*. Mox *ostentabat*, quod Ryckius (e cod. Agr.) pro *ostendebat* edidit, est et in ed. pr. et est Tacito usitatius. ERN. Bud. *ostendebat*.

*Pecuniam et gratiam*] Imo et societatem Imperii. Dio 64, 10.

*Primo mollius*] Bud. præmittit *Vocontiorum*, quod Rhen. forsan in *vocationem* mutandum conjiciebat. Credo, librarium per errorem in c. 66. recidisse.

*Rursus alios*] Recepi *alios*, quod MSS. (Bud.) Guelf. Oxon. Agr. edd. ante Rhen. omnes habent, et a Rhenano tacite omissum est. ERN.

remissi, antequam legionibus miscerentur. Addit epistolas Fabius Valens, nomine Germanici exercitus, ad Prætorias et urbanas cohortes, de viribus partium magnificas et concordiam offerentes. Increpabat ultro, " quod tanto ante traditum Vitellio Imperium ad Othonem vertissent."

LXXV. Ita promissis simul ac minis tentabantur; " ut bello inpares, in pace nihil amissuri:" neque ideo Prætorianorum fides mutata. Sed insidiatores ab Othone in Germaniam, a Vitellio in urbem missi: utrisque frustra fuit: Vitellianis inpune, per tantam hominum multitudinem, mutua ignorantia fallentibus: Othoniani, novitate vultus, omnibus invicem ignaris, prodebantur. Vitellius litteras ad Titianum, fratrem Othonis, composuit, " exitium ipsi filioque ejus" minitans, " ni incolumes sibi mater ac liberi servarentur." Et stetit domus utraque: sub Othone, incertum an metu; Vitellius victor clementiæ gloriam tulit.

LXXVI. Primus Othoni fiduciam addidit ex Illyrico nuntius, " jurasse in eum Dalmatiæ ac Pannoniæ et Mœsiæ legiones." Idem ex Hispania adlatum: laudatusque per edictum Cluvius Rufus: et statim cognitum est, conversam ad Vitellium Hispaniam. Ne Aquitania quidem, quamquam a Julio Cordo in verba Othonis obstricta, diu mansit: nusquam fides aut amor; metu ac necessitate huc illuc mutabantur. Eadem formido provinciam Narbonensem ad Vitellium vertit, facili transitu ad proximos et validiores. Longinquæ provinciæ, et quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant: non partium studio; sed erat grande momentum in nomine urbis ac prætextu Senatus: et occupa-

*Increpabat ultro*] Sic edidi ex ed. pr. ut conjecerat Rhenanus. Ad *epistolas* retulere verbum librarii, ut ante. Similis lapsus 3, 81. Vulgo: *increpabant.* ERN. Sic et Bud.

*Tanto ante*] Majora verba quam pro re. Nam intervallum sane, inter Vitellii Othonisque Imperium, exiguum. Jurarunt enim Germanici exercitus in Vitellii nomen Kalendis Januariis: at postridie Idus Galba cæsus, et Princeps factus Otho. Ita pauci dies interfuerunt, et aut militum aut Taciti adsertio non usquequaque cauta. LIPS. Vitellium inferior exercitus postridie Kal. Jan. salutavit Imperatorem; superior III Non. Jan. c. 5, 7. Galba cæsus XVIII Kal. Febr. c. 27. Eo adhuc vivo nuntius de Vitellio Romam adlatus c. 14 et 50. Militi longum id spatium visum, quo alios prævenisset.

*Omnibus invicem ignaris*] Sic edidi e MS. Flor. edd. pr. Puteol. Beroald. Alc. Nec aliter sensus constat. Ignoti vultus prodidere, cum nemo alterum nosset invicem, eaque ignorantia suspecta esset. In Rhen. editionem (a. 1544.) *gnaris* venit, nescio utrum ipso volente, an casu: id ad omnes post editos libros propagatum. ERN. Bud. et Reg. Lall. item ed. Rhen. 1519. habent *ignaris.*

*Ad Titianum fratrem*] Edd. vett. (et c. Bud.) *Tutianum*: recte Rhen. edidit *Titianum* (ex ingenio.). ERN.

*Ne Aq. quidem*] Bud. *nec.* Sic et Agr. sed Flor. *ne.*

*Julio Cordo*] Alciat. contra codd. volebat *Manilio Cordo.*

*Et stetit domus utraque sub Othone*] Tu vero interpunge, *stetit domus utraque: sub Othone incertum an metu.* LIPS. Groslotius distingui volebat post *Othone.* ERN.

*Prætextu Senatus*] Flor. *prætexto*, et mox c. 77. Id recepit J. Gronovius h. l. non altero; quod tamen fieri debebat, si unica Florentino libro fides. Scio etiam in aliis auctoribus neutrum occurrere.

verat animos prior auditus. Judaicum exercitum Vespasianus, Syriæ legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Simul Ægyptus omnesque versæ in Orientem provinciæ nomine ejus tenebantur. Idem Africæ obsequium, initio a Carthagine orto. Neque exspectata Vipstani Aproniani, Proconsulis, auctoritate, Crescens, Neronis libertus (nam et hi malis temporibus partem se Reipublicæ faciunt) epulum plebi, ob lætitiam recentis Imperii, obtulerat, et populus pleraque sine modo festinavit. Carthaginem ceteræ civitates secutæ. Sic distractis exercitibus ac provinciis, Vitellio quidem ad capessendam Principatus fortunam bello opus erat.

LXXVII. Otho, ut in multa pace, munia Imperii obibat: quædam ex dignitate Reipublicæ, pleraque contra decus ex præsenti usu properando. Consul cum Titiano fratre in Kalend. Martias ipse: proximos menses Verginio destinat, ut aliquod exercitui Germanico delinimentum. Jungitur Verginio Poppæus Vopiscus, prætextu veteris amicitiæ; ple-

Vid. Oudend. ad Sueton. Cæs. 30. ubi et hunc locum laudat: sed cum omnes alii scripti (in his Bud.) et edd. habeant *prætextu*, id servavi. De ceteris locis Taciti deinceps sigillatim videbimus. Nec, si in uno loco plures libri consentient, ad illum locum omnes conformari debent. Ceterum vid. ad c. 19. ERN.

*Omnesque versæ in Orientem*] Credo germanum esse: aliquot tamen libri *omnesque versus Orientem*. LIPS. Ut MS. Pichenæ, Agr. ed. pr. Ceteri libri vulgatum tenent. Etiam MS. Flor. *versam in or.* pro *versæ*. Igitur hoc, ut elegantius quoque, prætuli. ERN. Bud. male *versus in Orientem*. Ad rem quod adtinet, extant nummi Othonis cusi Antiochiæ in Syria, itemque Alexandriæ. Cf. Eckhel doctr. NN. vet. vol. 6. p. 307. et vol. 4. p. 56.

*Vipsanii Aproniani*] Fragmentum fratrum Arvalium (apud Grut. p. 118.) ADFUERUNT. A. VITELLIUS. M. APONIUS. SATURNINUS. L. SALVIUS. OTHO. TITIANUS. SULPICIUS. CAMERINUS. C. VIPSTANUS. APRONIANUS. Iterum: ADSTANTIBUS. SULPICIO. CAMERINO. MAGISTRO. L. SALVIO. OTHONE. TITIANO. C. VIPSTANO. APRONIANO. Et sæpius. GRON. MSS. Agr. Guelf. (Bud.) Edd. pr. Puteol. Beroald. Rhen. etc. *Vipsani*, quod esse pro *Vipstani* etiam alibi A. 14, 1. vidimus. Itaque cum Ryckio *Vipstani* recepimus. *Proconsulis* scr. et edd. omnes. ERN.

*Partem se Reip. fecerat*] Interpretor: miscuerat se, velut et ipse inter curatores ejus et administros. Ita supra, hoc libro: *Non Senatus et Eques modo, quis aliqua pars et cura Reip.* LIPS. Nempe legebatur tum: *nam in malis tempp. etc.* Sic MS. (Bud.) Guelf. edd. inde a Puteol. omnes. At MSS. Flor. Agr. ed. pr. *Nam et in malis—faciunt*: unde Pichena fecit, quod nunc editur. ERN. Bud. *fecerat*.

*Ceteræ civitates*] Bud. *multæ c.* et mox *distractis ejus exerc.*

*Otho ut in m. pace*] Recte monuit Freinsh. initium novæ sententiæ esse a verbis: *sic distractis*. In prim. ed. etiam est *et Otho*. Melius foret *at Otho*: quod etiam præcedens *quidem* videtur desiderare. ERN.

*Ex præs. usu*] Sic Rhen. e Bud. Legebatur prius *et pr. usu*.

*Consul ipse*] Nempe a XVIII Kal. Febr. initioque imperii, more Imperatorum solenni, Consulatum cum principio Imperii conjungendi. Mox pro *proximos* Guelf. vitiose *proprios*: item *destinabat*. ERN. Bud. *proximos*. Idem a *Verginio* ad *jungitur* cuncta omittit, quod librarii peccatum male tuetur Rhenanus.

*Pompeius Vopiscus*] Sic MSS. et edd. omnes ante Lipsium, in cujus editiones, tacito ipso, venit *Poppæus*, atque inde ad sequentes. *Pompeius* restituit Ryckius. At Flor. habet *Poppæus*, cujus auctoritate hoc nomen defendit J. Gronovius. Lipsius ex alio MS. reposuisse videtur. Nam Flor. lectiones tum nondum viderat, cum primum ederet Tacitum. Ex Vat. cod. Lipsium id nominis hausisse Bipontini autumant. Bud. *Pompeius*.

rique, Viennensium honori datum, interpretabantur. Ceteri Consulatus ex destinatione Neronis aut Galbæ mansere. Cælio ac Flavio Sabinis in Julias, Arrio Antonino et Mario Celso in Septembres: quorum honori ne Vitellius quidem victor intercessit. Sed Otho Pontificatus Auguratusque honoratis jam senibus cumulum dignitatis addidit: et recens ab exsilio reversos nobiles adolescentulos avitis ac paternis Sacerdotiis, in solatium, recoluit. Redditus Cadio Rufo, Pedio Blæso, Sevino Pomtino Senatorius locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio ac Nerone ceciderant: placuit ignoscentibus, verso nomine, quod avaritia fuerat, videri majestatem: cujus tum odio etiam bonæ leges peribant.

LXXVIII. Eadem largitione civitatum quoque ac provinciarum animos adgressus, Hispaliensibus et Emeritensibus

*Cælio ac Flavio Sab.*] *Cælius* IC. de quo Pompon. D. d. de O. I. l. 2. § 46. De *Flavio* v. c. 46. supra.

*Arrio Antonino*] MS. Agr. *Arrio*, ut ed. pr. MS. Guelf. *Archio*: e qua scriptura natum *Archio* edd. ceterarum ante Rhen. qui edidit e Bud. *Ario. Antonio* omnes vett. (et Bud.) Recte tamen a Lipsio editum *Antonino*: quod verum viri nomen est. Fuit avus Antonini Pii Imp. v. Ryck. ad h. l. *Antoninus* fuisse cognomen *Arriorum* præclare docet etiam Vignolius ad column. Anton. Pii c. 6. p. 89. s. ERN. Plin. ep. 4, 3 et 5, 10. Græca *Arrii Antonini* carmina celebrat.

*Honoratis jam senibus*] Otho, inquit, *senibus* Patrum *jam honoratis* (qui summis olim scilicet essent honoribus functi aut fungendis designati) *addidit cumulum dignitatis*: quem illum? *Pontificatus Auguratusque*, quæ duo vocabula plurativi numeri accusandi casu κατ' ἔκπληξιν, quam appositionem vulgo vocant, adhærent, jungunturque τοῖς *dignitatis cumulum*. Justin. 17, 2. *In eo bello Lysimachus, amissis ante variis casibus XV liberis, non instrenue moriens, postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit.* Et firmat planissime Plut. c. 1. Τοῖς ἀποδεδειγμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἢ Γάλβα πᾶσιν ἐτήρησε τὰς ὑπατείας, ἱερωσύναις δὲ τοὺς καθ' ἡλικίαν προήκοντας ἢ δόξαν ἐκόσμησε. Hæc, ne quem abducat Jac. Gutherii fiducia in suo, *honoratis jam insignibus*: de jure pontif. 1, 15. GRON. Mox Bud. male *aut recens*. Agr. *culmen dignitatis*.

*Sevino Pomtino*] Sic nomen hoc correximus. Edd. inde a Puteolano usque ad Lipsium *Pontio*, ut habet etiam Guelf. At Lipsius edidit *Promptino*. Ea est lectio cod. Flor. quæ deinde ab omnibus servata est. Consonat cod. Agr. (Bud.) ed. pr. in quibus est *promtius*. Sed hodie satis constat, in has voces a librariis corruptum esse nomen *Pomtinus*, ut plane docet Cortius ad Sall. Catil. 45. ubi eædem aberrationes in libris reperiuntur. Idem docet Drakenb. ad Liv. 2, 34. 4, 25. ut nullo modo hic potuerim hæsitare. Præterea etiam *qui* abest a MS. Flor. placetque J. Gronovio. ERN. Lipsius ex Farnes. *proprius* et Vat. *Promtios* confecit *Promtino*. Posset quoque legi *Pomptinio*, ut in lapid. Donianis, vel *Pontinio*, ut in Gruterianis. Utraque forma in codd. Cicer. ep. ad Att. 4, 16. occurrit. Cf. Ernesti ind. Cic. Τὸ *qui* habet Bud. Sed rectius abest. De *Cadio Rufo* v. 12, 22. Agr. *Candio*. De *Pædio Blæso* 14, 18.

*Quod avaritia fuerat, videri majestatem*] Otho Cadium Rufum, Pedium Blæsum, Sivinum Promptinum restituit, quasi tyrannica majestatis lege perculsos, quo innocentibus injuria facta videretur; ut plerisque, qui tum temporis essent ea lege postulati: non autem, ne provincialium animi offenderentur, ut Pichena suspicatur. Horum immo οὐ λέγος illi, οὐ δ' ἀριθμός: nam qui poterant non offendi hoc mimo satis memores et gnari veterum dolorum? qui, ut verisimile est, ipsi productos in jus fures et depeculatores nequissimos damnarant? Ergo, ut dixi, horum ille nullam rationem habuit: tantummodo suæ et restitutorum existimationi consultum voluit, ne ipse indignos dignari, illi indigni potiri eo beneficio viderentur. GRON. *Majestatem* intellige *læsam*.

*Hispaliensibus*] Sic (tacite) correxit Rhenanus. MSS. et edd. vett. *Hispanienses*. ERN. Sic et Bud. et Agr.

familiarum adjectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciæ Bæticæ Maurorum civitates dono dedit: nova jura Cappadociæ, nova Africæ, ostentui magis, quam mansura. Inter quæ, necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusata, ne tum quidem inmemor amorum, statuas Poppææ per Senatus consultum reposuit. Creditus est etiam de celebranda Neronis memoria agitavisse, spe vulgum adliciendi: et fuere, qui imagines Neronis proponerent: atque etiam Othoni quibusdam diebus populus et miles, tamquam nobilitatem ac decus adstruerent, NERONI OTHONI adclamavit. Ipse in suspenso tenuit, vetandi metu, vel adgnoscendi pudore.

*Familiarum adjectiones*] Ita solent Romani coloniarum infrequentiæ subvenire, nova familiarum aliquot adjectione. Livius 43, 17. *Postulantibus a Senatu Aquileiensium legatis, ut colonorum numerum augeret, mille et quingentæ familiæ ex SC. scriptæ.* Lips. Cf. et A. 13, 31.

*Lingonibus universis*] Latet hic omnino mendum. Primum enim, quis locus Lingonibus (Galliæ ii sunt) inter Hispaniæ populos esse potest? Adde, quod Lingones isti ipsi, primi et præcipui in Othonem hostes. Hi, qui Vitellium fovere; hi, qui milites turbidis colloquiis ad bellum impulere: hi, qui etiam nunc Othonis partes oppugnant viris, armis, equis. Unde igitur iis præmium? Clare aliena et falsa ea vox: et censeam Hispaniæ aliquam gentem reponendam: *Lusonas*, an *Illurconas*? an tale aliquod nomen, quod parum vicinum adhuc repperi corruptæ voci. *Nec scire fas est omnia*, ait Lyricus: tu cogitabis. Lips. Omnes libri in vulgato consentiunt. Nec rationes Lipsii satis graves videntur. Nam nulla necessitas est credendi, Hispaniensem populum hic a Tacito commemoratum: et potuerunt hæc delinimenta Lingonibus, ut supra Germanico exercitui, objici. V. Ryckius. Ern. Cum Lipsio faciunt Bip. putantque se in *Langobriga* Lusitaniæ invenisse medelam, cujus incolæ forsan *Longones* dicti. Conjectura perquam scita, cui favet Bud. *Langonibus*. Ceterum per civitatem Romanam hic jus Latii intelligendum, ut clarius de aliis A. 15, 32. H. 3, 55. Ryckius censet, inprobante Spanhemio in orbe Romano c. 9 et 16.

*Ostentui magis*] Sic MS. Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) et seqq. estque valde usitatum Tacito verbum. At Puteol. Beroaldus *Ostenta m. q. m.* Nisi clare tot libri *ostentui* haberent, conjicerem *ostentata magis*. Nam haud dubie respexit h. l. ad illud Virgil. Æn. 6, 869. *hunc tantum ostendent terris Dii.* Ern. Bip. præferunt *ostenta*: parum interest. Mox Bud. *creditus* sine *est*.

*Interque necessitate præsentium rerum et instantibus curis excusata*] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. ut *excusata* referatur ad *inter*: aut potius ad *inter quæ*, quod est in ed. pr. Rhen. (e Bud.) sq. At quia in Bud. cod. fuit *excusatus*, Rhenanus edidit *excusatis*, quod expressum est usque ad Lipsium. *Excusatus* habet etiam MS. Agr. ed. pr. quod ipsum quoque ferri posset. Homines eum vulgo excusabant, cum ista faceret, necessitate et curis. etc. Ern.

*Et fuere, qui imagines Neronis proponerent*] Plinius 35, 4. *Princeps tabulam pictam prælii, quo Carthaginienses et Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ.* Suet. Cal. 41. *Hujusmodi vectigalibus indictis neque propositis.* Gron. *Proponerent* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. At in ed. Beroaldi irrepsit *præponerent*: Rhenanus (ex ingenio) *reponerent* maluit, aliique. *Proponerent* verum est. In locis publicis injussi posuere imagines Neronis. Ern.

*Othoni quibusdam diebus*] Quibus diebus? et cur hoc ita ἀορίστως? Fortasse *Quinquatruum diebus*: quod scriptum initialibus modo litteris fuit. Lips. Heins. tentabat *iisdem diebus, iisdem ludi diebus*.

*Cognoscendi pudore*] Malim, *agnoscendi*. Lips. Sic e Flor. reposuit Pichena; sic et ed. pr. Ern. Bud. *cognoscendi*. Idem *metu*, unde Rhen. *metu —pudore*, quod Lipsius aliique recepere; prius legebatur *metum . . pudorem*.

LXXIX. Conversis ad civile bellum animis, externa sine cura habebantur. Eo audentius Rhoxolani, Sarmatica gens, priore hieme cæsis duabus cohortibus, magna spe ad Mœsiam inruperant: novem millia equitum, ferociora successu et prædæ magis quam pugnæ intenta. Igitur vagos et incuriosos tertia legio, adjunctis auxiliis, repente invasit: apud Romanos omnia prœlio apta: Sarmatæ, dispersi cupidine prædæ, aut graves onere sarcinarum, et lubrico itinerum adempta equorum pernicitate, velut vincti cædebantur. Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos: nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit. Sed tum humido die et soluto gelu neque conti, neque gladii, quos prælongos utraque manu regunt, usui, lapsantibus equis et cataphractarum pondere. Id Principibus et nobilissimo cuique tegmen, ferreis laminis aut præduro corio consertum; ut adversus ictus inpenetrabile, ita inpetu hostium provolutis inhabile ad resurgendum: simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur. Romanus miles facili lorica et missili pilo aut lanceis adsultans, ubi res posceret, levi gladio inermem Sarmatam (neque enim defendi scuto mos est) cominus fodiebat: donec pauci, qui prœlio superfuerant, paludibus abderentur: ibi sævitia hiemis et vi vulnerum absumpti. Post-

*Magna spe ad Mœsiam irruperant*] *Ad Mœsiam* omnes scr. et edd. Post *et ferocia* edd. omnes ante Rhen. is (e Bud.) edidit *ex:* sic et Guelf. Similiter c. 77. pro *et præsenti usu* recte editum *ex pr. usu.* Sed post *irruperant* non debet esse punctum, sed minor distinctio, ut in Guelf. Sarmatæ irruperant, novem millia, et caussæ irruptionis ferocia, ut ab initio, et successus superioris hiemis. Paullo post omnes libri *tertia legio*, eamque in Mœsia fuisse patet ex H. 2, 74. Savillius frustra conjicit *tres legiones*, quia tres Legati Consularia ornamenta accepisse dicuntur. Tot legiones in Mœsia tum fuisse, verum est, vid. Suet. Vesp. c. 6. sed non omnes contra novem millia barbarorum cum auxiliis ductæ. Una legio cum suis auxiliis sufficiebat. Honos tamen cum Legatis omnibus communicatus. ERN. Cod. Agr. *et ferociora successu et.* Hoc Bip. omissa priori copula recepere: recte, ut puto, quos sequor. Ern. posuerat vulgatum *ex ferocia et successu.* Contra Acid. jam emendarat *ferocia ex succ.* Sed comparativo simili modo utitur noster infra 4, 28.

*Dispersi cupidine, aut g. o. s.*] Sic edidit Freinsh. cum ante *aut* esset post *dispersi.* (Sic et in Bud.) J. Gronovius veterem ordinem restituit ac defendit. Ejus rationes mihi non satisfaciunt, quas inspiciat, qui volet. Freinshemium verum vidisse puto, cum J. F. Gronovio et aliis, qui ejus correctionem secuti sunt. ERN. Jam Acidalius τὸ *aut* ante *graves* locaverat.

*Virtus velut extra ipsos*] Nempe in pernicitate equorum, non in animo et corporis robore, ut hodie fere in tormentis bellicis. Videtur ductum a Stoicis, qui negabant *exstrinsecus* esse debere bene vivendi rationes. ERN.

*Advenere*] Heins. volebat *adsiluere*, ut A. 2, 21. Mox Agr. *tegimen*, ut l. hoc cit.

*Præduro corio*] Sic MSS. et edd. omnes. Lipsius de Mil. Rom. 3, 6. conjecit *cornu*, quia sic nonnulli de Sarmatis tradidere, sed sine caussa, ut recte judicat J. Gronovius. ERN. Cum Lipsio facit Fabrettus ad col. Traj. c. 4. p. 111.

*R. miles facili lorica*] MS. Flor. *facilis lorica:* quod non adeo spernendum. Ryckius laudat ex nostro bene: *sagulo leves.* Facilis lorica est habilis sine pondere, non molesta gestanti militi. ERN.

*Ibi sævitia, hic miseria*] Mutilus locus aut corruptus. Mihi ex sententia vi-

quam id Romæ compertum, M. Aponius, Mœsiam obtinens, triumphali statua, Fulvius Aurelius et Julianus Titius ac Numisius Lupus, Legati legionum, Consularibus ornamentis donantur: læto Othone et gloriam in se trahente, " tamquam et ipse felix bello, et suis Ducibus suisque exercitibus Remp. auxisset."

LXXX. Parvo interim initio, unde nihil timebatur, orta seditio prope urbi excidio fuit. Septimam decimam cohortem, e colonia Ostiensi in urbem acciri Otho jusserat: armandæ ejus cura Vario Crispino, Tribuno e Prætorianis, data. Is, quo magis vacuus, quietis castris, jussa exsequeretur, vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari, aperto armamentario, jubet: tempus in suspicionem; caussa in crimen; adfectatio quietis in tumultum evaluit: et visa inter temulentos arma cupidinem sui movere. Fremit miles, et Tribunos Centurionesque " proditionis" arguit, " tamquam familiæ Senatorum ad perniciem Othonis armarentur:" pars ignari et

deatur: *illi sævitia hiemis, hi miseria vulnerum absumpti.* Junctim enim cum prioribus legenda: et reliqui confugerunt, inquit, ad paludes: quorum alii frigoris vi, alii jam læsi, cum nemo curaret, misere tabe et pure vulnerum perierunt. LIPS. Vetus lectio, etiam Guelf. et ed. pr. est, *ibi sævitia, hic misericordia vulnerum.* Pro eo Rhen. dedit *miseria vulnerum:* in quo miseria bene exprimit Græcorum ταλαιπωρίαν. Quod nunc editur, est e correctione Mureti admodum verosimili, quam primus recepit Freinsh. Ryckius e suo cod. edidit, *ubi sævitia hiemis et dolore vulnerum absumti.* In Mureti correctione suspectum esse possit, quod terminationis *cordia* nulla ratio habetur. An fuit *et incuria vulnerum?* cum curare vulnera non possent, inopia fomentorum et remediorum. Et *incuriam* sic dici vel lexica docent, Cicer. Prov. Cons. c. 3. *milites—incuria, fame, morbo, vastitate consumti.* ERN. Mureto recte plaudunt Pichena et Acidalius. Ernesti conjectura placet Lallemando. In Bud. est *mīa.*

*M. Aponius*] Cogn. *Saturninus.* Cf. infra 2, 85. et fragm. Fratrum Arval. ad c. 76. Supra *Julianus Titius* 2, 85. *Tertius Jul.* inde Ryckio *Tertius Titius Julianus.* Legati legionum Vegetio 2, 9. *Præfecti legionum* dicuntur, agebant vices Legati Imp. in legione. Sed cf. not. ad c. 82.

*Septimam dec. cohortem*] Plures Ostiæ cohortes, ut Puteolis, quæ numerarentur, ut legiones, et inde nomen acciperent. Male Phil. a Turre ad Inscr. M. Aquilii c. 4. hinc septimam decimam legionem facit, notatus a Burmanno ad Suet. Oth. c. 8. ubi et de dissidio Taciti et Suetonii in hac re agitur. ERN.

*Colonia Hostiensi*] Scito, eam illic perpetuam stationem habuisse ex decreto Claudii. Suet. Claud. 25. *Puteolis et Hostiæ singulas cohortes, ad arcendos incendiorum casus collocavit.* LIPS. Præpositionem deleverat (cum Bud.) Rhenanus, reposuit Pichena e Fl. Est et in Guelf. (Agr.) ed. pr. ERN.

*Quictis castris*] Quia vigiliæ jam tunc constitutæ, et omnes in contuberniis, exceptis Vigilibus. LIPS. Mox *evaluit* omnes libri, nec tentandum aliquid. Ed. pr. *affectio,* omissa media syllaba. ERN. *Evalesceret* sic quoque A. 14, 58. Male ergo Ursinus *evadit.*

*Visa inter tem. arma*] Is affectus Homero exprimitur, in Odyssea Π. 292. ubi Ulysses Telemachum monet amovenda arma a procis, et caussam dat:

Μήτως οἰνωθέντες, ἔριν στήσαντες ἐν ὑμῖν,
Ἀλλήλους τρώσητε.

Et caussæ caussam v. 294.

—Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

LIPS. *Familias Senatorum* de servis intelligendos, tironum caussa monemus. ERN.

*Pars ignari et vino graves*] Primum hæc non divellenda a præcedentibus erant majore interpunctione, quibuscum cohærent. Itaque minorem fecimus, qualis in MS. Guelf. Sed idem codex edd. Put. Ber. *ignavi,* male. Ed. pr. *ignari,* quod restituit Rhen. (e Bud.) Post *cu-juscunque* recte reddidit Ryckius pro

vino graves: pessimus quisque in occasionem prædarum: vulgus, ut mos est, cujuscunque motus novi cupidum: et obsequia meliorum nox abstulerat: resistentem seditioni Tribunum et severissimos Centurionum obtruncant: rapta arma, nudati gladii, insidentes equis urbem ac palatium petunt.

LXXXI. Erat Othoni celebre convivium, primoribus feminis virisque: qui trepidi, fortuitusne militum furor, an dolus Imperatoris, manere ac deprehendi, an fugere et dispergi, periculosius foret; modo constantiam simulare, modo formidine detegi, simul Othonis vultum intueri: utque evenit, inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Sed haud secus discrimine Senatus, quam suo territus, et Præfectos Prætorii ad mitigandas militum iras statim miserat, et "abire propere omnes e convivio" jussit. Tum vero passim Magistratus, projectis insignibus, vitata comitum et servorum frequentia, senes feminæque, per tenebras, diversa urbis itinera, rari domos, plurimi amicorum tecta, et, ut cuique humillimus cliens, incertas latebras petivere.

LXXXII. Militum inpetus ne foribus quidem palatii coercitus, quo minus convivium inrumperent, "ostendi sibi Othonem" expostulantes: vulnerato Julio Martiale, Tribuno, et Vitellio Saturnino, Præfecto legionis, dum ruentibus obsi-

*cujusque* e Flor. Agr. edd. ante Rhen. (qui *cujusque* e Bud.) Consentit Guelf. ed. pr. ERN.

*Vino graves*] Quippe in cæna jam, aut potius a cæna. Ubi autem es, vetus disciplina? Sed vero hæc castra urbana et cum urbis vitiis. LIPS.

*Severissimum Centurionum*] Vatic. *severissimos*: et Plut. c. 3. ἑκατοντάρχας δύο interfectos scribit. Noster tamen etiam infra c. 83. de uno tantum: *Unus alterve perditus ac temulentus, Centurionis ac Tribuni sanguine manus imbuet?* Itaque placeat magis hic legi, *et severissimum Centurionem*, ut proprium nomen expresserit interfecti: aut certe in altero Taciti loco *Centurionum ac Tribuni*, scribendum erit. LIPS. *Severissimos Centurionum* etiam Flor. Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. (qui sic etiam e Bud.) idque restituit Pichena. Consentiunt Suet. et Plut. ERN.

*Modo constantiam etc.*] *Modo* abest a MS. Oxon. Vid. ad 3, 83. et Gron. fil. ad h. l. ERN. Bud. habet.

*Præfecto legionis*] Apud Tacitum nuspiam Præfectos leg. occurrere, vere monet Savillius. At sæpe occurrunt in inscriptionibus antiquis apud Gruterum et alios: estque de iis caput ap. Vegetium 2, 9. At non negandum, hunc unum locum esse in antiquioribus, ubi id nomen occurrat. Sunt, qui Tribunum intelligant; male: nam diserte h. l. a Tribuno distinguitur. E Vegetii loco patet, fuisse eundem, qui alias *Legatus legionis* vocatur a Tacito et Suetonio. Nam medius est inter Legatos Imperatoris, qui pluribus legionibus præsunt, et Tribunos, qui ei cum Centurionibus ceterisque militibus subesse dicuntur a Vegetio. Et, quæ Legato legionis tribuuntur apud nostrum A. 1, 44. ut judicium exerceat et pœnas reorum militum, idem tribuitur Præfecto legionis ap. Vegetium l. c. Sed cum Taciti ætate, utque aliquandiu post *Legati legionis* nomen manserit, ut patet e Suetonio et aliis, suspicio esse potest, *Præfectum legionis* deberi librario, qui nomen recentius et notius substituit, sive, cum notatum esset interlineari glossa, aut in margine eundem esse, qui Præfectas legionis dicatur, id verbum in textum deinde venisse. Antiquissimam hujus honoris mentionem ego quidem reperi in inscr. ap. Gruter. p. 465. 2. quæ ad M. Aurelii Antonini tempora pertinet. De Præfectis legionum egit Pancirollus ad Notit. Dign. Imp. c. 36. p. m. 64. Sed parum accurate, ut et Stewechius ad Veget. l. c. Fortasse verum est *Præf. legioni*, ut ap.

stunt. Undique arma et minæ, modo in Centuriones Tribunosque, modo in Senatum universum: lymphatis cæco pavore animis, et, quia neminem unum destinare iræ poterant, licentiam in omnes poscentibus: donec Otho, contra decus Imperii, thoro insistens, precibus et lacrymis ægre cohibuit: redieruntque in castra inviti, neque innocentes. Postera die, velut capta urbe, clausæ domus: rarus per vias populus; mœsta plebs; dejecti in terram militum vultus, ac plus tristitiæ, quam pœnitentiæ. Manipulatim adlocuti sunt Licinius Proculus et Plotius Firmus, Præfecti, ex suo quisque ingenio mitius aut horridius. Finis sermonis in eo, ut quina millia nummum singulis militibus numerarentur. Tum Otho ingredi castra ausus: atque illum Tribuni Centurionesque circumsistunt, abjectis militiæ insignibus, "otium et salutem" flagitantes. Sensit invidiam miles, et compositus in obsequium, "auctores seditionis ad supplicium" ultro postulabat.

LXXXIII. Otho, quamquam turbidis rebus et diversis militum animis, cum optimus quisque "remedium præsentis licentiæ" posceret; vulgus et plures, seditionibus et ambitioso Imperio læti, per turbas et raptus facilius ad civile bellum impellerentur: simul reputans, non posse Principatum, scelere quæsitum, subita modestia et prisca gravitate retineri: sed discrimine urbis, et periculo Senatus anxius, postremo ita disseruit: "Neque ut adfectus vestros in amorem mei accenderem, commilitones, neque ut animum ad virtutem cohortarer, (utraque enim egregie supersunt) sed veni postulaturus a vobis temperamentum vestræ fortitudinis, et erga me modum caritatis. Tumultus proximi initium, non cupiditate vel odio,

Suet. Tit. 4. *legioni Præpositus:* ubi etiam genitivus in MS. Memm. ut non sit nomen honoris ac muneris usitatum. ERN.

*Abjectis militiæ insignibus*] h. e. pugione et vite. De vite A. 1, 23. traditur. ERN.

*Otho quamquam*] Frustra in verbo *quamquam* hæret Freinshemius, quod omnes libri exhibent, nec abesse potest. Consequens est: *sed* (pro *tamen*) anxius discrimine urbis, tandem orationem habuit sequentem. ERN. Freinsh. legendum putabat *quoque*.

*Ambitioso Imperio læti*] h. e. in quo Princeps ambitione uteretur, quæ est in captanda militum vulgique benevolentia et gratia. Sueton. Aug. c. 42. *ut salubrem magis quam ambitiosum Principem scires.* Mox *subita modestia* est studium et cura legum disciplinæ servandæ, ejusque adeo exactio, qua statim ab initio uteretur, sive repente et præter opinionem hominum. Sic *subita benignitas* apud Phædrum 1, 23. ubi v. Burm. ERN. Et *subita largitas* ap. Ter. Ad. 5, 9, 28.

*Ut animum ad*] Bud. *ut ad animum.* Sic et Agr. a 1. m. Id Rhen. exponit *ad fortitudinem.*

*Tumultus proximi initium etc.*] Etsi possum aliquam verborum structuram reperire: tamen durior est, quam ut nihil vitii esse putem. *Nimia pietas vestra acrius quam consideratius excitavit initium tumultus proximi.* Bene. Sed cetera: *non cupiditate vel odio* etc. huic sententiæ sive nimiæ pietati non conveniunt. Igitur feci colon post *periculorum*, ut (voluit Acidal. et) est in ed. pr. quæ etiam habet *sed nimia pietas:* quod tamen non probo, sed sine illo *sed* efficaciorem orationem credo. Sed ita *initium tum. prox.* non habet verbum, ad quod referatur. Ei incommodo duobus modis mederi licet: vel ut post *periculorum* excidisse dicamus *ortum*, (hoc placet Lallemando) aut ante *cupi-*

quæ multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas vestra, acrius quam consideratius, excitavit. Nam sæpe honestas rerum caussas, ni judicium adhibeas, perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum: num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis præsentibus tractari, ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? tam nescire quædam milites, quam scire, oportet. Ita se Ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, ut multa etiam Centuriones Tribunosque tantum juberi expediat. Si, ubi jubeantur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An et illic nocte intempesta rapientur arma? unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) Centurionis ac Tribuni sanguine manus inbuet? Imperatoris sui tentorium inrumpet?

LXXXIV. "Vos quidem istud pro me: sed in discursu ac tenebris et rerum omnium confusione patefieri occasio etiam adversus me potest. Si Vitellio et satellitibus ejus eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes inprecentur, quid aliud, quam seditionem et discordiam, optabunt? ne miles Centurioni, ne Centurio Tribuno obsequatur: hinc confusi, pedites equitesque, in exitium ruamus. Parendo potius,

*ditate* præpositionem ὡς quæ ante istam literam sæpe excidit in libris, intelligamusque *est;* vel ut e sequente verbo ἀπὸ κοινοῦ intelligamus *excitatum est:* quod fortasse lenius videbitur. Ceterum *cupiditate* est etiam in Guelf. (et Bud.) quod e Flor. lectione *cupidite* dedit Pich. ed. Put. At (c. Agr.) edd. pr. Ber. (Rhen.) sqq. *cupidine.* Pro *detrectatione* cod. Guelf. ed. pr. *detractione,* ut in aliis libris. Videtur fuisse *detractatione:* de qua scriptura vid. Drakenb. ad Liv. 34, 15. et quos ibi laudat. Add. ad A. 11, 11. ERN. Bud. *detractatione.*

*Num omnes nuntios*] *Num* edd. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. MS. Guelf. a man. s. Fuit ante *non,* ut in edd. Put. Ber. Illud melius puto. ERN. Freinsh. præferebat *non.*

*Ut multa per Centuriones*] Liber Hispanus *ut multa Centuriones Tribunosque,* omissa vocula. Verissime. Nam ea Othonis mens est, ut velit quædam imperia Centurionibus tantum Tribunisque indicari: non in milites spargi. Flor. liber habet, *Multa etiam Centuriones:* optime. LIPS. Florentino congruunt MSS. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. Ber. At Rhen. (cum Bud.) omisit *etiam,* quod restituit Pichena. Lipsius fluctuavit. Sed tamen et ultima ed. Rhenanum sequitur. ERN. Receptam lectionem tuentur Acid. et Gruterus.

*Si ubi jubeantur*] MSS. Flor. (Reg. Lall.) Guelf. a m. s. ed. pr. *sicubi.* Ryckius e cod. Agr. dedit *si cur.* ERN. Bud. *si ubi.*

*Perditus ac temulentus*] Puto, *percitus.* Nam ad instinctum quemdam et *insaniam* (ita statim) refert. LIPS. Bud. *alterne.*

*Vos quidem istud pro me*] Sc. fecistis. *Istud* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. vett. edd. ante Rhenanum. Recte restituit Ryckius. At Rhen. dedit *istuc:* sc. irrupistis. ERN. In Rhen. editione potius operarum vitio legi *istuc* putarim; nihil enim notavit.

*Si Vitellio et satellitibus ejus*] Hæc ipsa movendi ratio ab hostium affectu et voto, usurpata decenter Homero: Iliad. A. 255.

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες,
Ἄλλοί τε Τρῶες μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ,
Εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν.

Et cur non ab illo uberi eloquentiæ et sapientiæ fonte sit hic rivus? LIPS.

*Nobis*] Rhen. malit *vobis,* sed non necesse. Oratorio artificio utitur Princeps.

*Parendo potius*] Hic et aliis locis in hac oratione Tacitus ob oculos habuit orationem Paulli ad milites ap. Liv. 44, 34. ERN.

commilitones, quam imperia Ducum sciscitando, res militares continentur: et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit: mihi consilium et virtutis vestræ regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit: ceteri abolete memoriam fœdissimæ noctis; nec illas adversus Senatum voces ullus unquam exercitus audiat. Caput Imperii, et decora omnium provinciarum, ad pœnam vocare, non hercle illi, quos cum maxime Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Ulli ne Italiæ alumni, et Romana vere juventus, ad sanguinem et cædem deposcerent ordinem, cujus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium præstringimus? Nationes aliquas occupavit Vitellius; imaginem quandam exercitus habet: Senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc Respublica, inde hostes Reipublicæ constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promiscua sunt: æternitas rerum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumitate Senatus

*Fortissimus in ipso discrimine*] Verissima gnome, quæ veteri Græcorum dicto firmatur apud Eustathium, Θρασὺς πρὸ ἔργου, ἐκ πολλοῦ κακός. Aristoteles etiam apte in Nicom. 3, 10. Καὶ οἱ μὲν θρασεῖς, πρόπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων κινδυνεύειν, ἐν αὐτοῖς δὲ ἀφίστανται· οἱ δὲ ἀνδρεῖοι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δὲ ἡσύχιοι. Quem locum, nihil absurdum, Tacitum adspexisse et expressisse. Sed et Homerus Græcos semper quietos et tacitos facit ante pugnam: Il. B. 8.

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν στιγῇ μέσα πνείοντες Ἀχαιοί.

Iliad. Δ. 429.

— Οἱ δ' ἄλλοι ἐκὰς ἴσαν (οὐδέ κε φαίης Τόσσον λαὸν ἔχεσθαι ἔχων' ἐν στήθεσιν αὐδὴν) Στιγῇ δεδιότες σημάντορας.

Talis et Livianus Manlius, qui nulla voce aut minis in Gallum ibat 7, 10. *sed pectus, animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat.* Lips.

*Nec illas*] Sic ed. pr. nisi quod vitiose *ullas* pro *illas*, Rhenanus seqq. Contra *ne illas* MS. Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. Illud melius: conjunctum est enim cum antecedentibus. Ern. Rhen. e Bud. *nec illas.*

*Vitellius in nos ciet*] Locum ab aliis fœde interpolatum e Vaticano restitui, religiose servata ejus scriptura: nisi quod *audeant* feci, ex *audiant*. Ne Germani quidem, inquit, illi barbari: quos nunc Vitellius in nos concitat, audeant ad pœnam amplissimum ordinem deposcere: nedum vos Romana suboles. Non etiam spreverim scribere cum Hispano codice, *quis cum maxime*: id est, quis comitatus maxime Vitellius in nos movet. Lips. Lipsii correctionem firmat Flor. Guelf. Ante Lipsium erat *quibus* et *audiant*. (Sic et Bud.) Ed. pr. corruptius: *nec illos, quibus cum maxime. Ignosci et Germani audiant.* Mox *deposcerent* MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. pr. Rhen. sqq. At Puteol. Ber. *reposcerent.* Illud verum est, et verbum proprium in hac re. Rhenanus malit *deposcent.* Frustra. Sensus est: si vos vere Romani essetis, an deposceretis etc. Ern. Teste Jac. Gronovio Flor. habet *depoposcerint.* Bud. *depoposcerent.* Istud recepit Gron.

*Vitellianarum partium perstringimus*] Lege *præstringimus*, i. e. hebetamus, obumbramus. At recte mox: *perstringendos mulcendosque animos.* Hoc enim quod Persius 1, 107. *mordaci radere vero.* Gron. Verissime. Ern. Bud. *perstringimus.* Verum cum Gron. omnes interpretes consentiunt, legendum *præstringimus.* Quidni ergo recipiamus?

*Domibus et tectis*] Tale Augustus in Dione, oratione ad populum 56, 5. Ἄνθρωποι γάρ που πόλις ἐστὶν, οὐκ οἰκίαι, οὐδὲ στοαὶ, οὐδ' ἀγοραὶ ἀνδρῶν κεναί. Lips. Camillus apud Liv. 5, 54. *Adeo in superficie tignisque caritas nobis patriæ pendet?* Ern.

*Promiscua possunt*] Bud. (et Agr.) codex, *promiscua sunt*: itemque Flor. in quo *promisca sunt*: quod hellenismo

firmatur. Hunc auspicato a parente et conditore urbis nostræ institutum, et a Regibus usque ad Principes continuum et immortalem, sicut a majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam, ut ex vobis Senatores, ita ex Senatoribus Principes nascuntur."

LXXXV. Ea oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos, et severitatis modus (neque enim in plures, quam in duos animadverti jusserat) grate accepta, compositique ad præsens, qui coerceri non poterant. Non tamen quies urbi redierat: strepitus telorum et facies belli erat: militibus, ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos, occulto habitu, et maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus objecerat. Vitellianos quoque milites venisse in urbem ad studia partium noscenda, plerique credebant. Unde plena omnia suspicionum, et vix secreta domuum sine formidine. Sed plurimum trepidationis in publico. Ut quemque nuntium fama adtulisset, animum vultumque conversi, ne diffidere dubiis ac parum gaudere prosperis viderentur. Coacto vero in curiam Senatu, arduus rerum omnium modus, ne contumax silentium, ne suspecta

quodam retineri posse, imo debere, assentior Rhenano. Sed velim amplius, *inanima*, rescribi, paullo ante. LIPS. Firmat *promiscua sunt* ed. pr. recepit Freinsh. cum altero *inanima* pro *inania*. ERN. Quod ad Flor. lectionem, notat Pichena, in quibusdam codicibus antiquis semper legi *promiscus, a, um*. Apud Plautum quoque et Gellium passim sic. *Muta atque inanima* simili modo jungit Cic. in Verr. 5, 67.

*Æternitas rerum*] Intellige Rempublicam Romanam. *Pars* MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Rhen. sqq. *Pars* Puteol. Beroald. vitiose. ERN.

*Et oratio*] Guelf. a m. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. At edd. ante Rhen. omnes, MS. Agr. *ea*, ut Mureto placuit. ERN. Brot. et Bip. recte recepere, restitui et ipse.

*Non tamen quies urbis*] Lectionem hanc et distinctionem a libris priscis non potui, quin anteferrem vulgatæ, aut conjecturis aliorum parum firmis. LIPS. Sic et Guelf. (Bud.) edd. ante Rhen. omnes. Hic (ex ingenio) edidit: *non tamen quies urbi. Sed erat str. t.* et sic editum usque ad Lipsium: item *et* pro *erat*, quod exhibet etiam Flor. (et Bud.) exprimitque etiam J. Gron. ERN.

*Militibus sparsis per domos*] Turbarunt me verba, quæ jam capio. Significat enim, milites in plebeia aut pacata veste, sine gladiis, domos perlustrasse, sermones excepisse adversus Principem, aut statum præsentem. Arrianus eum morem mihi suggerit Diss. Epicteti 4, 13. Οὕτω καὶ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἐν Ῥώμῃ οἱ προσιτεῖς λαμβάνονται. Παρακεκάθικέ σου στρατιώτης ἐν σχήματι ἰδιωτικῷ, καὶ ἀρξάμενος πακῶς λέγειν τὸν Καίσαρα, εἶτα σὺ ὥσπερ ἰσχυρὸν παρ' αὐτοῦ λαβὼν τῆς πίστεως τὸ αὐτὸν τῆς λοιδορίας κατῆρχθαι, λέγεις καὶ αὐτὸς ἃ καὶ φρονεῖς. Εἶτα δεδεῖς, ἀπάγη. Et hoc fine præsertim milites, qui frumentarii dicti. De quo alias. LIPS.

*Animo vultuque conversi*] Bene Rhen. (e Bud.) *animum vultumque*; male *conversi*: nam alterum prorsus postulat series orationis, in qua intelligitur verbum substantivum, quasi esset: *Sed plurimum trepidationis in publico erat conversis animum vultumque, ut quemque nuntium, fama attulisset*. GRON. *Animum vultumque* Guelf. a pr. manu, ed. pr. Ceteræ ante Rhen. *animo vultuque*. *Conversis* deinde omnes scripti et editi præter Flor. qui habet *conversi*, ut edidit Rhenanus (e Bud.): quod plane cum J. Gronovio probo. Nova autem est sententia, ut idem vidit. Deinde pro *ac* Ursinus et Acidalius malebant *aut*. ERN. Ryck. præfert *conversis*.

libertas. Et privato Othoni nuper, atque eadem dicenti, nota adulatio. Igitur versare sententias, et huc atque illuc torquere, " hostem et parricidam" Vitellium vocantes: providentissimus quisque vulgaribus conviciis; quidam vera probra jacere, in clamore tamen, et ubi plurimæ voces, aut tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes.

LXXXVI. Prodigia insuper terrebant, diversis auctoribus vulgata. " In vestibulo capitolii omissas habenas bigæ, cui Victoria institerat: erupisse cella Junonis majorem humana speciem: statuam D. Julii in insula Tiberini amnis, sereno et inmoto die, ab Occidente in Orientem conversam: prolocutum in Etruria bovem: insolitos animalium partus:" et plura alia, rudibus sæculis etiam in pace observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Sed præcipuus et cum præsenti exitio etiam futuri pavor, subita inundatione Tiberis: qui inmenso auctu, proruto ponte sublicio, ac strage obstantis molis refusus, non modo jacentia et plana urbis loca, sed secura ejusmodi casuum inplevit. Rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. Fames in vulgus, inopia quæstus et penuria alimentorum. Conrupta stagnantibus aquis insularum fundamenta, dein, remeante flumine, dilapsa. Utque primum vacuus a periculo animus fuit, id ipsum, quod paranti expeditionem Othoni, campus Martius et via Flaminia iter belli esset ob-

*Atque eadem dicenti, nota adulatio*] E Vatic. ita restituimus, voce una addita, et altera mutata. Difficilis, inquit, in Senatu rerum omnium modus. Taceres? silentium pro contumacia esset. Diceres libere et censeres? invisa libertas. Ad gratiam loquerere? non faceres fidem: quia privatus nuper Otho, peritus harum artium et iisdem adulationibus exercitus. LIPS. Ante erat *eadem dicendi adulatio*: ed. pr. *dicenda*. Quod Lipsius dedit, est et in Flor. (et Agr.) ERN. Bud. male *eadem dicendi nata*.

*Aut tumultu verborum*] MSS. Guelf. Agr. ed. pr. *tumultus*; male: sua ipsorum vociferatione sibi obstrepebant, non aliena. ERN. Bud. et edd. Puteol. Ber. Rhen. *tumultu*. Grotius volebat *aucto tumultu*.

*Sereno et immoto die*] Abest *die* a MSS. Ox. Bud. Guelf. ubi man. sec. addidit. Sed habent ceteri libri scripti et editi omnes. Nec video, quare deleri Muretus et J. Gron. aut pro eo *cælo* rescribi voluerit Rhenanus. ERN.

*Tantum in metu audiuntur*] Quippe hoc ingenium vulgi, tunc converti ad religiones et monstra observare aut fingere. Claudianus apposite, De bello Getico 227. *Utque est ingenioque loquax, et plurima fingi Permittens credique timor: nunc somnia vulgo Narrari, tunc monstra Deum, monitusque sinistri.* Propiusque ad Tacitum 239. *Et si quod fortasse quies neglexerat omen, Addit cura novis.* LIPS.

*Etiam futuri pavor*] Is enim, ut ait Plinius 3, 5. (9.) *vates quodammodo intelligitur ac monitor, auctu semper religiosus.* LIPS.

*Proruptо ponte sublicio*] Sine dubio Tacitus scripsit, *proruto*. GRON. Verissime. *Nec prorupto* in tali evidentia ferendum. Mox *et cubilibus* etiam Flor. Guelf. (Bud.) Male edd. ante Rhen. *ex*. ERN. Davies ad Cæs. B. G. 3, 26. tuetur τὸ *prorupto*, ut 15, 40.

*Ejusmodi*] Sic Flor. Bud. Agr. Recepit et J. Gron.

*Corrupta*] Ante hanc phrasin majorem distinctionem bene locavit Pichena.

*Id ipsum quod etc.*] Omnes libri præter Bud. *quod. Othoni*, quod ab eodem abest, etiam in Guelf. est a man. sec. ERN.

structum a fortuitis vel naturalibus caussis, in prodigium et omen inminentium cladium vertebatur.

LXXXVII. Otho, lustrata urbe, et expensis belli consiliis, quando Peninæ Cottiæque Alpes et ceteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonensem Galliam adgredi statuit; classe valida et partibus fida, quod reliquos cæsorum ad pontem Milvium, et sævitia Galbæ in custodiam habitos, in numeros legionis composuerat; facta et ceteris spe honoratioris in posterum militiæ. Addidit classi urbanas cohortes et plerosque e Prætorianis, vires et robur exercitus, atque ipsis Ducibus consilium et custodes. Summa expeditionis Antonio Novello, Suedio Clementi, primipilaribus, Æmilio Pacensi, cui ademptum a Galba Tribunatum reddiderat, permissa. Curam navium Oscus libertus retinebat, ad observandam honestiorum fidem comitatus. Peditum equitumque copiis Suetonius Paullinus, Marius Celsus, Annius Gallus, rectores destinati. Sed plurima fides Licinio Proculo, Prætorii Præfecto: is urbanæ militiæ inpiger, bellorum insolens, auctoritatem Paullini, vigorem Celsi, maturita-

*In prodigium et omen*] Bud. *in omen*. *Lustrata urbe*] Vid. ad A. 13, 24. ERN.

*Reliquos cæsorum*] Freinshemius malebat *reliquias*: quod non necessarium puto. *Cæsorum*, in Guelf. a manu sec. correctum *Cæsarum*, est in ed. pr. item in marg. pro var. lect. *ad pontem Æmilium*. Mox *in custodiam* omnes, præter MS. Agr. qui habet *in custodia*, ut Rhenanus voluit. Sed illud quoque rectum. ERN. Bud. male *cesarum ad p. miluinum*. Sed mox *in custodiam*. Cf. Vossius de Construct. c. 65.

*In numerum legionis*] Hispanus codex *numero*: Romana editio et Flor. (cod. et Agr.) *numeros*; quod rectum hic est; intelligendique numeri militares, de quibus jam prædixi. LIPS. Florentinus intelligendus non antiquior ille, qui hic folio defectus est, sed alius a Pichena inspectus. *Numeros* etiam ed. pr. *Numero* Guelf. (Bud.) et edd. vett. Lipsius edidit *numerum*, etiam in sexta et ultima recensione. *Numeros* recepit Pichena. Sunt cohortes. ERN. Cf. not. supra ad c. 6. tum et Agr. 18 et 32. Unde Ryck. et A. 2, 80. emendandum putat.

*Facta et ceteris spes*] Suspicor auctorem scripsisse: *composuerat, facta et cæteris spe honoratioris in posterum militiæ*. Sic 1. 3, 9. *in Vitellium ut inimicum rescripsere, facta Tribunis et Centurionibus retinendi, quæ Vitellius indulsisset, spe*. GRON. Sic correxerat et vir doctus in Gryphiana. *Ceteris* MS. (Bud. Agr. et) Pichenæ, ed. pr. quæ et *honoratæ* habet. Alii edd. et scr. *reliquis*. ERN.

*Plerosque*] i. e. nonnullos vel multos, ut ap. Quinctil. 6, 4, 7. Cf. Ryck.

*Vires et robur*] A conjectura nostra est: libri enim omnes, *e Prætorianis viris, ut robur exercitus*: parum apte. LIPS.

*Invitatus*] Vox *invitatus*, suspecta: quidam libri (Agric. et Reg. Lall.) *imitatus*, alii *immutatus*. Faernus, *initio datus*. LIPS. Nihil ineptius τῷ *invitatus*, nisi forte ipsæ illius verbi defensiones. Hoc adfirmare proclive est: sed non tam facilis medicina. Suspicabar tamen, *comitatus*, vel *minister datus*. Adde Observ. 2, 20. GRON. Grævio in ep. ad Heins. et Ryckio placebat *incitatus*, quod non melius τῷ *invitatus*. Nec placent Gronovianæ conjecturæ, aut Heinsiana, ep. ad Græv. in Syll. t. 4. p. 173. *imputatus*: quasi etiam beneficium esset, quæ contumelia erat. Usitatum alias verbum est *impositus*. ERN. Flor. habet *immutatus*. Inde Pich. conjiciebat *immixtus*, quasi inter Duces additus. Boxh. tuetur vulg. *invitatus*. Muretus et Gruterus deleri vocem jubent; quod mihi satis arridet. Heinsii *imputatus* rejicit Grævius l. c. p. 187. Dum quid melius, recipio cum Bip. Gronovii *comitatus*.

*Rectores destinati*] Liber Covarruviæ (et Bud.) *rectores constituti*. Utrumque spurium: et sententia sine eo constat. LIPS.

tem Galli, ut cuique erat, criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus, bonos et modestos anteibat.

LXXXVIII. Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia, neque obscura: nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbæ monstratus. Multos e Magistratibus, magnam consularium partem, Otho, non participes aut ministros bello, sed comitum specie, secum expedire jubet: in quis et L. Vitellium, eodem quo ceteros cultu, nec ut Imperatoris fratrem, nec ut hostis. Igitur mota urbis cura: nullus ordo metu aut periculo vacuus: primores Senatus ætate invalidi et longa pace desides: segnis et oblita bellorum nobilitas; ignarus militiæ Eques: quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario, qui ambitione stolida, conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos adparatus conviviorum et inritamenta libidinum, ut instrumenta belli, mercarentur. Sapientibus quietis et Reipublicæ cura: levissimus quisque et futuri inprovidus, spe vana tumens: multi adflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, et per incerta tutissimi.

LXXXIX. Sed vulgus, et magnitudine nimia communium curarum expers populus, sentire paullatim belli mala, conversa in militum usum omni pecunia, intentis alimentorum pretiis: quæ, motu Vindicis, haud perinde plebem adtriverant, secura tum urbe et provinciali bello, quod inter legiones Galliasque

*Corn. Dolabella*] Suet. Galba 12. *Cneium* dicit.

*Propinquitate Galbæ*] Quo vinculo, nescio: sed ipsi Galbæ suspectum Dolabellam de imperio, in Suetonii Galba 12. observo. Scribit et Plutarchus c. 23. cum de successore Galba deliberaret, *amicos partim Dolabellæ, plurcs Othoni studuisse.* Non ergo mirum, Othoni nunc suspectum et a Vitellio mox interfectum. LIPS. Cf. H. 2, 63.

*Secum expedire*] i. e. in bellum ire, ad bellum se accingere, ut supra c. 10. dictum. Mox *mota cura* reddidit Freinshemius, quod est in Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. At ed. pr. Rhen. seqq. *motæ urbis curæ.* Dedi deinde *et abdere* e Guelf. edd. vett. pro *ac addere*, quod recentiores male obtinet. ERN. Bud. et inde Rhen. *motæ urbis cura.* (non *curæ* ut Agr. et Reg. Lall.) Mox Bud. *abdere:* tum *ætate invalidi*, ast Agr. *invalida.*

*Sapientibus quietis et Reip. cura*] *Et* edd. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. omnes. Ceteræ *a Reip. cura* et Guelf. Possis conjicere *quies a Reip. cura*; i. e. abstinebant se a Republica: sed vulgatum verum puto. Sic in fine libri quies urbis et Imperii cura conjunguntur. ERN.

*Multis afflicta fides in pace*] Quis crederet, optimum Rhenanum tam diu impune laturum fuisse hanc mendam? Mutat olim editum, quod, etiamsi, ut ille voluit, omnes libri præferrent, ipso orationis filo postulante restituendum foret. Et profecto sic conjeceram, antequam ex notis ejus didicissem, antea lectum ita fuisse. Quam bene, quæso, cohærent: *multis afflicta fides, ac alacres et tutissimi?* Præsertim si conferas: *multi afflicta fide, ac alacres et tutissimi.* Qua parte autem commodius, *multis afflicta fides*, quam *multi afflicta fide?* An *homo antiqua virtute et fide*, insolentius quam, *homini antiqua virtus et fides?* Redde igitur Tacito multo rotundiorem sermonem: *multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, et per incerta tutissimi.* GRON. Sic sane et Guelf. et edd. Put. Ber. Alc. Quod Rhenanus dedit (e Bud.) tamen et in ed. pr. est et MS. Agr. *Magnitudine nimia* refer ad populum, qui in societatem curarum talium venire non potest propter multitudinem suam. ERN.

*Et provinciali bello*] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. omnes. At MS. Guelf.

velut externum fuit. Nam, ex quo D. Augustus res Cæsarum composuit, procul, et in unius sollicitudinem aut decus, Populus Romanus bellaverat. Sub Tiberio et Caio, tantum pacis adversa in Rempublicam pertinuere. Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita. Nero nuntiis magis et rumoribus, quam armis depulsus. Tum legiones classesque, et, quod raro alias, Prætorianus urbanusque miles in aciem deducti: Oriens Occidensque et quidquid utrimque virium est a tergo: si ducibus aliis bellatum foret, longo bello materia. Fuere, qui proficiscenti Othoni moras "religionemque nondum conditorum ancilium," adferrent. Adspernatus est omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam: et Cæcina, jam Alpes transgressus, exstimulabat.

XC. Pridie Idus Mart. commendata Patribus Republica, reliquias Neronianarum sectionum, nondum in fiscum conversas, revocatis ab exsilio concessit: justissimum donum et in speciem magnificum, sed, festinata jam pridem exactione,

(Agr.) edd. Puteol. Beroaldi *a prov. bello.* ERN.

*Pacis adversa pertimuere*] Fallor, aut hoc rectum: etsi a mente tantum nostra, sine libris. Nam illi omnes (in his Bud.) voce auctiores, *adversa Reip. pertimuere*, quam nos tamen superesse censemus, imo sententiam perdere. LIPS. Nihil adhuc melius Lipsiana correctione vidi: nec ei præferam, quod mihi in mentem aliquando venit, ob consensum librorum in *Reipubl.* verbo: *pacis adversa Remp. perdidere.* ERN. Agr. *in Republica pertimuere.* Cod. a Pichena cit. habet *r. p. pertinuere.* Arripiunt hoc Bip. et exponunt *per Rempublicam pertinuere*, i. e. permanarunt, quæ vis verbi frequens apud Cic. aliosque. Hoc ut admodum probabile mihi videtur, ita præpositionem cod. Agr. non incassum adesse puto, lego *in Rempublicam pertinuere.* Bud. habet *r. p. partimuere.*

*Scriboniani*] Dalmatiæ Legati. Sueton. Claud. c. 13. ERN.

*A tergo*] Distinxi ab antecedentibus, ut factum in Guelf. et Acidalius voluit. Oriens cum viribus suis a tergo Othonis, occidens Vitellii. ERN.

*Si ducibus aliis*] Sic MS. Pichenæ, edd. pr. Pichenæ, seqq. et sic voluit Rhenanus (ex ingenio): alii libri *sub ducibus aliis si b. f.* quod eodem redit. Post Ryckius e MS. Agr. edidit *longa bello materia.* ERN. Bud. *sub Ducibus aliis bellatum foret;* ubi *si* deest.

*Nondum conditorum ancilium*] Mitto te ad ea, quæ scripsi olim Antiq. Lection. 5, 16. Quibus adtexi velim Ovidii locum Fast. 3, 395. *Arma movent pugnam: pugna est aliena maritis. Condita cum fuerint, aptius omen erit:* quibus versibus vult poeta, ne conjugium quidem dextro pede adiri, cum mota sunt ancilia, sed cum condita. Festus autem ostendit, etiam alios aliquot dies fuisse, quibus Romani tenuerint se ab armis: *Præliores dies*, inquit, *quibus fas est hostem bello lacessere: erant enim quædam feriæ publicæ, quibus nefas erat id facere.* LIPS. Ceterum ed. pr. addit *scutum et arma cœlestia*, idemque in MS. Guelf. additum a manu sec. in margine: quæ esse e glossa, quivis videt. Add. ad A. 16, 2. Post edidi cum Ryckio (ex Agr.) *aspernatus est*, quod habet etiam ed. pr. ERN. Quæ in margine Guelf. leguntur, in textu habet Bud. In antiquo Kalendario ad Kal. Mart. adscriptum est: FESTUM MARTIS ET JUNONIS. ANCILIA FERUNTUR. In alio ex ævo Constantii occurrit VII Idus. ARMA ANCILIA MOVENT. Ibidem prid. Idus ponuntur MAMURALIA, ultimus festi dies. Hoc nondum condita fuerunt ancilia, quum Otho profectionem moliretur. A dictis abludit Polybius, qui in exc. legat. c. 23. triginta dierum fuisse id festum Saliorum scribit. Qua de re vid. Gutberlethus de Saliis c. 15. Verbum substantivum post *adspernatus* non habet Bud.

*Neronianarum sectionum*] Vid. supra c. 20. Intelliguntur donationes Neronis revocandæ. ERN.

*Festinata exactione*] Nempe ab ipsis, qui fisco præerant: qui festinantes, et,

usu sterile. Mox vocata concione, "majestatem urbis et consensum Populi ac Senatus pro se" adtollens, adversum Vitellianas partes modeste disseruit: "inscitiam potius legionum, quam audaciam," increpans, nulla Vitellii mentione: sive ipsius ea moderatio, seu scriptor orationis, sibi metuens, contumeliis in Vitellium abstinuit: quando, ut in consiliis militiæ, Suetonio Paullino et Mario Celso, ita in rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur: et erant, qui genus ipsum orandi noscerent, crebro fori usu celebre, et ad implendas aures latum et sonans. Clamor vocesque vulgi, ex more adulandi, nimiæ et falsæ: quasi Dictatorem Cæsarem, aut Imperatorem Augustum prosequerentur, ita studiis votisque certabant: nec metu aut amore, sed ex libidine servitii, ut in familiis, privata cuique stimulatio et vile jam decus publicum. Profectus Otho, quietem urbis curasque Imperii Salvio Titiano fratri permisit.

ut in talibus, diffidentes, exegerant vel ante diem: pactione etiam aliqua, aut remissione. Itaque pro hac sententia, bene Flor. et quidam libri *festinata jampridem exactione:* addita significanter voce. LIPS. Habent et MS. Agr. ed. pr. ceteræque ante Rhenanum, qui id verbum ejecit (quia a Bud. abest). Recepere jam Ryckius et J. Gronovius. Mox edd. veteres et (Bud. ac) Guelf. *usu sterili.* ERN.

*Galerii Trachali*] De eo dictum in Dial. de Oratoribus. Mox *Othonem* insititium putat Acidalius: non male. Item ab ed. pr. post abest *populi* ante *aures;* recte. Si Romana prima ab illa diversa est, consentit. V. Gruterus. Itaque delevi. ERN. De Trachalo v. Quinctil. 10, 1, 119. 12, 5, 5. 12, 10, 11. Consul fuit a. u. 821. cum C. Silio Italico. *Populi* habent Bud. Agr. et edd. vet. Contra abest a cod. Reg. Lallem. Loco *Othonem* reponunt Bip. *et oratione*, et ad A. 13, 3. provocant, ubi similia de Nerone, qui oratione usus, a Seneca composita.

*Latum*] Heins. dabat *elatum*, ut Grævius quoque ap. Cic. ad Div. 6, 7. Sed ap. Cic. in Bruto c. 31. *adstrictiori orationi* opponitur etiam *liberior et latior.* Nil ergo mutandum.

*Sed ex libidine servitii, ut in familiis*] Verius clariusque distinxeris, *servitii. Ut in familiis*, etc. LIPS. Nec quid hæc verba sibi velint, nec quid Saviliana eorum explicatio, *inter servitia*, intelligo. Suspicabar autem: *sed ex libidine servitii et in tantis malis privata cuique stimulatio et vile decus publicum.* Sic video aliquam sententiam. Tò *et* accipiendum pro *etiam.* Solent adversa ex fortuna ebriis facere sobrios, et admonere decoris, atque efficere, ut, privata spe neglecta, in publicum consulamus. At hi adeo, inquit, adsuerant servili adulationi, ut etiam, quum cogeret nemo, et tanta imminentia civilis belli mala facile tristiores vultus excusarent, gratiam captarent privatam, nec cogitarent, quid tali tempore Reipublicæ deceret. H. 2, 71. Vitellius Neronem *sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginæ mancipatus emptusque.* Et c. 74. ex MS. *in tanta mole*, pro *inerat a mole* eruit Pichena. GRON. Mihi vulgatum verum videtur. Populus serviendi studio eadem faciebat, quæ in privatis ædibus familia servorum solet. Utilitatis cura est singulis, nulla dignitatis ac decoris. MS. Guelf. (Bud. Agr.) *simulatio.* ERN. *Familia*, ut ap. Phædrum 3, 19. *Æsopus domino solus quum esset familia.*

*Profectus Otho*] Suet. referente c. 8. *profectus est eo die, quo cultores matris Deum lamentari ac plangere incipiunt.* fiebat id die 27 Martii.

# C. CORNELII TACITI
# HISTORIARUM
## LIBER SECUNDUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Titus ad Galbam missus, nuntio mortis ejus accepto, vertit iter. 2. Paphiæ Veneris templum adit. 3. Hujus origo et Deæ cultus. 4. Ibi futura edoctus, acuto animo, ad patrem, qui bellum Judaicum profligaverat, redit. 5. Vespasiani Mucianique ingenium ac mores diversi. Hi Duces, positis odiis, in medium consulunt. Inde 6. 7. civilis belli occasio, intumescentibus Orientis legionibus. 8. 9. Falsi Neronis ludibrium, ab Asprenate compressum. 10. In urbe parvæ res magnis motibus actæ. Vibius Crispus Annium Faustum, delatorem fratris sui, pervertit.

11. Læta Othoni principia belli. 12. Miles ejus in Alpinos sævit, 13. in Albium Intemelium iras vertit. Egregium maternæ pietatis exemplum. 14. Inminet provinciæ Narbonensi Othoniana classis. Vitelliani cæsi, 15. nec Othonianis incruenta victoria. 16. Pacarium Procuratorem, juvare Vitellium Corsorum viribus parantem, insulani necant. 17. Vitellianorum res secundæ in Italia. 18. 19. Spurinna Placentiam munit contra Vitellianos. 20. eam Cæcina dum oppugnat, 21. amphitheatrum urbi proximum conflagrat. 22. Obsidione soluta, Cremonam Cæcina petit, ubi 23. Othoniani prospere pugnant. Vincentium inpetum reprimunt Duces, inde suspecti fiunt suis. 24. Cæcinæ insidias in ipsum vertit Suetonius Paullinus, cujus 25. cunctatione Vitelliani servantur. 26. Utrimque tumultuantur milites.

27. Valens in Italiam copias ducit. 28. 29. Gravis in ejus exercitu orta Batavorum seditio Alpheni Vari consilio composita. 30. Junctis armis, æmulatione suppressa, Cæcina ac Valens Vitellium fovent, Othoni probra objectant. Eorum 31. Othonisque et Vitellii comparatio. Otho consultat de ratione belli. 32. Suetonius Paullinus moram suadet. 33. Titiani fratris et Proculi consilia prævalent. Otho cum valida manu Brixellum concedit. 34. Vitelliani transitum Padi simulant; 35. 36. quem prohibentes Othoniani cæduntur. 37. Vanus rumor, pavore belli fastidiove utriusque Principis, pacis consilia inter exercitus fuisse agitata. 38. Excursus de prioribus P. R. civilibus bellis. 39. 40. Titianus et Proculus ad quartum a Bedriaco castra inperite promovent. Ducibus dubiis, rem in discrimen mitti Otho jubet. 41—43. Bedriacensis pugna. 44. Othonianorum fuga et adversus Duces suos ira. 45. Induciæ. Victi cum victoribus, in lacrimas effusi, civilia bella detestantur. 46—49.

Accepto cladis nuntio, Otho, consilii certus, spretis amicorum militumque solatiis, seditionem compescit et in ferrum pectore incumbit. Funus maturatum. Ad rogum quidam militum se interficiunt. 50. Othonis ætas, origo, fama.

51. Novata luctu ac dolore militum seditio. 52—54. Pars Senatus, Othonem secuta, extremum discrimen adit. 55. Romæ trepidationis nihil, spectantur ludi; audita Othonis morte, Vitellio plauditur. 56. Gravis Italiæ victor exercitus. 57. Vitellius nuntium de victoria sua accipit, 58. simulque de transgressa in partes suas utraque Mauretania. 59. Blæsi verniles blanditias odiis pensat. 60. Othonianorum promtissimos Centuriones interficit, Duces absolvit. 61. Maricci, inserere sese fortunæ ausi, supplicium. 62. Vitellii gula, leges. Spretum Augusti Cæsarisque præconium. Pulsi mathematici. Equites arena prohibiti. 63. 64. Dolabellæ cædes. Triariæ licentia; Galeriæ et Sextiliæ modestia. 65. Cluvius absolvitur; Trebellius removetur. 66. Victæ legiones ferociunt. Quartadecimanorum et Batavorum discordia. 67. Prætorianorum honesta missio. Sparguntur legiones. 68. Luxuriam Principis æmulatur exercitus. Ticini tumultus alio tumultu sedatus. Verginii periculum. 69. Cohortes Batavorum in Germaniam remissæ: amputati legionum auxiliorumque numeri: miles luxu conruptus. 70. Vitellius Bedriacenses campos lætus lustrat, propinquæ sortis ignarus. 71. Neronis libidines æmulatur. Consulatus partitur. 72. Falsus Scribonianus cruci suffixus.

73. Vitellius, ob adactum in verba ejus Orientem superbus et vecors, Vespasiani ad nomen excitatur. 74. Hic bellum armaque parat. 75—78. nutantem firmant Mucianus, Legati alii, vatum responsa et Carmeli Dei Sacerdos. 79. 80. Imperatorem salutant Ægyptus et Syria. 81. Accedunt ad partes ejus Reges Sohemus, Antiochus, Agrippa; Regina Berenice. 82. Belli consilia. Titus instat Judææ. Vespasianus claustra Ægypti obtinet. 83. 84. Mucianus, cum exercitu præmissus, nervum belli conquirit. 85. 86. Mœsicæ Pannonicæque legiones, in partes transgressæ, Dalmaticum militem trahunt. Belli faces Antonius primus, Cornelius Fuscus.

87. Vitellius, contemptior in dies, gravi urbem agmine petit, eamque, 88. 89. patrata multa militum paganorumque cæde, ut captam, ingressus, 90. magnificam de semetipso orationem promit, 91. humani Divinique juris expers, nonnulla tamen popularia usurpat. 92. Munia Imperii Cæcina ac Valens obeunt. Vitellio auctoritas nihil. 93. Militis in urbe otium, libidines, morbi, mortes, 94. insolentia, paucitas. Vitellii inopia, prodigentia. Duces Galliarum postulati ad supplicium. Militiæ ordo confusus. 95. Natalis Vitellii ingenti paratu celebratus. Inferiæ Neroni factæ. Urbis miseria. 96. Defectionis Flavianæ rumores male coercet Vitellius. 97. 98. Excita tamen auxilia, sed necessitas dissimulata. 99. Inrumpentibus hostibus, Cæcina ad bellum præmittitur; sed is 100. 101. cum Lucilio Basso classibusque Ravennate Misenensique proditionem componit, et ad partes Vespasiani transit. Gesta hæc sunt paucis mensibus anno eodem, Consulibus iisdem et aliis suffectis, de quibus videsis 1, 77.

I. STRUEBAT jam Fortuna, in diversa parte terrarum, initia caussasque Imperio, quod varia sorte, lætum Reipublicæ aut atrox, ipsis Principibus prosperum, aut exitio fuit. Titus Vespasianus e Judæa, incolumi adhuc Galba, missus a patre, caussam profectionis " officium erga Principem et maturam petendis honoribus juventam" ferebat. Sed vulgus fingendi avidum disperserat, " accitum in adoptionem :" materia sermonibus, senium et orbitas Principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur, multos destinandi. Augebat famam ipsius Titi ingenium, quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam majestate, prosperæ Vespasiani res, præsaga responsa, et, inclinatis ad credendum animis, loco ominum etiam fortuita. Ubi Corinthi, Achaiæ urbe, certos nuntios accepit de interitu Galbæ, et aderant, qui arma Vitellii bellumque adfirmarent, anxius animo, paucis amicorum adhibitis, cuncta utrimque perlustrat. " Si pergeret in urbem, nullam officii gratiam, in alterius honorem suscepti: ac se Vitellio, sive Othoni, obsidem fore. Sin rediret, offensam haud dubiam victoris: sed incerta adhuc victoria, et concedente in partes patre, filium excusatum. Sin Ve-

*Quod varie ortum*] Non suspicabar de mendo, absque Vaticano fuisset: cujus lectio diversa coegit me acrius paullo intueri. Nam in eo, *vari aborte*, scriptum. Et, Hercules, vulgata inepta et exsensa: quid enim est, varie ortum esse Imperium Vespasiani? Imo unus et certus illius ortus. Scribo ex vestigiis illis priscis, *quod varia sorte*. Atque ita est. Imperium Vespasianorum, felix Reip. et infelix, itemque ipsis Principibus fuit. LIPS. Emendationi Lipsianæ per se certissimæ addam præsidium ab alio auctoris loco infra c. 95. *Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icclos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat.* FREINSH. Sic et H. 3, 80. *Varia legatorum sors fuit.* GRON. Recepit Pichena. Ed. pr. *vane ortum aborte*, utraque scriptura conjuncta et confusa, ut alibi. ERN. Bud. male *varie ortum semen r. p.*

*Missus a patre*] Qua de re ita Hegesippus 4, 21. *Sententiam novi Principis* (Galbæ) *de bello Judaico sciscitari Vespasiano consilium fuit: misitque Titum filium et Regem Agrippam. Titus de Achaia revertit, comperto quod Galba occisus: Agrippa Romam contendit.* LIPS.

*Decor oris*] Sic eleganter ex ingenio correxit Rhenanus. Libri omnes *decori* vel *decoris*. ERN. Bud. *decoris*. Agr. *decorus*.

*Prosperæ Vesp. res*] Ultima duo verba non erant in MS. Bud. et in Guelf. a manu sec. addita sunt in margine. Unde Rhenanus volebat *prospere præsaga responsa*, plane ut est in Guelf. Sane alienæ sunt Vespasiani patris res: cum de ipsius bonis sermo sit. Forte tantum *prosperæ res* scripsit Tacitus. ERN.

*Præsaga responsa*] Legendum *præsagia, responsa*, diximus Obs. 2, 20. GRON. Verum puto. Nam *ominum* mox mentio, quæ sunt præsagia. ERN. Cf. Suet. Tit. 2.

*Loco ominum etiam fortuita*] Sic edidit Freinsh. *Ominum* est e libris, habetque Guelf. alterum ex ingenio: sed vere: sententia hæc Tacito et alibi usurpata. Vulgo erat vel *loco omnium*, vel *ominum etiam fortuna*. ERN. Bud. *omnium etiam fortuna*. Grotius citatis a Freinsh. locis ex H. 1, 86. 2, 84. addit alium quoque similem H 4, 26.

*Sed incerta etc.*] *Sed* edidit Rhen. (ex ingenio) bene. Antiquiores edd. item MS. (Bud. et) Guelf. *et*: quod quomodo e *sed* factum sit, patet. Sed idem Guelf. et ed. pr. *incertam adhuc victoriam*, verum MS. a man. sec. male. Sensus est: sed veniam sperari posse ex eo, quod id factum sit incerta adhuc victoria, præsertim, si pater in partes victoris concedat: intelligendum est *fore*: mox male *infensarum* Guelf. edd. Put. Ber. Alc. ERN. Bud. *incerta adhuc victoria*. Sic

spasianus Rempublicam susciperet, obliviscendum offensarum de bello agitantibus."

II. His ac talibus inter spem metumque jactatum, spes vicit. Fuere, qui, "accensum desiderio Berenices Reginæ, vertisse iter" crederent. Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum: lætam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio moderatior. Igitur oram Achaiæ et Asiæ, ac læva maris prævectus, Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam, audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit, adeundi visendique templum Paphiæ Veneris, inclytum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum, initia religionis, templi situm, formam Deæ, neque enim alibi sic habetur, paucis disserere.

III. "Conditorem templi Regem Ærian" vetus memoria, quidam "ipsius Deæ nomen id" perhibent. Fama recentior tradit, "a Cinyra sacratum templum, Deamque ipsam, conceptam mari, huc adpulsam. Sed scientiam artemque Haruspicum adcitam; et Cilicem Tamiram intulisse: atque ita pactum, ut familiæ utriusque posteri cærimoniis præsiderent." Mox, ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa, quam intulerant, scientia hospites cessere: tantum Cinyrades Sacerdos consulitur. Hostiæ, ut quisque

et Put. Alc. Dein Bud. *infensarum*, ex quo Rhen. ex ingenio *offensarum*, ut Flor. et Vat. teste Pichena. Urs. et Grotius volebant *infensorum*.

*Jactatum spes vicit*] Ferri potest. Sed tamen spes proprie non vicit Titum, sed metum. Et illam formulam *spes vicit* similesque absolute poni, sciunt omnes, ut opinor. Itaque diu est, cum conjeci legendum *jactatis*. Dicuntur autem eleganter et sæpe *jactata*, de quibus multa, crebra, longa, varia deliberatio fuit, in primis apud Livium. Vid. J. F. Gronovius et Drakenb. ad 38, 25. Alias etiam *jactari inter spem metumque* eleganter dicitur, pro inter spem metumque incertum, ambiguum esse, ut alibi noster: ut prope malim, *his ac talibus inter spem metumque jactatur*, vel *jactatus*. *Spes vicit*: si quid mutandum videtur. ERN.

*Moderatior*] Sic Med. et Agr. Recepere Bip. Sequor.

*Prætervectus*] MS. Pichenæ *prævectus*: item Guelf. ed. pr. unde recepi: de verbo jam dictum alio loco, et sic volebat Gron. ad Liv. 29, 32. ERN. Bud. *prætervectus*.

*Neque enim alibi sic habetur*] Deæ simulacrum et forma. ERN.

*Regem Ærian*] Libri scripti aut *Verianum* hunc nominant (ut Flor. et Bud.) aut *Venerianum* (ut Agr.). Pro vulgata lectione tamen Tacitus ipse in Ann. est 3, 62. *Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri Ærias auctor, post filius ejus Amathus*, etc. Ægyptum ipsam olim Æriam dictam fuisse, Isidoro 9, 2. traditum est et Agellio 14, 6. Alciatus hic mavult *Uranium*. De Cinyra autem, quod sequitur, Homerus Il. 11, 20. Plutarchus, Athenæus l. 10. in fine. Arnobius l. 6. aliique meminere. LIPS. Gr. Κινύρας. Æl. H. An. 9, 36. Hesych. in Κινυράδαι. Hygin. Fab. 270. Ovid. Met. 10, 200.

*Cilicem Tamiram*] Hæc lectio debetur Rhenano: in MS. Bud. erat *ciliceuta miram*: et plane sic Flor. Guelf. ed. pr. Unde confirmatur etiam probata doctis scriptura *Thamiram*, non *Thamyram*. ERN. *Tamiram* scribendum Meursius docet ex Hesychii Ταμιράδαι.

*Ut quisque vovisset*] Pichena ex vestigiis Florentini libri: *ut quisque vovit, sed mares*. LIPS. Idque recepit Pichena et seqq. omnes. MS. Guelf. ed. pr. *novisset*. Unde corrigendum esset *novit, sed mares*. Novit, i. e. potest, per

vovit, sed mares deliguntur. Certissima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ obfundere vetitum: precibus et igne puro altaria adolentur, nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt. Simulacrum Deæ non effigie humana: continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo, exsurgens: et ratio in obscuro.

IV. Titus, spectata opulentia donisque Regum, quæque alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetustati adfingit, " de navigatione" primum consuluit. Postquam " pandi viam et mare prosperum" accepit, de se per ambages interrogat, cæsis compluribus hostiis. Sostratus (Sacerdotis id nomen erat) ubi læta et congruentia exta, magnisque consultis annuere Deam, videt, pauca in præsens et solita respondens, petito secreto, futura aperit. Titus, aucto animo, ad patrem pervectus, suspensis provinciarum et exercituum mentibus, ingens rerum fiducia accessit.

Græcismum, sed vulgatum nunc teneamus. Ceterum hostiæ non nisi extorum inspiciendorum caussa adhibitæ, non ut in ara adolerentur. ERN. Bud. clare *novisset*.

*Offundere aræ vetitum*] Meursius Cypr. 1, 16. perperam hic reprehendit Tacitum, intelligebat quippe *effundere* sanguinem s. immolare hostiam. Cf. Ryckius. Put. Alc. *obfundere* Bud. *effundere*, male.

*Altaria adolentur etc.*] Hoc loco refellitur correctio Harduini ap. Plinium 2, 96. (97.) ubi in loco de hoc templo ex *aram* facit *aream*. Oportet autem tectum templi apertum fuisse super aram illam, ut in eo, quod fuit in Thracia, in monte Zilmisso. V. Sueton. Aug. c. 94. et ibi dicta. ERN. Bud. male *redolentur*. Virg. Æn. 7, 71. *Castis adolet dum altaria tædis:* et 1, 420. *Veneris Sabæo ture calent aræ sertisque recentibus halant*. De aris hypæthriis v. Eustath. ad Odyss. Θ. 363.

*Nec — madescunt*] Idem de statua quadam Dianæ narrat Polyb. 16, 12.

*Continuus orbis latiore initio*] Tyrius Max. (diss. 38.) *Venus a Paphiis colitur, cujus simulacrum nulli rei magis assimile, quam albæ pyramidi.* LIPS. Ea species exhibetur et in nummis ap. Tristan. in Comm. t. 1. p. 419—534. V. Jac. Gron. ad h. l. ERN. Cf. Vaillant in NN. Col. t. 1. p. 93. in nummo Drusi, et Pitture d'Ercolano t. 3. tav. 52. Apud Spanh. de Præst. et V. NN. ed. a. 1671. male in nummo Pergameno p. 479. cono caput humanum impositum cernitur, in edit. recentiore f. Lond. 1706, diss. 8, 6. is error est emendatus.

*Ratio in obscuro*] Eam tradit Clemens Alex. Protrept. (ed. Sylb.) p. 29, 30. ubi et de aliis talibus Deorum Dearumque formis reperies. Nempe tales figuræ sunt indicia vetustatis ultimæ, qua nondum exprimere didicerant ligno aut saxo formas hominum aut animalium. Add. eundem Clem. Strom. 1. p. 348. s. et Collecta Pottero Arch. Gr. 2, 2. ERN. Consuli merentur interpretes picturarum Herculanensium l. c. quorum alii conum symbolum amoris esse, alii ad phallum pertinere arbitrantur.

*Per ambages interrogat*] h. e. interrogat de fatis suis, quid sperare posset: verum non plane, ne periculum inde nasceretur; sed verbis ambiguis, quæ tamen intelligere Sacerdos posset. Hinc mox vocat *magna consulta*. Consuluit de Imperio, an sibi fatis debeatur. Mox *videt*, quod Rhenanus (e Bud.) edidit, est etiam in ed. pr. At Guelf. ceteræque edd. ante Rhen. *vidit:* ut ante *accepit*. Item post *provectus* omnes edd. ante Rhen. male. ERN. Rhen. *pervectus* e Bud. ut c. 9.

*Compluribus*] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *pluribus*.

*Ingens rerum fiducia*] Suspicabar, *ingens rerum*, voce sequenti rejecta. Sed Pichena sagaciter sensum eruit, *ingens rerum fiducia* (sexto casu) quam ex oraculo conceperat. Audiamus. LIPS. Sic Justinus 11, 4. *qui, ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Persarum viribus accessere*. Et 13, 6. *ubi et Olympias esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium*. GRON. Post Lipsii notam hic omissa est Freinshemii, qui inprobat conjectu-

Profligaverat bellum Judaicum Vespasianus; oppugnatione Hierosolymorum reliqua, duro magis et arduo opere, ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis, quam quo satis virium obsessis ad tolerandas necessitates superesset. Tres, ut supra memoravimus, ipsi Vespasiano legiones erant, exercitæ bello: quatuor Mucianus obtinebat in pace; sed æmulatio et proximi exercitus gloria repulerat segnitiam: quantumque illis roboris discrimina et labor, tantum his vigoris addiderat integra quies et inexpertus belli labor: auxilia utrique cohortium alarumque, et classes Regesque, ac nomen dispari fama celebre.

V. Vespasianus, acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac, si res posceret, manu hostibus obniti: cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans: prorsus, si avaritia abesset, antiquis Ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia et opes et cuncta privatum modum supergressa extollebant: aptior sermoni, dispositu provisuque civilium rerum peritus; egregium

ram Pichenæ, et *fiducia* nominativo casu positum statuit. Cum hoc sentit Gron. et in subsidium Justini locum adfert. Acidalius Lipsio; Muretus Freinshemio favet.

*Profligaverat bellum*] Paullo aliter *profligandi* verbo usus, quam placuit Agellio 15, 5. qui in tota ea re vereor ut caliget. Ni ita est; barbare etiam locutus sit Augustus in Ancyrano lapide: CEPTA. PROFLIGATAQUE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI. quod exemplum rigide et ex diametro cum Agellii nota pugnat. LIPS. Cf. Tollius ad Ausonii Mosellam v. 425.

*Ob ingenium gentis*] Nam pervicaces scilicet et cedere nescii Judæi. Tamen in Flor. est, *ingenium montis*: et scimus, Hierosolyma in arduo fere sita. LIPS. *Montis* etiam Guelf. a m. pr. at sec. m. correxit stulte *mentis*, quod pro *montis* editum est in ed. pr. Ex eo *gentis* factum. *Montis* bene recepit Pichena. Mox MS. Flor. *quam quo*. Sic et Guelf. (Bud.) ed. pr. unde recepi. Vulgo *quod*. ERN. Ex Bud. *mentis* Rhenanus fecit *gentis*. Paullo ante Rhenanus sublata post *Hierosolymorum* distinctione sensum meliorem dedit.

*Ut supra memoravimus*] Vid. 1, 10.

*Mucianus*] Ita ubique præpotentis hujus hominis nomen scripsi. Græci suadent, qui Μουκιανὸν appellant: et lapides, in quibus C media, non T, semper sculptum, ut in illo Romæ (ap. Grut. p. 32, 6.) L. ANNIO. FABIANO. M. NONIO. MUCIANO. COS. Multa etiam hujus mentio in Plinio, qui 12, 1. (5.) Licinium ei nomen addit, et titulum fere ter Consulis. *Licinius Mucianus ter Cos. et nuper Lyciæ provinciæ Legatus.* Libro 32, 6. (21.) de ostrearum præstantia: *Dicemus*, inquit, *aliena lingua, quæque peritissima hujus censuræ in nostro ævo fuit. Sunt ergo Muciani verba, quæ subjiciam.* Et sæpe alias: ostenditque doctum et alterum velut Mæcenatem. LIPS. Mox pro *repulerat* ed. pr. et MS. ap. Broterium *depulerat*, melius. ERN. Bud. *repulerat.*

*Et inexpertus belli labor*] Redundare vox *labor* videtur, et inculcata huc e priore versu. Legam, *et inexpertis belli.* Ita supra: *pacis artibus, belli inexpertus.* LIPS. *Labor* est in libris omnibus. In ed. pr. bis posita vox *labor* fecit, ut intermedia omnia omitterentur. In MS. Guelf. (et Bud.) est *inexperti*, ut Flor. et edd. vett. ante Rhen. ERN. Cod. Agr. *et inexperti belli labores*, quod Ryck. probat. Rhen. pro *labor* volebat *ardor*. Bip. legunt *sed inexperti belli labore*, quod vulgato non præstat.

*Ac, si res p.*] Conjunctio *ac* non est in Bud. et delet Rhen.

*Dispositu provisuque*] Non possum hic videre, quod Savilius: *very expert in the direction and foresight of civil affairs*: quasi uno spiritu jungeret auctor; *dispositu provisuque civilium rerum peritus*: quum ille voluerit; *aptior sermone, dispositu provisuque*, junctim accipi, quæ sensum impleant absque illo: *civilium rerum peritus.* Significat

Principatus temperamentum, si, demptis utriusque vitiis, solæ virtutes miscerentur. Ceterum hic Syriæ, ille Judææ præpositus, vicinis provinciarum administrationibus, invidia discordes, exitu demum Neronis, positis odiis, in medium consuluere: primum per amicos: dein præcipua concordiæ fides Titus, prava certamina communi utilitate aboleverat: natura atque arte compositus adliciendis etiam Muciani moribus. Tribuni Centurionesque et vulgus militum, industria, licentia, per virtutes, per voluptates, ut cuique ingenium, adsciscebantur.

VI. Antequam Titus adventaret, sacramentum Othonis acceperat uterque exercitus, præcipitibus, ut adsolet, nuntiis, et tarda mole civilis belli, quod longa concordia quietus Oriens tunc primum parabat. Namque olim validissima inter se civium arma, in Italia Galliave, viribus Occidentis cœpta. Et Pompeio, Cassio, Bruto, Antonio, quos omnes trans mare secutum est civile bellum, haud prosperi exitus fuerant. Auditique sæpius in Syria Judæaque Cæsares, quam inspecti. Nulla seditio legionum: tantum adversus Parthos minæ, vario eventu. Et proximo civili bello, turbatis aliis, inconcussa ibi pax: dein fides erga Galbam. Mox, ut, " Othonem ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire," vulgatum est, ne penes ceteros Imperii præmia, penes ipsos tantum servitii necessitas esset, fremere miles et vires suas circumspicere. Septem legiones statim et cum ingentibus auxiliis Syria Judæaque: inde continua Ægyptus duæque legiones: hinc Cappadocia Pontusque et quidquid castrorum Armeniis prætenditur. Asia et ceteræ provinciæ, nec virorum inopes et pecuniæ opulentæ: quantum insularum

enim Mucianum elegantiorem et diligentiorem fuisse in dispositione et ordine omnium, quæ ageret circaque haberet. Quale est, quod de Vespasiano Suet. 21. *Ordinem vitæ fere hunc tenuit*, etc. Plinius Ep. 2, 11. *Salvius Liberalis, vir subtilis, dispositus, acer, disertus.* Noster infra 68. *Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta.* Adde ad Sen. de ira 3, 6. Sic igitur Vespasiano dispositior vel *aptior dispositu* Mucianus. Idem *aptior provisu*, hoc est, magis providus et divinus et pensitator futuri, quicquid ageret. GRON. Savilii ratio potior mihi videtur cum Bip. qui etiam recte, ut puto, reponunt *sermoni*, dandi quippe casum requirit *aptior*.

*Vario eventu*] Respice ad A. 15, 24. 27. Sic non opus Acidalii *vano*.

*Vires suas circumspicere*] i. e. intellectis viribus suis arrogantiam, saltem fiduciam sumere. ERN.

*Duæque legiones*] Paullo aliter hoc olim. Nam C. Cæsar, Ægypto devicta, tres in ea legiones reliquit. Auctor Suetonius in Jul. 76. Augustus eum numerum retinuit, imo et Tiberius: sub quo Strabo sane vixit, et hæc scripsit lib. 17. p. 797. Ἔστι δὲ (in Ægypto) τρία τάγματα· ὧν τὸ ἓν κατὰ τὴν πόλιν ἕδρυται, τ' ἄλλα δ' ἐν τῇ χώρᾳ. Sed Tiberius tamen non in longum. Anno enim Imperii ejus nono Tacitus clare duas saltem legiones Ægypto adtribuit; uti et hic A. 4, 5. *Cetera Africæ per duas legiones parique numero Ægyptus.* Observa ergo obiter; paullo certius de Strabonis scriptione, quam vides eum desiisse ante hunc nonum Tiberiani Imperii annum. Addo, Hegesippum etiam de duabus his legionibus adsentiri Tacito 4, 26. *Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adjungere Vespasianus properavit.* LIPS.

mari cingitur, et parando interim bello secundum tutumque ipsum mare.

VII. Non fallebat Duces inpetus militum: sed, bellantibus aliis, placuit exspectari belli exitum: " victores victosque numquam solida fide coalescere: nec referre, Vitellium an Othonem superstitem Fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios Duces insolescere: discordiam his, ignaviam, luxuriem: et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria perituram " Igitur arma in occasionem distulere, Vespasianus Mucianusque nuper, ceteri olim mixtis consiliis: optimus quisque amore Reipublicæ: multos dulcedo prædarum stimulabat; alios ambiguæ domi res. Ita boni malique caussis diversis, studio pari, bellum omnes cupiebant.

VIII. Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritæ, velut Nero adventaret: vario super exitu ejus rumore, eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque. Ceterorum casus conatusque in contextu operis dicemus: tunc servus e Ponto, sive, ut alii tradidere, libertinus ex Italia, citharæ et cantus peritus (unde illi, super similitudinem oris, propior ad fallendum fides) adjunctis desertoribus, quos inopia vagos ingentibus promissis conruperat, mare ingreditur: ac, vi tem-

*Seclusum tutumque*] Vatic. Flor. et Romana editio, *secundum tutumque*: quod approbo. LIPS. Recepit Pichena. ERN. Bud. male *seculum*. Acidalius ita legendum suadebat: *cingitur parando i. b. seclusum; tutumque i. m.*

*Cum in victores victosque*] Rodolphus (in cod. suo) et prisca item editio *cum victoribus victos numquam solida fide coalescere*. At totum locum libentius nunc cum Pichena legam: *exspectari belli exitum, victores victosque numquam, etc.* LIPS. Gronovius conjicit *exspectari eventum*. Pichenæ correctionem recepit Freinsh. Cod. Guelf. *placuit exspectari bellum: cum in victores victosque n. s. f. coalesceret*. Sic editiones omnes usque ad Freinsh. nisi quod ed. pr. *coalescere*, ut MS. (Flor. Agr.) Bud. J. Gronov. conjicit *belli nutum* vel *cumulum*. ERN. Acid. volebat *belli casum*. Bud. *bellum cum in* etc. Inde Rhen. emendabat *bellicum*. Muretus simpliciter legebat *placuit exspectari*. Lallem. recepit *belli eventum*.

*Nuper, ceteri olim*] Locus subobscuræ sententiæ, imo incertæ. Rodolphus (in cod. suo) legisse dicitur, *nuper Titi opera mixtis consiliis*: sententia nihil aberrante; vereor tamen, ut propria quadam lectione, non a libris. An *ceteras* intelligimus, amicos et familiares Vespasiani? qui jamdiu cum eo spem conceperant Imperii, et de eo locuti erant? Diu sane spem conceptam, idque ob omina multa et clara. Sueton. Vespas. 5. LIPS. Agricolæ lectionem recepit Ryckius: quod recte improbat J. Gron. Est explicatio e c. 5. ERN. Lectio *ceteri* est a Rhen. e Bud. prius enim legebatur *ceterum*. Sensus: V. et M. nuper consilia de invadendo imperio consociasse; ceteris, Tito, Tribunis aliisque fidis ministris rem illam multo ante agitatam. Cf. c. 5. Sic Pich. Brot. Lall. Hic et in Regio suo reperit *ceteri*. Bipontini ingeniose locum ita constituunt; *Mucianusque: jam perlætari miles in mixtis consiliis*. Acid. volebat *secretis olim, nuper m. c.*

*Ambiguæ domi res*] h. e. æs alienum, fides decocta, conscientiæ facinorum. Vid. 1, 88. sæpe istæ caussæ bellorum Tacito memorantur. ERN.

*Velut Nero adv.*] Tangit hanc Ψευδο- Neronis fabulam Lactantius De Mort. Pers. c. 2. ad quem locum vid. Cuperus, item Columbus, qui ab ecclesiæ patribus refutatum commentum docet. Plures etiam falsos Nerones exstitisse, Casaub. ostendit ad Suet. Ner. c. ult.

*Eum fingentibus credentibusque*] MS. Agr. *confingentibus*. Broterius corrigit *credentibusve*. ERN.

*Propior ad fallendum fides*] Suspicatur legendum Freinsh. *promptior*. Possis etiam *pronior*. Sed illud melius. ERN. Bud. *propior*.

pestatum Cythnum insulam detrusus, et militum quosdam ex Oriente commeantium adscivit, vel abnuentes interfici jussit, et spoliatis negotiatoribus, mancipiorum valentissimum quemque armavit. Centurionemque Sisennam, dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad Prætorianos ferentem, variis artibus adgressus est: donec Sisenna, clam relicta insula, trepidus et vim metuens aufugeret: inde late terror, multis ad celebritatem nominis erectis, rerum novarum cupidine et odio præsentium.

IX. Gliscentem in dies famam fors discussit. Galatiam ac Pamphyliam provincias Calpurnio Asprenati regendas Galba permiserat: datæ e classe Misenensi duæ triremes ad prosequendum, cum quibus Cythnum insulam tenuit. Nec defuere, qui trierarchos nomine Neronis acciret: is in mœstitiam compositus, et " fidem suorum quondam militum " invocans, " ut eum in Syria aut Ægypto sisterent," orabat. Trierarchi nutantes, seu dolo, " adloquendos sibi milites, et paratis omnium animis reversuros," firmaverunt. Sed Asprenati cuncta ex fide nuntiata: cujus cohortatione expugnata navis, et interfectus quisquis ille erat. Corpus, insigne oculis comaque et torvitate vultus, in Asiam atque inde Romam pervectum est.

X. In civitate discordi et, ob crebras Principum mutationes, inter libertatem ac licentiam incerta, parvæ quoque res magnis motibus agebantur. Vibius Crispus, pecunia, potentia, ingenio inter claros magis, quam inter bonos, Annium Faustum, Equestris ordinis, qui temporibus Neronis delationes factitaverat, ad cognitionem Senatus vocabat. Nam recens, Galbæ Principatu, censuerant Patres, " ut accusatorum caussæ no-

*Scithinum insulam*] Farnes. (et Agr.) *Cynthum*. Vatic. *Scithynum*. (Bud. *Scitunum*.) Vera lectio, *Cythnum*: quomodo aiunt legi in Flor. quæ insula juxta Atticam sub Eubœa. Plinio nominatur 4, 12. (22.) et Ptolemæo 3, 15. dicitur Κύθνος. Philoni etiam in Flaccum sic dicitur, et juxta Ceam collocatur. In Zonara 11, 15. non recte scriptum, hunc falsum Neronem in trajectu Cydni amnis interfectum: decepitque eum adfinitas hæc vocum. LIPS. Ed. pr. *Cinthum*. Mox *vel* pro *et* dedimus post Ryck. et Gron. e Flor. Guelf. ERN. Flor. et Bud. *vel*: ad hoc non adtendit Rhen.

*Dextras c. ins.*] Vide not. ad 1, 54. Male Rhen. conjiciebat *dextera*.

*Ad prosequendum, cum quibus*] Sic Rhen. edidit e Bud. sic et Guelf. At edd. vett. omnes *prosequendum cum, quibus*: quod non deterius. ERN.

*Sisterent*] Constituerent. Sic A. 2, 14. Suet. Aug. 28.

*Trierarchi nutantes etc.*] In ed. pr. *trierarchis*: forte natum e *seu* per compendium s. scripto: quamquam id commode abesse potest. Mox *alloquendos* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. omnes præter pr. quæ habet *adequandos*: vitiose. ERN. Bip. illud *seu* recepere. Perinde est; omittitur et A. 5, 4. Bud. hic male habet *trierarchas*, relatum scil. ad *orabat*. Ex isto *adequandos* Grut. exsculpebat *adaquandos*, ut ap. Suet. Galba 7, in eoque sibi mirifice placet.

*Delationes factitaverat*] Habet a Cicerone in Bruto 34. *qui, quum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et juris peritissimum, accusationem factitaverit*. GRON.

*Accusatorum caussæ noscerentur*] Vide si lubet pecuniæ veteris 4, 3. GRON.

scerentur." Id Senatus-consultum varie jactatum et, prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur. Ad hoc terroris et propria vi Crispus incubuerat, delatorem fratris sui pervertere: traxeratque magnam Senatus partem, " ut indefensum et inauditum dedi ad exitium " postularent. Contra apud alios nihil æque reo proderat, quam nimia potentia adcusatoris: " dari tempus, edi crimina, quamvis invisum ac nocentem, more tamen audiendum," censebant. Et valuere primo, dilataque in paucos dies cognitio: mox damnatus est Faustus, nequaquam eo adsensu civitatis, quem pessimis moribus meruerat: quippe ipsum Crispum easdem adcusationes cum præmio exercuisse meminerant: nec pœna criminis, sed ultor displicebat.

XI. Læta interim Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus: fuere quatuor legiones: e quibus bina millia præmissa; ipsæ modicis intervallis sequebantur: septima a Galba conscripta; veteranæ undecima ac tertiadecima, et præcipua fama quartadecumani,

*Varie jactatum*] Quod non eandem semper vim habuerat: modo parum, modo multum valuerat, ut mox ipse explicat. Cicer. Off. 3, 20. *jactabatur nummus, sic ut nemo scire posset, quid haberet:* nempe, quia modo plus, modo minus valebat: omninoque *jactari* dicuntur, quæ agitant, certo loco consistere non sinunt. *Retinebatur* porro id SC. Etsi sub Galba factum adversus Neronianæ tyrannidis instrumenta, tamen non abolebatur ab Othone, etsi favente Neronianis. Itaque non opus, cum J. Gronovio quærere, quid sibi hoc verbum vellt. *Retinere morem* dixit Cicero Fin. 2, 1. et alii. *Retinere monimenta ingenii* noster Ann. 4, 61. ut opponatur τῷ abolere, tollere. ERN. Trillerus Obs. crit. 1, 8. emendasse se putat locum, legendo, *infirmus haud validus*, scil. reus; sed quis in Tacito hanc Ταυτολογίαν ferat? Bene habet vulg. in quo *infirmum SC. inopi, validum potenti reo* respondet. Vis SC. plus minusve intendebatur pro conditione reorum.

*Adhæc terrore et propria vi*] Quid si, *Ad hunc terrorem*. Super hoc terriculamentum Senatus consulti, etiam non terriculis, sed vi eloquentiæ et gratiæ suæ annitebatur. GRON. Firmant Flor. Bud. qui habent *ad hunc terroris*, et Agr. ed. pr. *ad hunc terrore*. At Guelf. Puteol. Rivius *ad hæc terroris*. Quod vulgo editur, est e Beroaldina, qui tamen non e cod. MS. hæc edidit: ut ab correctione ejus, vitium operarum putantis, profectum esse *terrore* videatur. Si tamen verum est, intelligendæ sunt *minæ*, quæ accusatoribus et alibi tribuuntur. *Adhæc, adhoc, adhunc* sæpe in libris, etiam his, confunduntur. *Vis* intelligenda de gratia, concursatione, precibus et similibus. ERN. Freinsh. vult *ad hoc terrore*. Rectius Rhen. *ad hoc terroris*. Bip. *ad hocce terroris*. Verum sic sequens *et* valet *etiam*.

*Fratris sui*] Vibii secundi, de quo A. 14, 28.

*Magnam Senatus partem*] MSS. Bud. Guelf. a m. pr. *magistratus:* vitiose. At *postularent*, quod est e Flor. etiam ed. pr. ceteri scr. (in his Bud.) et edd. usque ad Pich. *postularet*. Item *invisum*, ut Rhen. edidit (e Bud.); at Guelf. et edd. ceteræ *infirmum*. ERN.

*Læta interim*] Sic omnes scr. et edd. vett. In secunda Rhen. excidit *interim:* restituit Pichena (e Flor.). Mox *e Dalmatia* restituit Ryckius; nec scio, cur Gronovius id non imitatus sit, cum sit haud dubie vitium operarum *a Dalm.* quod in Freinshem. ed. irrepsit. ERN. Intellige secundam, nam prior habet *e*; sic et Flor. Bud. Agr.

*Præcipua fama quartadecumani*] Sic edd. omnes ante Rhenanum, et Flor. ut puto, quia nil notavit Gronov. At MSS. Bud. Guelf. (Reg. Lall.) edd. post Rhen. omnes usque ad Freinsh. *præcipui*. ERN. *Præcipua fama*, ut c. 32. *magna fama*. Ob compressam Britanniæ rebellionem, de qua 14, 29. 34. *Cerialis quarto-*

rebellione Britanniæ compressa. Addiderat gloriam Nero, eligendo, ut potissimos: unde longa illis erga Neronem fides, et erecta in Othonem studia. Sed, quo plus virium ac roboris, e fiducia tarditas inerat: agmen legionum alæ cohortesque præveniebant. Et ex ipsa urbe haud spernenda manus, quinque Prætoriæ cohortes, et equitum vexilla cum legione prima: ac deforme insuper auxilium, duo millia gladiatorum, sed per civilia arma etiam severis Ducibus usurpatum. His copiis rector additus Annius Gallus, cum Vestricio Spurinna ad occupandas Padi ripas præmissus: quoniam prima consiliorum frustra ceciderant, transgresso jam Alpes Cæcina, quem sisti intra Gallias posse speraverat. Ipsum Othonem comitabantur speculatorum lecta corpora, cum ceteris Prætoriis cohortibus, veterani e Prætorio, classicorum ingens numerus. Nec illi segne aut conruptum luxu iter: sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester, horridus, incomptus, famæque dissimilis.

XII. Blandiebatur cœptis Fortuna, possessa per mare et naves majore Italiæ parte, penitus usque ad initium maritimarum Alpium: quibus tentandis adgrediendæque provinciæ Narbonensi, Suedium Clementem, Antonium Novellum,

*decumanos domitores Britanniæ* adpellat H. 5, 16. In Bud. vitiose legitur *quartadecima in*, unde Rhen. bene *quartadecimani*; prius legebatur *quartadecumana*.

*E fiducia tarditas inerat*] Fallitur Pichena (difficultatem movens ex eo, quod alibi acer in hoc bello, non cunctator tradatur). Non enim Othonis, non omnis exercitus, sed solorum quartadecimanorum tarditatem accusat Tacitus. GRON. Ante *agmen* mox *eo* addunt edd. ante Rhen. qui delevit. In Guelf. est in marg. a man. sec. ERN. *Eo* non habent Bud. et ed. Put. sed Alc. intrusit.

*Et ex ipsa urbe*] Sic recte Bud. Ryckius etiam restituit e Flor. et Agr. et edd. ante Rhen. qui omisit.

*Vestricio Spurinna*] Vid. Lips. ad c. 18. ERN.

*Padi ripas*] Regiones et urbes circa Padum in istis locis, quibus Cæcina venturus videbatur, Placentiam et Cremonam, v. c. 18. sqq. Mox *intra* e Flor. dedit Pichena; bene. Sic et Guelf. (Bud.) edd. Puteol. Ber. At edd. pr. Rhen. et sqq. *inter* male. *Sisti* est coerceri, ne a Galliis in Italiam prodiret. ERN.

*Veterani e Prætorio*] Superesse videantur hæ voces. Præmisit enim jam nunc de Prætoriis omnibus cohortibus: qui igitur isti amplius e Prætorio? Sed non supersunt. Distinguit enim a cohortibus veteranos; recte: quia exauctoratos intelligit, et qui post sedecim stipendia habebantur sub vexillo, non aliter quam legionarii, de quibus scripsi satis ad A. 1, 17. Atqui hi nec in legionibus ultra censebantur, nec illi in cohortibus. LIPS. De classicis in militiam terrestrem et legionariam adscitis v. Schel. ad Hygin. p. 95. Mox *usus est* Flor. edd. ante Rhen. Pichena sqq. At Guelf. *usus*, edd. Rhen. (e Bud.) sqq. ERN. Grut. ambas voculas *usus est* deletas cupiebat.

*Majore Italiæ p.*] Bud. et edd. ante Rhen. *et majore*. Eam particulam connectentem Rhen. delevit.

*Quibus tentandis, aggrediendæque*] Farnesiana hæc scriptura est; quam verissimam censeo. Duplex enim mandatum Othoniani Duces habuerunt; tentandarum Alpium et provinciæ invadendæ, quæ ad Vitellium defecerat. Supra 1, 87. *Narbonensem Galliam aggredi statuit, classe valida et partibus fida.* Infra c. 14. *immincre provinciæ Narbonensi, in verba Vitellii adactæ, classem Othonis, trepidi nuntii adtulere.* Vulgata lectio valde turbat: *quibus tentandis aggrediendisque, provinciæ Narbonensi*, etc. tamquam tres hi Duces Provinciæ impositi: et mage majores tenebras offundit etiam Maurus. LIPS. Bud. *aggrediendisque pr. Narbonensis.* De Ducibus laudatis vid. H. 1, 87.

Æmilium Pacensem Duces dederat. Sed Pacensis per licentiam militum vinctus: Antonio Novello nulla auctoritas: Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinæ conruptus, ita prœliorum avidus. Non Italia adiri, nec loca sedesque patriæ videbantur: tamquam externa litora et urbes hostium urere, vastare, rapere: eo atrocius, quod nihil usquam provisum adversum metus. Pleni agri, apertæ domus: occurrantes domini juxta conjuges et liberos securitate pacis et belli malo circumveniebantur. Maritimas tum Alpes tenebat Procurator Marius Maturus. Is concita gente (nec deest juventus) arcere provinciæ finibus Othonianos intendit. Sed primo inpetu cæsi disjectique montani, ut quibus, temere conlectis, non castra, non Ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset, neque in fuga flagitium.

XIII. Inritatus eo prœlio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium: quippe in acie nihil prædæ: inopes agrestes et vilia arma: nec capi poterant, pernix genus et gnari locorum: sed calamitatibus insontium expleta avaritia. Auxit invidiam præclaro exemplo femina Ligus, quæ filio abdito, cum simul pecuniam occultari milites credidissent, eoque per cruciatus interrogarent, " ubi filium occuleret?" uterum ostendens, " latere" respondit. Nec ullis deinde terroribus, aut morte, constantiam vocis egregiæ mutavit.

XIV. " Inminere provinciæ Narbonensi, in verba Vitellii adactæ, classem Othonis," Fabio Valenti trepidi nuntii adtulere. Aderant legati coloniarum, auxilium orantes. Duas

*Per licentiam militum vinctus*] Sic ex Flor bene Pichena, et similia exempla in hoc ipso libro occurrunt, mox de Julio Frontone c. 26. In ed. pr. est inverse *junctus*. Ceteri libri *victus*. ERN. Sic et Bud. Præfert hoc Acidalius.

*Corruptus, ita prœliorum avidus*] Hæc commodius de militibus quam de Duce dici censeo, et eo scripsisse Tacitum: *Suedius Clemens ambitioso imperio regebat, ut adversus modestiam disciplinæ corruptos, ita prœliorum avidos*. GRON. Pro vulg. stant Flor. et Bud. Ast Bip. malint *adversus* (contra) *modestiam* (h. e. immoderatus), *disciplinæ corruptor*.

*Non Italia adiri*] Nihil ego hic nisi germanum video. Sudant tamen in mutando Rhenanus pariter et Vertranius. LIPS. Rhenano sudorem elicit conruptus in Bud. locus.

*Albium Intemelium*] Ita quidem e Strabone scripseris lib. 4. p. 202. Τῶν οὖν Λιγύων, inquit, τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἀλβιον Ἰντεμέλιον, οἷον Ἄλπιον, τὴν δὲ ἐπιτετμημένως μᾶλλον, Ἀλβιγγαῦνον. Nec aliter in Plinio 3, 5. (7.) Quin tamen etiam concise Albintemelium dicta fuerit, haud pertinaciter eo negatum. LIPS. In Antonini itinerario (ed. Wessel. p. 296.) *Albintimilio*, ubi v. Surita.

*In acie*] Bud. *in ea acie*. Mox idem *nec pernix genus*, ubi Rhen. τὸ *nec* verti vult in *et*. Idem *Ligus*, Agr. *Ligur*. Sed et ap. Sall. Jug. 93. *Ligus* et Græc. Λιγύς.

*Tortoribus*] Regius (Bud.) codex, *temporibus*, ex quo Rhenanus, *terroribus*. LIPS. Et sic e Flor. edidit Pichena. Sic jam est in ed. pr. (contra edd. Put. Alc. et Rhen. *tortoribus*). *Terrores* sunt minæ, ut supra dixi. Ante Heinsius eleganter conjiciebat, *hic latere*: malim, quia est oratio obliqua, *ibi*. ERN. Heins. provocat ad cod. Agr.

*Duas Tungrorum*] Sic (hic et in seq.)

Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, universam Treverorum alam cum Julio Classico, Præfecto, misit: e quibus pars in colonia Forojuliensi retenta, ne, omnibus copiis in terrestre iter versis, vacuo mari classis acceleraret. Duodecim equitum turmæ, et lecti e cohortibus, adversus hostem iere: quibus adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, et quingenti Alpini, qui nondum sub signis. Nec mora prœlio: sed acie ita instructa, ut pars classicorum, mixtis paganis, in colles mari propinquos exsurgeret, quantum inter colles ac litus æqui loci, Prætorianus miles expleret, in ipso mari ut annexa classis et pugnæ parata, conversa et minaci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, Alpinos proximis jugis, cohortes densis ordinibus post equitem locant. Treverorum turmæ obtulere se hosti incaute, cum exciperet contra veteranus miles, simul a latere saxis urgeret apta ad jaciendum etiam paganorum manus; qui sparsi inter milites, strenui ignavique, in victoria idem audebant. Additus perculsis terror, invecta in terga pugnantium classe. Ita undique clausi: deletæque omnes copiæ forent, ni victorem exercitum adtinuisset obscurum noctis, obtentui fugientibus.

XV. Nec Vitelliani, quamquam victi, quievere: accitis auxiliis, securum hostem ac successu rerum socordius agentem invadunt: cæsi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud naves: donec, cedente paullatim metu, occupato juxta colle defensi, mox inrupere: atrox ibi cædes, et Tungrarum cohortium Præfecti, sustentata diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum inprovide

ex ingenio edidit Rhen. Sed MSS. et edd. vett. *Turingorum:* uisi Flor. *Tungrorum* habet, e quo nil notatum video. Sic tamen ed. pr. 4, 55 et 66. ERN.

*Vacuo mari*] i. e. cujus litus nullis præsidiis munitum esset. ERN.

*Adversus hostem*] Bud. *ad hostem.*

*Pannonii nondum sub signis*] Milites auxiliarii e delectu Pannonico missi, sed nondum in cohortes divisi. ERN. Sed *Pannonii* Othonis partes sequebantur. v. c. 11 et 17. Hinc Savilius reponit *Alpini* et intelligit *Ligures.* Mox etiam ipse Tacitus *Alpinos* memorat. Sequor Savilium et cum Bip. addo *qui.*

*Mixtis paganis*] h. e. non militibus quidem, sed qui tamen nunc aliquid operæ militaris navarent. Pagani militibus opponuntur: de iis Pichena ad h. l. et intt. Suetonii aliique abunde dixere. ERN.

*Conversa et minaci fronte*] h. e. quæ non, ut adsolebat, puppes, sed proras et rostra obverteret litori, ut in prœliis in oppugnationibus fieret. ERN.

*Simul a latere*] In his et seqq. cum Flor. consentit Guelf. (et Agr.) ed. pr. nisi quod in illo *ctiam* post *saxis* est, in hac *jacendum* vitiose pro *jaciendum*, ut in MS. Bud. ERN. In hoc etiam male *simul altitudo apta.* Bip. locum ita refingunt: *simul a latere. Saxis etiam urgeret apta ad i. p. m.*

*Obtentui fugientibus*] Quo idoneo prætextu fugere honestius poterant Vitelliani. Male hic *objectum* additur in edd. Puteol. Ber. Alc. Post pro *sidente* MS. Oxon. *cedente*, quod melius: aut *residente.* ERN. Id *objectum* Bud. non habet, et bene sustulit Rhen. Dein Bud. *cedentes*, quo firmatur lectio Oxon. quam restitui.

*Sustentata*] Put. Alc. addunt *quidem*, quod inrepsit e linea seq. id Bud. non habet et Rhen. delevit.

*Quorum improvide secutos*] Pro, e quibus qui improvide secuti fuerant, eos equites circumvenere. Vid. ad A. 6, 12. ERN.

secutos conversi equites circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc classis, inde eques, subitam formidinem inferrent, Vitelliani retro Antipolim, Narbonensis Galliæ municipium; Othoniani Albingaunum interioris Liguriæ, revertere.

XVI. Corsicam ac Sardiniam, ceterasque proximi maris insulas, fama victricis classis in partibus Othonis tenuit. Sed Corsicam prope adflixit D. Pacarii Procuratoris temeritas, tanta mole belli, nihil in summam profutura, ipsi exitiosa. Namque, Othonis odio, juvare Vitellium Corsorum viribus statuit, inani auxilio, etiam si provenisset. Vocatis principibus insulæ, consilium aperit: et contra dicere ausos, Claudium Phirricum, Trierarchum Liburnicarum ibi navium, Quinctium Certum, Equitem Romanum, interfici jubet: quorum morte exterriti, qui aderant, simul ignara et alieni metus socia imperitorum turba, in verba Vitellii juravere. Sed, ubi delectum agere Pacarius, et inconditos homines fatigare militiæ muneribus occepit, laborem insolitum perosi, infirmitatem suam reputabant: "insulam esse, quam incolerent, et longe Germaniam viresque legionum: direptos vastatosque classe, etiam quos cohortes alæque protegerent." Et aversi repente animi: nec tamen aperta vi; aptum tempus insidiis legere: digressis, qui Pacarium frequentabant, nudus et auxilii inops, balineis interficitur, trucidati et comites. Capita, ut hostium, ipsi interfectores ad Othonem tulere: neque eos aut Otho præmio adfecit, aut punivit Vitellius, in multa conluvie rerum majoribus flagitiis permixtos.

XVII. Aperuerat jam Italiam, bellumque transmiserat, ut supra memoravimus, ala Syllana, nullo apud quemquam Othonis favore: nec quia Vitellium mallent; sed longa pax ad omne servitium fregerat, faciles occupantibus et melioribus

*Inde eques*] Sic Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. Is edidit *equites*. Illud Pichena restituit. ERN.

*Albingaunum*] Sic et MS. (Bud.) Guelf. (edd. Put. Alc. Rhen.) At Flor. ed. pr. *Albigaunum*. ERN.

*Nihil in summa profuturum*] Videtur scripsisse auctor, *tentata mole belli*, utcunque τὸ *tanta* explicet Acidalius. GRON. Sc. cum esset tanta moles belli. Sed *in summam*, quod, pro conjectura posuerant Rhenanus, Lipsius, recepit Freinshemius. Recte. Libri superiores scr. et edd. *in summa*. Vide dicta ad 13, 38. ERN.

*Cors. viribus*] Cod. Agr. *navibus*. glossema.

*Phirricum Trierarchum*] Forte nomen hominis fuit *Pyrrhicum*. GRON. MS. Guelf. *Pyrricum*. ERN. Bud. *Phyricum*.

*Inconditos homines*] i. e. nunquam alicui exercitationi militari adsuefactos, eoque duri exercentibus, etc. V. A. 2, 52. ERN.

*Balineis*] Sic Flor. vulgo *balneis*.

*Majoribus flagitiis permixtos*] Cum multo graviora patrata essent, quæ punirentur, hi latuere, et pœnam effugere. ERN. Sic A. 16, 8. Pro *rerum* Heins. conjicit *reorum*.

*Aperuerat jam Italiam*] Bud. *Aparuerat jam in Italia*.

*Ut supra mem.*] 1, 70.

*Melioribus incuriosos*] Lego, *melioribus incuriosis*. Paratos obvio et invitanti, quum melior nemo esset, aut curam adjungendi eos susciperet. GRON. Vulgatum servandum puto. Non curabant, utra pars melior esset, caussam justiorem haberet. 14, 38. *serendis frugibus incuriosos*. Usitatius foret tamen

incuriosos. Florentissimum Italiæ latus, quantum inter Padum Alpesque camporum et urbium, armis Vitellii (namque et præmissæ a Cæcina cohortes advenerant) tenebatur. Capta Pannoniorum cohors apud Cremonam. Intercepti centum equites ac mille classici inter Placentiam Ticinumque: quo successu Vitellianus miles non jam flumine aut ripis arcebatur. Inritabat quin etiam Batavos Transrhenanosque Padus ipse: quem repente, contra Placentiam, transgressi, raptis quibusdam exploratoribus, ita ceteros terruere, ut, "adesse omnem Cæcinæ exercitum," trepidi ac falsi nuntiarent.

XVIII. Certum erat Spurinnæ (is enim Placentiam obtinebat) nec dum venisse Cæcinam, et, si propinquaret, coercere intra munimenta militem, nec tris Prætorias cohortes et mille vexillarios, cum paucis equitibus, veterano exercitui objicere. Sed indomitus miles et belli ignarus, conreptis signis vexillisque, ruere, et retinenti Duci tela intentare, spretis Centurionibus Tribunisque; quin "proditionem, et accitum Cæcinam," clamitabant. Fit temeritatis alienæ comes Spurinna, primo coactus, mox velle simulans, quo plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.

XIX. Postquam in conspectu Padus et nox adpetebat, vallari castra placuit. Is labor, urbano militi insolitus, contudit animos. Tum vetustissimus quisque castigare "credu-

*meliorum incuriosos*, quod etiam Groslotio placebat. Ed. pr. (et c. Agr.) *occupationibus*, et Guelf. a manu sec. ERN.

*Q. i. P. A. c. et urbium*] Edd. vet. addunt *est*. Bud. non habet et Rhen. induxit.

*Quem repente*] Restituit *repente* Pichena, quod Rhenanus delevit, codice suo auctore, cum hic non sine vi sit. Habent MSS. (Flor.) Guelf. edd. ante Rhen. omnes. Consentiunt etiam libri pro *raptis*, ne audiamus, qui tentant *captis*. Add. ad 4, 33. ERN.

*Spurinnæ*] Vestricius est Spurinna, egregius Dux, et qui ad Taciti medium ævum vixit. Plinii Secundi de eo epistola capienda est, 2, 7. *Heri a Senatu, Vestricio Principe auctore, Spurinnæ triumphalis statua decreta est*: quem locum tamen emaculo: *Vestricio Spurinnæ, Principe auctore, triumphalis statua decreta*. Male enim trajecta verba. LIPS. De vita ejus carminibusque v. Bayerus Comm. Petropol. t. 11. p. 311. ERN. Cf. et Plin. ep. 3, 1.

*Providentiam Ducis laudantibus*] Hæc spuria esse et e sequentibus huc inculcata, ubi est: *laudare providentiam Ducis*, acute conjecit Pichena, probantque viri docti. MS. Flor. ed. pr. *laudari* (Agr. *laudare*): unde firmatur illa suspicio. ERN. Bud. *laudantibus*: non ergo a Puteolano est illa lectio. Grut. etiam præcedentia resecari vult *spretis C. Tr. que*. Contra Bip. nihil abundare videtur; de industria repeti verba censent, quo vulgi mutabilitas adpareat, leguntque: *spreto, C. Tr.que provid. laudari*. Verum eadem plane verba sic repeti, a Taciti more alienum est, neque necesse, addi, qua re spreti C. Tr.que res ipsa docet. Itaque cum Broterio locum repurgavi.

*Qui pro Othone*] Mercerus ingeniose: *quin proditione accitum*: quasi id crimen Spurinnæ objecerint, ut est in Plutarcho. LIPS. Pichena conjecit, quod jam est in contextum receptum a Freinshemio, nisi quod *quin* dedit pro *qui* e Merceri conjectura. Nos *qui* restituimus. ERN. Perperam, si quid video. Milites enim, non Centuriones, non Tribuni, proditionis incusabant Spurinnam, teste Plut. in Oth. c. 5. Reposui *quin*.

*Contudit animos*] MS. Flor. ed. pr. *contundit*. Non spernam. Juvat Bud. *contundit*. Nam sæpe in tali narratione post perfectum est præsens. Sed nihil interest. ERN. Imo Bud. clare habet *contundit*. Agr. *contudit*.

*Tum vetustissimus quisque*] Vulgata ante lectio, *tum mœstissimus quisque*.

litatem suam, metum ac discrimen" ostendere, " si cum exercitu Cæcina, patentibus campis, tam paucas cohortes circumfudisset." Jamque totis castris modesti sermones, et, inserentibus se Centurionibus Tribunisque, laudari " providentia Ducis, quod coloniam, virium et opum validam, robur ac sedem bello legisset." Ipse postremo Spurinna, non tam culpam exprobrans, quam ratione ostendens, relictis exploratoribus, ceteros Placentiam reduxit, minus turbidos et imperia accipientes. Solidati muri, propugnacula addita, auctæ turres, provisa parataque non arma modo, sed obsequium et parendi amor; quod solum illis partibus defuit, cum virtutis haud pœniteret.

XX. At Cæcina, velut relicta post Alpes sævitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit. Ornatum ipsius municipia et coloniæ in superbiam trahebant: quod versicolore sagulo, braccas, tegmen barbarum, indutus, togatos adloqueretur. Uxorem quoque ejus, Saloninam, quamquam in nullius injuriam insigni equo ostroque veheretur, tamquam læsi gravabantur: insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ a

ex quo Rhenanus illud *vetustissimus* extrudit: ego malim *modestissimus*. LIPS. Freinshemius *inertissimus* sine libris dedit. Id Ryckius negat cum Gronovio hujus loci sententiæ convenire. Quod ego non video. Omnes isti milites inertes erant, quos castrorum illa munitio statim fregit. Et, cum laboris intolerantia homines sapere doceret, non credibile, ignavissimum quemque maxime sententias illas de prudentia Ducis locutum esse? Ergo verbum illud satis aptum. Adde infra c. 23. med. Nec illud neget quis, ex *inertiss.* facile fieri potuisse *mestissimus*: nam sic scribitur in MSS. cum sæpissime *in* in literam *m* convertatur. Igitur præferam Freinsh. correctionem ceteris, etiam J. Gronovii *vecordissimus*, donec e libris scriptis melius quid proferatur. MS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. Rhen. sqq. *vetustissimus*: quod alienum esse, quivis videt. Secutus tamen est Broterius. ERN. Ex Rhenani cerebro esse *vetustissimus*, falsum: clare sic Bud. Recte Rhen. intelligit diu meritos. Sic H. 1, 23. *vetustissimum militum* vocat. Bene Brot. Bip. Lall. eam lectionem servant. Sic et Grut. et Ryckius. Acidalius omnia turbat.

*Laudari providentiam Ducis*] Ego sermonis rationem exigere τὸ *laudare* non censeo, ut vult Freinshem. nisi fiat: *et inserentes se Centuriones Tribunique laudare*. Sed mitior in promptu cura est: nec parvi momenti, quod et hic et supra Flor. *laudari*. Assentior autem omnino Pichenæ, priori loco eas voces male inculcatas: non quod ineptum ibi sensum faciant: cur enim non et retinere simul militem et paucis consilium Ducis probare possent? sed quia non tam inops verborum Tacitus. Hic autem scripsisse auctorem certum habeo: *et inserentibus se Centurionibus Tribunisque laudari providentia Ducis*, quod est, laudabatur, nempe ab utroque genere. GRON. Recte. *Laudari* etiam Guelf. (Bud.) ed. pr. ceteræque ante Rhenanum, qui correxit ex ingenio *laudare*: quia accusativus sequitur. Ergo nobis licebit etiam, propter passivum mutare substantivi casum. ERN. Sequuntur Lall. et Bip. In c. Agr. est *Principis* loco *Ducis*, glossema.

*Quam ratione ostendens*] h. e. arte sua et factis ostendens militibus stultitiam et convincens culpæ. ERN. Bud. *ratione attendens*.

*Braccas, tegmen barb.*] Jan. Gulielmus Verosim. 2, 7. glossemata esse reputat verba ista *braccas tegmen barbarum*, quod ævo Taciti satis notæ fuerint braccæ, legit ergo, *braccatos togatos*.

*Insita mortalibus natura etc.*] Vere hic morbus in nostris animis: nec nescivit Æmilius Probus, sive Nepos, in Chabria 3. *Est hoc commune vitium*, inquit, *magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit*. LIPS. In fine capitis ed. pr. *prævenissent* pro *provenissent*, vitiose. ERN.

nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Cæcina, Padum transgressus, tentata Othonianorum fide per conloquium et promissa, iisdem petitus, postquam pax et concordia speciosis et inritis nominibus jactata sunt, consilia curasque in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit: gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.

XXI. Sed primus dies inpetu magis, quam veterani exercitus artibus, transactus: aperti incautique muros subiere, cibo vinoque prægraves. In eo certamine, pulcherrimum amphitheatri opus, situm extra muros, conflagravit: sive ab oppugnatoribus incensum, dum faces et glandes ac missilem ignem in obsessos jaculantur; sive ab obsessis, dum retorta ingerunt. Municipale vulgus, pronum ad suspiciones, fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis, invidia et æmulatione, quod nulla in Italia moles tam capax foret: quocunque casu accidit, dum atrociora metuebantur, in levi habitum: reddita securitate, tamquam nihil gravius pati potuissent, mœrebant. Ceterum multo suorum cruore pulsus Cæcina: et nox parandis operibus adsumpta. Vitelliani pluteos cratesque et vineas suffodiendis muris, protegendisque oppugnatoribus; Othoniani sudes et inmensas lapidum ac plumbi ærisque moles, perfringendis obruendisque

*Gnarus ut in. b. pr.*] Cf. Agr. c. 18.

*Dum regerunt*] MSS. Flor. Bud. (Reg. Lall.) ed. pr. *dum reportans gerunt.* Unde J. Gron. *dum retorta ingerunt.* Guelf. Ox. *dum per portas egerunt:* quod favet conjecturæ Heinsii ep. ad Græv. t. 4. coll. Burm. p. 163. *dum per tormenta ingerunt*, quam probat Grævius ib. p. 175. Ann. 2, 81. *tormentis hastas, saxa, faces ingerere.* Putat corruptionem natam a compendio *torta.* Placet. Sed malim tamen *regerunt*, quam *ingerunt.* Puteol. edidit primus *dum regerunt.* Ern. Rhen. e vestigiis cod. Bud. conjicit *dum reperta transgerunt.* Agr. *dum in hostes ingerunt.* Ed. Rom. jam habet dum *regerunt.* J. Gron. verum vidisse puto, eumque sequor cum Bip. Paullo ante Flor. et Bud. *ac miss. ignem.* vulgo *et.*

*A quibusdam e vic. coloniis*] Hæc est scriptura MS. Guelf. (Agr.) edd. Puteol. Beroald. sqq. quam cum Ryckio secutus sum. Consonant MS. Flor. ed. pr. in quis *a quibusdam et v. c.* quod recepit J. Gronovius, et accipit per hendiadys. Immo *et* pro *e* vel *ex* scriptum, ut alibi, etiam libro superiori bis vel ter. Rhenanus edidit *et quib. v. c.* e MS. Bud. Lips. *a quib. v. c.* Pichena *e quibusd. v. c.* Ern.

*Invidiæ æmulatione*] Muretus, *invidia et æmulatione.* Lips. Probat Pichena (et Acid.): atque ita noster alibi (ut c. 101. et 1, 65.) a quo ad ceteras edd. pervenit. Ern. Bud. Flor. Agr. Oxon. et edd. ad Pich. usque *invidiæ æmulatione.*

*Quocunque casu accidit*] *Acciderat* Rhen. edidit, quod in Bud. erat *accidat.* Cur non *acciderit* potius, quando ceteri scripti et ante Rhen. editi *accidit.* Sed hoc quoque probum. Quamquam Gronovius in Flor. quoque *accidat* esse dicit, dissentiens ab oculis Pichenæ. Ern.

*Nox p. o. absumta*] Sic in ed. J. F. Gronov. primum, e conjectura Mureti, multis probata, editum. Scripti et edd. ante *assumta*, quod etiam restituit Ryckius ac defendit. Non bene, ut opinor. Nam nox tantum illo labore consumta, dies oppugnatione transactus fuerat, ut ab initio capitis dictum. Assumta autem nox, est, adjecta labori diurno. Cicero in ep. 7, 25. *atque etiam aliquantum noctis adsumo* sc. ad laborem diurnum: de confusione hac v. ad 5, 20. Ern. Bud. *assumta:* bono sensu, quare reposui: sic et Bip.

*Perfringendis operibus*] Dativus *operibus*, non erat in codice Bud. nec est in Flor. Agr. Guelf. (Reg. Lall.) ed. pr.

hostibus, expediunt. Utrimque pudor, utrimque gloria, et diversæ exhortationes, hinc " legionum et Germanici exercitus robur," inde " urbanæ militiæ et Prætoriarum cohortium decus" adtollentium: illi " ut segnem ac desidem et circo ac theatris conruptum militem;" hi " peregrinum et externum" increpabant: simul Othonem ac Vitellium, celebrantes culpantesve, uberioribus inter se probris quam laudibus stimulabantur.

XXII. Vixdum orto die, plena propugnatoribus mœnia: fulgentes armis virisque campi, densum legionum agmen, sparsa auxiliorum manus, altiora murorum sagittis aut saxis incessere: neglecta, aut ævo fluxa cominus adgredi: ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis et certo ictu, adversus temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, et more patrio nudis corporibus, super humeros scuta quatientium. Legionarius, pluteis et cratibus tectus, subruit muros, instruit aggerem, molitur portas. Contra Prætoriani dispositos ad id ipsum molares ingenti pondere ac fragore provolvunt: pars subeuntium obruti; pars confixi et exsangues, aut laceri, cum augeret stragem trepidatio, eoque acrius e mœnibus vulnerarentur, rediere, infracta partium fama. Et Cæcina, pudore cœptæ temere oppugnationis, ne inrisus ac vanus iisdem castris adsideret, trajecto rursus Pado, Cremonam petere intendit. Tradidere sese abeunti Turulius Cerialis cum compluribus classicis; et Julius Bri-

unde Jac. Gronovius delevit. ERN. Omitti posse subauditum judicat Rhen. servat tamen; in omnibus quoque editionibus ante Gronovii legitur.

*Utrimque pudor, utrimque gloria*] Gloria est h. l. gloriæ cupido, ut apud Ciceronem non uno loco: quod vidi Savilium non animadvertisse. ERN.

*Culpantesve*] Sic Flor. et ed. Ven. Vulgo, ut in Bud. *culpantesque.*

*Densum legionum agmen*] Unicam tantum legionem habuit Cæcina, ut monet Savilius. V. ad I, 11. ERN.

*Librato magis et c. i.*] Loco *magis* Bud. *magna.*

*Aut laceri*] MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *ac.* Mox *fama et* exciderunt in MS. Oxon. Alieno sc. loco omisit librarius. Vid. not. prox. ERN. Bud. *ut laceri*, pro quo male in ed. Rhen. in variis lectionibus legitur *ait laceri*, quod sic in ed. Gronovii repetitur. Rhenanus autem recte agnorat vitium librarii pro *aut.*

*Fama et pudore*] Lego, *fame.* Duplex enim caussa abscessus, fames et pudor irriti cœpti. LIPS. Forte: *Et Cæcina damno et pudore cœptæ temere oppugnationis.* Justinus 2, 5. *amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit, quæ jactura inter damna numerata non est.* GRON. Imo *fama et* delendum, auctoritate cod. Guelf. idque etiam sine libris intelligi poterat. Clarum enim est, esse librarii repetitionem eorundem verborum ante *Cæcina*, ut vidit J. Gron. ERN. *Fama et* a Reg. Lall. quoque abest. Frustra tuentur Ryckius, Boxhorn. Bip. Delendum, sine libris sensit Acidalius. Broterius quoque omisit. Bud. pessime, *fama pudoris cepta et.* Freinsh. volebat *jam ira et pudore.*

*Petere intendit*] Alterum tolli posse putat Gruterus. Imo *intendit*, int. animum, instituit, decernit. Ante *irrisus* eleganter de iis, qui nil efficiunt, frustra oppugnant, petunt. Mox *sese* e Flor. Pichena. Consentit Guelf. (Bud.) ed. pr. etc. alii *se.* Nomen *Turullii* ap. Cicer. ad Div. 12, 13. in libris scr. et edd. est *Turulius*, ut etiam alibi et in inscriptionibus (ut ap. Grut. p. 735.) occurrit, idque melius puto. ERN. Bud. *Turrulius.*

ganticus cum paucis equitum: hic Præfectus alæ, in Batavis genitus; ille Primipilaris et Cæcinæ haud alienus, quod ordines in Germania duxerat.

XXIII. Spurinna, comperto itinere hostium, defensam Placentiam, quæque acta, et quid Cæcina pararet, Annium Gallum per litteras docet. Gallus legionem primam in auxilium Placentiæ ducebat, diffisus paucitate cohortium, ne longius obsidium et vim Germanici exercitus parum tolerarent: ubi pulsum Cæcinam pergere Cremonam accepit, ægre coercitam legionem, et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam, Bedriaci sistit. Inter Veronam Cremonamque situs est vicus, duabus jam Romanis cladibus notus infaustusque. Iisdem diebus a Martio Macro haud procul Cremona prospere pugnatum: namque promptus animi Martius transvectos navibus gladiatores in adversam Padi ripam repente effudit. Turbata ibi Vitellianorum auxilia, et, ceteris Cremonam fugientibus, cæsi, qui restiterant: sed repressus vincentium impetus, ne, novis subsidiis firmati, hostes fortunam prœlii mutarent. Suspectum id Othonianis fuit, omnia Ducum

*Julius Briganticus*] Sic Rhen. e Bud. Sed Put. Alc. alii *Breganticus*.

*Diffisus paucitati*] Sic ed. pr. At MS. Oxon. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. ceteræque omnes ante Lips. *paucitate*, quod restitui, tacite a Lipsio mutatum, ut alibi ab aliis factum. Hodie quidem satis constat, *diffidere* etiam cum ablativo dici. V. Burm. ad Suet. Cæs. c. 3. et quos ibi laudat: item Oudend. ad Sueton. l. c. ERN.

*Bedriaci*] Vicus parvus, sed duabus Romanis cladibus insignis, nec indignior, cujus verum nomen norimus, quam Cannæ aut Philippi. Vulgo *Bebriacum* appellant, atque ita Juvenalis libri 2, 106. *Bebriaci in campo spolium adfectare Palati*. At sincerus ille Vatic. *Bedriacum* semper; quomodo et in Sambuci scripto codice exstare cognovi, cum strictim cum Viennæ vidissem. In vetustis Suetonii libris *Betriacum* dicitur: sicut et in Plutarcho c. 8. Βητριακὸν, πολίχνη πλησίον Κρεμώνης. Juvenalis interpres quam nugatur, qui vicum hunc Campaniæ fácit! in Sat. 3. *Othonem*, inquit, *bello civili Vitellius vicit apud Bebriacum Campaniæ*. Atqui noster clare: *Inter Cremonam Veronamque situs est is vicus*; et ipse scholiastes mox fatetur. Corrupta ea verba igitur, et scripsit: *apud Bedriaci campum*. Manifesto enim adlusit Juvenalis sui versum, *Bedriaci campo spolium adfectare Palati*. Quod autem adtexitur: *Horum bellum Cornellius scripsit et Pompeius Planta, qui ait, Bebriacum vicum esse a Cremona vicesimo lapide*, sane Cornelium hunc nostrum intelligit; Pompeius ille quis sit, nondum repperi. LIPS. Add. intt. ad Suet. Oth. 9. Broterius defendit *Bebr.* ERN. Hieron. in chron. *Vetriacum*. Plin. 10, 49. (69.) *Bebriacum*. Sic nec apud alios nominis ratio sibi constat. Bud. *Bedriaci*. Agr. Put. Alc. *Bebriaci*. Pompeius Reinesio ep. 27. videtur esse is, de quo Plin. ep. 10, 5.

*Duabus i. R. cladibus*] Altera Othonis, victore Vitellio: altera Vitellii, vincente Vespasiano, de qua noster 3, 15. sq. Ea vulgo dicitur ad Cremonam facta: sed inter Cremonam et Bedriacum pugnatum est, eaque de caussa utrique loco prœlium, more scriptorum, adsignari potest. Vid. dicta ad Xenoph. Mem. S. 3. 5. ERN. A binis illis prœliis Bedriaco hæsisse nomen *la Bina*, sunt qui velint. In eam rem Broterius citat Campo in hist. di Cremona. Contra Cluverium, qui It. ant. 1, 26. *Caneto* hodie dici perhibet, disputat Ryckius.

*Sed repressus v. i.*] Ed. pr. *reprehensi*, pro *repressi*. Mox eadem *subsidiis*, quod e Flor. pro *præsidiis* dedit Pichena. ERN. Bud. *subsidiis*; ad quod non adtendit Rhen.

*Omnia quæcunque facta*] Freinsh. corrigit, *omnia Ducum facta*. Eodem modo correctum in MS. Agr. et favet

facta prave æstimantibus. Certatim, ut quisque animo ignavus, procax ore, Annium Gallum et Suetonium Paullinum et Marium Celsum (nam eos Otho quoque præfecerat) variis criminibus incessebant. Acerrima seditionum ac discordiæ incitamenta, interfectores Galbæ: scelere et metu vecordes, miscere cuncta, modo palam turbidis vocibus, modo occultis ad Othonem litteris: qui humillimo cuique credulus, bonos metuens, trepidabat; rebus prosperis incertus, et inter adversa melior. Igitur Titianum, fratrem, accitum bello præposuit. Interea Paullini et Celsi ductu res egregiæ gestæ.

XXIV. Angebant Cæcinam nequidquam omnia cœpta, et senescens exercitus sui fama: pulsus Placentia, cæsis nuper auxiliis, etiam per concursum exploratorum, crebra magis quam digna memoratu prœlia, inferior; propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet, reciperare gloriam, avidius quam consultius, properabat. Ad duodecimum a Cremona, locus Castorum vocatur, ferocissimos auxiliarium, inminentibus viæ lucis occultos, componit: equites "procedere longius" jussi, "et, inritato prœlio sponte refugi, festinationem sequentium elicere, donec insidiæ coorirentur." Proditum id Othonianis Ducibus: et curam peditum Paullinus, equitum Celsus, sumsere. Tertiædecimæ legionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes et quingenti equites in sinistro locantur; aggerem viæ tres Prætoriæ cohortes altis

scriptura MS. Flor. *quocum.* et ed. pr. *omniaque vocum facta.* Certe *omnia quæcunque* durum est. Post Guelf. *extimantibus:* quod h. l. recte exprimitur *æstimantibus:* Sed ed. pr. *existimantibus.* ERN. Vulg. habent edd. plures vet. et c. Bud. quod respondet Gr. πάντ' ὄντα. Cum ed. prima conspirat Reg. Lall. Sed c. Agr. habet *omniaque Ducum facta.* Firmatur hinc emendatio Freinshemii, quam recipio cum Bip. Dein Bud. *prava extimantibus*, et mox *incesserant.*

*Criminibus incesserant*] Ryckius e cod. Agr. rescripsit *incessebant:* quod, quia Latinitas id tempus postulat, imitatus sum. ERN.

*Et Celsi ductu*] Sic Bud. Ast Flor. *et consilii ductu.* Agr. *Paullini consiliis et ductu.* Plut. etiam c. 7. Paullinum et Celsum jungit.

*Locus Castorum*] Recte, non *castrorum.* Suetonius c. 9. eumpse locum *ad Castoris* dixit: Orosius 7, 8. *circa locum quem Castores vocant.* LIPS. Bud. ut reliqui, *locus castrorum.* Rhen. tacite sed præclare emendavit *locus Castorum.*

*Imminentib. viæ lucis imponit*] Rhenanus (e Bud.) corrigit *eminentibus viæ lucis componit. Imminentibus* verum est et libris ceteris firmatur. *Componit* etiam Flor. Guelf. recepitque Pichena. Sed edd. ante omnes *imponit:* quod sane est usitatum in insidiis verbum. Neque tam compositorum militum, quam in lucis et insidiis positorum commemoratio h. l. requiritur. Post *jussit* MSS. Flor. (Bud. Agr.) Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. *Jussi* edidit Rhen. (ex ingenio) a quo etiam *refugi* pro *refugere* editum, quod tamen et Flor. (et Bud.) et Guelf. habent, haud paullo elegantius, quam *refugere.* ERN. Hoc est in c. Agr.

*Aggerem viæ*] Intelligi viam Postumiam patet e 3, 21. ut jam monuit Ryckius. Viæ autem altæ et aggeratæ. Aggerem de via etiam Virgilius dixit 5, 273. Vide copiose de hoc verbo Heinsium ad Virgil. 9, 375. Mox *altis ordinibus* Flor. Bud. (Agr. Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. i. e. plurimis deinceps, propter angustias viæ. Recepit jam Ryckius. Puteolanus primus *arctis* edidit. ERN. Sic et Alc. et Rhen. Sed *ordinibus altis* i. e. confertis. Cf. Veget. 3, 15.

ordinibus obtinuere: dextra fronte prima legio incessit, cum duabus auxiliaribus cohortibus et quingentis equitibus. Super hos e Prætorio auxiliisque mille equites, cumulus prosperis, aut subsidium laborantibus, ducebantur.

XXV. Antequam miscerentur acies, terga vertentibus Vitellianis, Celsus, doli prudens, repressit suos. Vitelliani temere exsurgentes, cedente sensim Celso, longius secuti, ultro in insidias præcipitantur: nam a lateribus cohortes, legionum adversa fronte, et subito discursu terga cinxerant equites. Signum pugnæ non statim a Suetonio Paullino pediti datum: cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu, placerent, "compleri fossas, aperiri campum, pandi aciem" jubebat; "satis cito incipi victoriam, ubi provisum foret, ne vincerentur." Ea cunctatione spatium Vitellianis datum, in vineas, nexu traducum impeditas, refugiendi: et modica silva adhærebat: unde rursus ausi promptissimos Prætorianorum equitum in-

*Dextra fronte*] Quæ hic frons dextra? haud satis capio, et rescribo: *Aggerem viæ tres Prætoriæ cohortes obtinuere dextra. A fronte, prima legio incessit.* LIPS. *Dextra frons* est dextrum cornu. *Frontem lævam* e Claudiano in Ruf. 2, 174. laudat Salinerius. ERN. Bipontinis arridet emendatio a Lipsio proposita; non mihi. Statim enim, quod illi negant; *dextra frons* pro *dextro cornu* dici omnino potest. Claudiano sic aperte l. c. *Armeniis frons læva datur; per cornua Gallos dexteriora locat*, opponitur *frons læva dextro cornu.* Sic et ap. Curtium 4, 13. *frons lævi cornu* occurrit. Dein auxiliares Romanæ militiæ more, ut in sinistro, sic et in dextro cornu, locati hic comparent; frons ipsa aciei densis ordinibus a Prætoriis cohortibus obtinetur.

*Cum duabus vexillaribus cohortibus*] Sic scr. et edd. vett. omnes. Mercerus eam lectionem vitii arguit, quod vexillariorum cohortes non sint, nec *vexillares* dicantur, sed *vexillarii*, denique auxilia debuerint latus legionis claudere, non vexillarii. Itaque legi vult *auxiliaribus*, quod Pichena recepit. Prima ratio firma et tertia, non secunda. Nam *vexillares* non contra analogiam dicuntur, et MSS. Oxon. Agr. habent *vexillariis*. J. Gronovius putat legendum *cum duobus vexillis, tribus cohortibus.* Non placet. Quorsum duo vexilla, ubi integra legio? Et quæ aut quorum ista vexilla? ERN. Bud. *vexiliaribus*, quod proxime ad emendatam lectionem accedit.

*A lateribus cohortes legionum*] Nihil ambigimus, quin Tacitus scripserit, *a lateribus cohortes, legio adversa fronte.* Ita superior aciei dispositio postulat: et, ad circumveniendum hostes, invasionem tripertitam esse oportuit. LIPS. Freinshemius malebat *legionarii adversa fronte.* Flor. Oxon. (Reg. Lall.) et Guelf. a man. pr. (et Put.) *frons*: quod probat J. Gron. Tacitus vult dicere, ab omnibus partibus circumventos Vitellianos. Cohortes latera circumfudere, equites terga, legio frontem. Itaque vulgatum servem; *Legionum adversa*: i. e. legiones adversæ, a fronte s. frontem cinxere. ERN. Bud. et ed. Alc. et Rhen. *legionum adversa fronte.* Paullo ante Bud. male *cedunt.*

*Compleri fossas*] Nempe, quæ ibi forte factæ ab rusticis, recipiendis aquis, aut alia de caussa, ut bene monet Pichena. ERN.

*Jubebat*] Lall. e cod. suo Regio se dedisse profitetur *jubet*; sed operæ, ut adparet, non paruere.

*Incipi victoriam ratus*] Freinsh. *ratus* spurium putat. Jac. Gronovius corrigit *iratis*, quia sequitur *vincerentur*, non *vinceretur.* At quorsum iræ hic mentio fiat? Ego vero *ratus* delevi, auctore ed. pr. a qua hæc vox abest: item a MS. Reg. ut Broterius notat, qui nos imitatus est. Inculcari talia verba in tali textu, ut *inquiens, dicens*, supra vidimus. ERN. Heins. conjicit *insisti victoriæ.* Sed ex citato Jureti loco in Symm. ep. 1, 84. patet, eum potius voluisse *insisti victoriam.*

terfecere: vulneratur Rex Epiphanes, impigre pro Othone pugnam ciens.

XXVI. Tum Othonianus pedes erupit: protrita hostium acie, versi in fugam, etiam qui subveniebant: nam Cæcina non simul cohortes, sed singulas acciverat: quæ res in prœlio trepidationem auxit, cum dispersos, nec usquam validos, pavor fugientium abriperet. Orta et in castris seditio, quod non universi ducerentur: vinctus Præfectus castrorum, Julius Gratus, "tamquam fratri, apud Othonem militanti, proditionem ageret:" cum fratrem ejus, Julium Frontonem, Tribunum, Othoniani sub eodem crimine vinxissent. Ceterum ea ubique formido fuit apud fugientes, occursantes, in acie, pro vallo, ut "deleri cum universo exercitu Cæcinam potuisse, ni Suetonius Paullinus receptui cecinisset," utrisque in partibus percrebuerit. "Timuisse se," Paullinus ferebat, "tantum insuper laboris ac itineris, ne Vitellianus miles, recens e castris, fessos adgrederetur, et perculsis nullum retro subsidium foret:" apud paucos ea Ducis ratio probata, in vulgus adverso rumore fuit.

XXVII. Haud perinde id damnum Vitellianos in metum compulit, quam ad modestiam composuit: nec solum apud Cæcinam, qui culpam "in militem" conferebat, "seditioni magis quam prœlio paratum;" Fabii quoque Valentis copiæ (jam enim Ticinum venerat) posito hostium contemptu, et recuperandi decoris cupidine, reverentius et æqualius Duci

*Rex Epiphanes*] Filius Antiochi, Regis Commageni, cujus in rebus Vespasiani et apud nostrum mentio. Is tum Romæ fuit, sive obses, regnante adhuc patre, sive alia qua de caussa, Othonemque comitatus est. De ejus parentisque fatis v. Josephus B. J. 7, 7. *Rex* vocatur vetere more, quo etiam Regum filii, et quicunque Regiæ stirpis sunt, Reges vocantur, ut ap. Græcos βασιλεῖς. ERN. Cum fratre Callinico exhibetur Epiphanes in nummo Commagenorum apud Pellerin méd. des Rois, p. 124. Cf. Eckhel D. NN. vet. vol. 3. p. 258.

*Othonianus pedes erupit*] Puto *irrupit*; nempe in silvam et vineas impeditas, quibus defendebantur Vitelliani. GRON. At *prorumpere* et *erumpere* etiam dicuntur milites in acie constituti, cum impetum facere incipiunt. Prioris verbi permulta apud nostrum exempla, A. 1, 65. 4, 71. etc. Virgil. Æn. 11, 608. *Jamque intra jactum teli progressus uterque substiterat: subito erumpunt clamore.* ERN.

*Apud fugientes occursantesque*] Conjunctionem *que* bene delevit Rhenanus (duce Bud.). Abest et ab ed. pr. et MS. Reg. ERN.

*Tantum insuper laboris*] Videtur legendum *super*, syllaba *in* nata, ut sæpe alibi, e finali præcedentis. Præter laborem atque iter se timuisse, ne recens Vitellianus miles erumperet e castris, et fessos aggrederetur. Sic et infra c. 34. pro *super* editum vulgo *insuper*. Mox copulam *et*, a Rhenano (duce Bud.) sublatam, restituit Pichena, quam Guelf. et ed. pr. habent. Sed eadem habet *periculosis* pro *perculsis*, item MS. Reg. ERN. *Recens castris* in Put. etiam et Alc. edit. Paullo ante Bud. *ac itineris*. Mox Muretus volebat *fore*, non probante Acidalio.

*Haud perinde id damnum*] Pronomen agnoscunt Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. Deletum a Rhen. (duce Bud.) restituit Pichena. Mox *sed* ante *Fabii* abest a Flor. (Bud.) et aliis MSS. et ed. pr. quod cum J. Gronovio elegantius puto. *Æqualius* porro omnes scr. et edd. præter MS. Agr. qui habet *æquabilius*: quod frustra præfert Ryckius, cum illud idem sit, ut supra jam ostensum. ERN.

*Recuperandi decoris*] Bud. *dedecoris*, librarii vitio.

parebant. Gravis alioquin seditio exarserat, quam altiore initio (neque enim rerum a Cæcina gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Cohortes Batavorum, quas bello Neronis a quartadecima legione digressas, cum Britanniam peterent, audito Vitellii motu, in civitate Lingonum Fabio Valenti adjunctas retulimus, superbe agebant; ut cujusque legionis tentoria accessissent, "coercitos a se quartadecimanos, ablatam Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam," jactantes. Contumeliosum id militibus, acerbum Duci: conrupta jurgiis aut rixis disciplina: ad postremum Valens e petulantia etiam perfidiam suspectabat.

XXVIII. Igitur nuntio adlato, "pulsam Treverorum alam Tungrosque a classe Othonis et Narbonensem Galliam circumiri;" simul cura socios tuendi et militari astu cohortes turbidas, ac, si una forent, prævalidas, dispergendi: partem Batavorum "ire in subsidium" jubet: quod ubi auditum vulgatumque, mœrere socii, fremere legiones: "orbari se fortissimorum virorum auxilio: veteres illos et tot bellorum victores, postquam in conspectu sit hostis, velut ex acie abduci: si provincia urbe et salute Imperii potior sit, omnes illuc sequerentur: sin victoriæ sanitas, sustentaculum, columen in Italia verteretur, non abrumpendos, ut corpori, validissimos artus."

XXIX. Hæc ferociter jactando, postquam, inmissis lictoribus, Valens coercere seditionem cœptabat, ipsum invadunt, saxa jaciunt, fugientem sequuntur, "spoliaGalliarum et Viennensium aurum et pretia laborum suorum occultare," clamitantes, direptis sarcinis, tabernacula Ducis, ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur: nam Valens servili veste apud Decurionem equitum tegebatur. Tum Alphenus Varus, Præfectus castrorum, deflagrante paullatim seditione, addit consilium, vetitis obire vigilias Centurionibus, omisso tubæ sono, quo miles ad belli munia cietur. Igitur torpere cuncti, circumspectare inter se adtoniti: et id ipsum, quod nemo regeret, paventes: silentio, patientia, postremo precibus ac lacrymis veniam quærebant. Ut vero deformis et flens et præter spem incolumis Valens pro-

*Retulimus*] V. H. 1, 59. 64. Mox *cujus legionis* Flor. Bud. Agr.

*E petulantia*] Sic Rhen. e Bud. sic et Puteol. sed Alciatus præpositionem omiserat.

*Sin victoriæ sanitas*] Sic MSS. Flor. Bud. Reg. ed. pr. Rhen. seqq. At Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. Ber. Alc. *victoria, sanitas:* illud verum. Mox Heinsius pro *ut corpori*, acute *suo corpori*, ad Vellei. 2, 109. Sed vulgatum quoque ferri potest, et consuetudini scriptorum elegantiorum consentiens est. Non esse a se divellendos Batavos, quod si fiat, nihil aliud agi, quam si artus a corpore abrumpantur. ERN.

*Obire vigilias*] De hoc ritu ego in Militia Dial. 5, 9. LIPS.

*Silentio, patientia*] Malim, *silentio, pœnitentia.* LIPS. *Patientia* omnes scr. et edd. Patienter ac tacite ferebant istam omissionem solitorum, non frementes, non irascentes. ERN. Mox *precibus ac lacr.* Rhen. e Bud. Prius legebatur *et.*

cessit, gaudium, miseratio, favor: versi in lætitiam, (ut est vulgus utroque inmodicum) laudantes gratantesque, circumdatum aquilis signisque in tribunal ferunt. Ille utili moderatione non supplicium cujusquam poposcit: ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit: gnarus civilibus bellis plus militibus, quam Ducibus, licere.

XXX. Munientibus castra apud Ticinum, de adversa Cæcinæ pugna adlatum, et prope renovata seditio, " tamquam fraude et cunctationibus Valentis prœlio defuissent." Nolle requiem, non exspectare Ducem, anteire signa, urgere signiferos: rapido agmine Cæcinæ junguntur. Inprospera Valentis fama apud exercitum Cæcinæ erat: " expositos se tanto pauciores integris hostium viribus," querebantur, simul in suam excusationem, et adventantium robur per adulationem adtollentes, ne ut victi et ignavi despectarentur. Et quamquam plus virium, prope duplicatus legionum auxiliorumque numerus erat Valenti, studia tamen militum in Cæcinam inclinabant; super benignitatem animi, qua promptior habebatur, etiam vigore ætatis, proceritate corporis et quodam inani favore. Hinc æmulatio Ducibus. Cæcina " ut fœdum et maculosum," ille " ut vanum ac tumidum," inride-

*Paucos incusavit*] Lego *paucis*: ad brevitatem enim orationis refertur, non ad eos qui peccarant; et sane omnes in hac culpa, nec excerpi pauci potuere. LIPS. Sensus: non totius exercitus istum furorem, sed paucorum fuisse, qui exercitum concitassent. Eadem ratione usus Otho 1, 84. *Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit.* Atqui omnes seditiosi fuerant. Igitur *paucos* non tentandum contra libros. ERN.

*Rapido agmine Cæcina jungitur*] MSS. Flor. (Bud.) Guelf. etc. ed. pr. *junguntur*, ut Rhenanus edidit. Ceteræ vett. edd. ante Rhen. *jungitur*. (Puteol. tamen habet *junguntur*.) Paullo post *ac prope dupl.* Guelf. Harl. Bodl. edd. Puteol. Beroald. Alc. ERN. Rhen. delevit duce Bud. præp. *ac.*

*Et quodam inani favore*] Censuerim legendum *inanium*. Quæ illa? Superiori libro habes: *Cæcina corpore ingens, animi immodicus, cito sermone, erecto incessu studia militum allexerat.* Prorsus ut de Corbulone 13, 8. *omnium in se ora verterat, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.* GRON. Idem Heinsio placebat ap. Ryckium (et Lallemandio). Sed idem significat *inanis favor*, h. e. a caussis inanibus ortus, ut *gloria inanis*, et similia. Nam et gloria inanis est, quæ a rebus inanibus, nulla gloria dignis, nascitur. Ceterum, si libri faverent, *inanium* sane præferrem. ERN.

*Fœdum et maculosum*] Valet in omne animi vitium et labem *maculosi* vox: tamen vereor, ut hic proprie in ignaviam ac timorem. Ex antithesi, quæ sequitur, suspiceris: et magis ex hoc Ammiani loco 30, 8. *Arguebat hic idem Princeps* (Valentinianus) *timidos sæpius, maculosos tales appellans et sordidos.* LIPS. Non ignaviam et timorem interpretor, sed libidinem et rapacitatem: quæ in homine arguit et 1, 66. *Valentem magna pecunia emptum.* Et, *ipsa itinerum spatia et stativorum mutationes venditante Duce, fœdis pactionibus adversus possessores agrorum et Magistratus civitatum, adeo minaciter, ut Luco faces admoverit, donec pecunia mitigaretur: quoties pecuniæ materia deesset, stupris et adulteriis exorabatur.* Sic A. 13, 33. *Cossutianum Capitonem Cilices detulerant maculosum fœdumque, et idem jus audaciæ in provincia ratum, quod in urbe exercuerat.* H. 1, 7. *ut avaritia et libidine fœdum ac maculosum.* Cicero, ad Attic. 1, 16. *Maculosi Senatores, nudi Equites.* Plinius ep. 3, 9. *homo fœdus et aperte malus Proconsulatum non minus violenter quam sordide gesserat.* GRON.

bant. Sed condito odio, eandem utilitatem fovere, crebris epistolis, sine respectu veniæ, probra Othoni objectantes: cum Duces partium Othonis, quamvis uberrima conviciorum in Vitellium materia, abstinerent.

XXXI. Sane ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam, meruere, minus Vitellii ignavæ voluptates, quam Othonis flagrantissimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ; contra illi initium belli nemo inputabat. Vitellius ventre et gula sibi ipse hostis; Otho luxu, sævitia, audacia, Reipublicæ exitiosior ducebatur. Conjunctis Cæcinæ ac Valentis copiis, nulla ultra penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho consultavit, trahi bellum, an fortunam experiri placeret. Tum Suetonius Paullinus, dignum fama

*Nemo imputabat*] Sciebant, a suis pæne coactum; ipsum ignavum, nunquam ausurum quid fuisse. Ideoque excusabant potius, quam oderant. Ern.

*Gula sibi ipsi hostis*] Codex Bud. habuit *sibim*: unde legendum, *sibimet hostis*, Rhenanus putabat. Flor. ed. pr. *sibi inhostus*, quod interpretandum, *sibi inhonestus*, post Victorium ad Caton. R. R. (c. 80. 81) putabat Pichena. Putem esse manifestum, Tacitum voluisse antithetis uti. Vitellius sibi, Otho reipublicæ perniciosus. At cod. Guelf. *sibi ipsi*, ut ceteræ edd. idque oppositionis ratio videtur desiderare: *sibi ipsi Vitellius—Otho Reip.* Itaque servavi, dum melius quid reperiatur. Neque enim est de nihilo, quod Flor. Bud. ed. pr. habent. J. Gronovius recepit Rhenani conjecturam *sibimet hostis*. Venit aliquando in mentem *sibimet*, vel *sibi modo noxius*; ut vitium ortum sit e compendio *mo* et litera *x* in *s* mutata, quod sæpe factum a librariis constat. Ern. In Bud. est *sibi in hostiis*: manifestum est, librarium ante oculos habuisse istud Flor. et ed. pr. *sibi inhostus*, quod quid sibi vellet, hæsisse dubium. Rhen. rei ignarus, pro *sibi in* legit *sibim*. et conjectavit legendum *sibimet hostis*, in textu tamen servavit *sibi ipsi hostis*. Ex *sibi inhostus* Heins. exsculpsit *sibi infestus*. Salmasius ad Solin. p. 24. τὸ *inhostus* explicat iniquus, ductum ab *hostus*, quod mensuræ genus apud Varronem R. R. 1, 24. Victorii conjecturam *sibi inhonestus* laudat quidem, sed duriusculam judicat Pichena, et servat Puteol. *sibi ipsi hostis*, quod recte opponitur sequenti *Reipublicæ exitiosior*. Id equidem recipio, nisi quod pro *ipsi* reponam *ipse*. Bip. malunt *sibi inhonestus*, similique exemplo ex A. 15, 25. lectionem tuentur, ubi *pax inhosta* pro *inhonesta*. Sed in nostro loco *inhonestus exitioso* male respondet.

*Suetonius Paullinus*] Et hic et alibi effuse laudat hunc Suetonium, *vetustissimum Consularium*, ut infra vocat, et non una militia clarum. Præfuit Britanniæ, ut habes A. 14, 29. et in Agricola 5 et 14. sed et in Africa bellum gessit, e Plinio 5, 1. *Suetonius*, inquit, *Paullinus, quem Consulem vidimus, primus Romanorum Ducum transgressus Atlantem*, etc. Ubi autem mens sive judicium fuit viro magno et celebri (Mureto) qui in Variis suis (15, 11.) nuper hunc Suetonium patrem fecit Suetonii nostri Tranquilli? Ita enim locum eum corrigit, Suetonii Othone 10. *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis Tribunus angusticlavius*. Et liber, inquit, qui tineas et cariem senserat, habet *Linus*. Omnino autem legendum *Paullinus*. Testem in eam rem laudabo Tacitum, qui fortis viri neque nomen neque virtutem tacitam esse sivit: ejus enim sæpe et in Annalibus et in Agricolæ vita honorificam mentionem facit. Hæc ille. Quid dicam? Non insector te, vir elegantissime, sed bona fide hæc scribis? Erras nimis. Suetonius ille Lenis Tribunus fuit; noster belli dux: ille angusticlavius, id est nondum Senator, sed inter Equites; iste Consularis: nec tenue usquam vestigium confusionis ejus, quam facis. Hoc mihi in transcursu monitum, non ut carpam (Fidem testor:) sed ut claro sub exemplo doceam, quam fallax hæc critica, et ignoscendum etiam nobis esse, si labimur interdum in proclivi ista via. Lips.

sua ratus, qua nemo illa tempestate militaris rei callidior habebatur, de toto genere belli censere, " festinationem hostibus, moram ipsis utilem" disseruit:

XXXII. " Exercitum Vitellii universum advenisse: nec multum virium a tergo, quoniam Galliæ tumeant, et deserere Rheni ripam, inrupturis tam infestis nationibus, non conducat: Britannicum militem hoste et mari distineri: Hispanias armis non ita redundare: provinciam Narbonensem incursu classis et adverso prœlio contremuisse: clausam Alpibus, et nullo maris subsidio, Transpadanam Italiam atque ipso transitu exercitus vastam: non frumentum usquam exercitui, nec exercitum sine copiis retineri posse. Jam Germanos, quod genus militum apud hostes atrocissimum sit, tracto in æstatem bello, fluxis corporibus, mutationem soli cælique haud toleraturos. Multa bella, inpetu valida, per tædia et moras evanuisse. Contra ipsis omnia opulenta et fida: Pannoniam, Mœsiam, Dalmatiam, Orientem, cum integris exercitibus; Italiam et caput rerum urbem: Senatumque et Populum numquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur; publicas privatasque opes et inmensam pecuniam, inter civiles discordias ferro validiorem; corpora militum aut Italiæ sueta, aut æstibus: objacere flumen Padum, tutas viris murisque urbes; e quibus nullam hosti cessuram, Placentiæ defensione exploratum. Proinde duceret bellum: paucis diebus quartamdecimam legionem, magna ipsam fama, cum Mœsiacis copiis adfore: tum rursus deliberaturum, et, si prœlium placuisset, auctis viribus certaturos."

XXXIII. Accedebat sententiæ Paullini Marius Celsus: " idem placere Annio Gallo," paucos ante dies lapsu equi adflicto, missi, qui consilium ejus sciscitarentur, retulerant. Otho pronus ad decertandum: frater ejus Titianus, et Præfectus

*Galliæ tumeant, et*] Copulam apte inserui, ex Vatic. *Tumere* autem eleganti metaphora dicuntur, quæ eruptura videntur: usurpavit Cicero bis in Epistolis ad Atticum 14, 4 et 5. Lips. Adde Clav. Cic. in h. v. Ern. Et Plin. paneg. 28. *tumentibus plebis animis.* Danesius pro *quoniam* legit *quamquam*; ita scil. Rhen. interpretatur compendium scripturæ, quod ibi est in Bud. ipse tamen *quoniam* retinet. Mox Agr. habet *detineri*, quod mari convenientius putat Ryckius. Idem cod. *maritimis Alpibus*, glossa.

*Transitu exerc. vastam*] Sic e Flor. edidit J. Gronovius, probatque etiam Ryckius, qui et in MS. Agr. repererat. Consensit ed. pr. MS. Reg. Vulgo (et Bud.) *vastatam*. Possis dicere, ex hoc factum *vastam*, ut supra *jactus* e *jactatus*, et similia in his et aliis libris. At contra satis constat, librarios valde pronos fuisse in hanc partem, ut e *vastus* facerent *vastatus*. Vid. viros doctos ad Liv. 23, 30. Add. infra ad 4, 50. Itaque *vastam* merito prætuli: secutus est Broterius. Ern. et Lall.

*Sine copiis*] Sine commeatu. Sic infra 3, 60. 4, 22. Cf. Symmach. ep. 1, 55. et ibi Juretus.

*Obscura nomina*] Bud. *obscurari*. Idem *Senatum et Pop.* Agr. addit *Rom.*

*Etsi aliquando obumbrentur*] Flor. Reg. ed. pr. *etiam*: forte *etiamsi* fuit. Et sic in MS. Harl. reperit Broterius: de verbo *obumbrare* supra diximus. Ern. Bud. *et si*. Sic et Put. Alc. Rhen.

*Paucis diebus quartamdecimam*] Hæc restitui, in vulgatis qua a verbis, qua ab interpunctis mendosa. Lips. Nempe vulgo interpungebatur post *diebus*, et aberat *cum*. Ern. Deest et in Bud.

*Ad decertandum*] Bud. *ad certandum*.

Prætorii Proculus, inperitia properantes, "Fortunam et Deos et Numen Othonis adesse consiliis, adfore conatibus," testabantur: neu quis obviam ire sententiæ auderet, in adulationem concesserant. Postquam pugnari placitum, "interesse pugnæ Imperatorem, an seponi melius foret," dubitavere. Paullino et Celso jam non adversantibus, ne Principem objectare periculis viderentur, iidem illi deterioris consilii auctores perpulere, "ut Brixellum concederet, ac, dubiis prœliorum exemptus, summæ rerum et Imperii se ipsum reservaret." Is primus dies Othonianas partes adflixit: namque et cum ipso Prætoriarum cohortium et speculatorum equitumque valida manus discessit, et remanentium fractus animus: quando suspecti Duces, et ut Othoni uni apud militem fides, dum et ipse non nisi militibus credit, imperia Ducum in incerto reliquerat.

XXXIV. Nihil eorum Vitellianos fallebat, crebris, ut in civili bello, transfugiis: et exploratores, cura diversa sciscitandi, sua non occultabant. Quieti intentique Cæcina ac Valens, quando hostis inprudentia rueret, quod loco sapientiæ est, alienam stultitiam opperiebantur, inchoato ponte transitum Padi simulantes, adversus oppositam gladiatorum manum, ac ne ipsorum miles segne otium tereret. Naves, pari inter se spatio, validis utrimque trabibus connexæ, adversum in flumen dirigebantur, jactis super ancoris, quæ firmitatem pontis continerent. Sed ancorarum funes non extenti fluitabant, ut augescente flumine, inoffensus ordo navium adtolleretur. Claudebat pontem imposita turris et in extremam navem educta: unde tormentis ac machinis hostes propulsarentur.

*Et numen Othonis*] Freinsh. ad A. 1, 73. malebat *nomen*. ERN.

*Objectare periculis*] E poeta sumtum Æn. 2, 751. mox pro *iidem* Guelf. Harl. Bodl. et ed. pr. contracte *idem*. ERN.

*Brixellum concederet*] Ita factum, ibique se occidit. Eluc mendam igitur, quæ in Hegesippo (scriptore mihi quidem haud spernendo) 4, 24. *Cum Otho comperisset, Valenti ac Cæcinæ, Vitellii comitibus, victoriam cessisse . . . Brixiæ positus, voluntaria morte eripuit se ludibrio.* Facito *Brixelli*. LIPS.

*Summæ rerum et Imperii seipsum reservaret*] MSS. Bud. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *summam*, velut sit appositive dictum. *Ipsum* hic frigere, facile quivis, ut opinor, sentiat. ERN.

*Et Otho, cui*] MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *et ut Otho*. Unde Rhenanus faciebat, *et Otho, ut cui*: J. Gron. *et sic Otho*. ERN. Bip. ne particula *ut* peresset, ita locum refingunt, ut jam exhibeo. Sensus a prius vulgato nihil differt.

*Imperia Ducum in incerto reliquerat*] Effecerat, ut imperia Ducum sine vi essent, quando milites iis non satis fiderent, adeoque nec promte parerent. ERN.

*Cura diversa sciscitandi*] Dum quisque, in hostium partibus et castris quid ageretur, explorare tentant. ERN.

*Naves*] Recte Pichena et Acid. sensere, novam periodum inchoandam a voce *Naves*. Duplex enim consilium inchoandi pontis describitur: tum sequitur de pontis forma.

*Jactis super ancoris*] Sic e Flor. edidere Ryckius et J. Gronovius, idemque erat in Budensi et Agr. Consentit et ed. pr. Ex eo non intellecto librarii fecere *insuper*, quod est in MS. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi (Alc. Rhen.) sqq. unde patet non esse ab ingenio Beroaldi, ut J. Gronovius putat. Naves fundantur ancoris, ut Virgilius loquitur Æn. 6, 4. Ergo etiam super jactis ancoris dirigebantur contra impetum fluminis. ERN. Rhen. conjectabat *superne*.

XXXV. Othoniani in ripa turrim struxerant, saxaque et faces jaculabantur. Et erat insula amne medio, in quam gladiatores navibus molientes, Germani nando prælabebantur. Ac forte plures transgressos, completis Liburnicis, per promptissimos gladiatorum Macer adgreditur. Sed neque ea constantia gladiatoribus ad prœlia, quæ militibus; nec perinde nutantes e navibus, quam stabili gradu e ripa, vulnera dirigebant. Et, cum variis trepidantium inclinationibus, mixti remiges propugnatoresque turbarentur, desilire in vada ultro Germani, retentare puppes, scandere foros, aut cominus mergere: quæ cuncta, in oculis utriusque exercitus, quanto lætiora Vitellianis, tanto acrius Othoniani caussam auctoremque cladis detestabantur.

XXXVI. Et prœlium quidem, abruptis quæ supererant navibus, fuga diremptum: Macer ad exitium poscebatur. Jamque vulneratum eminus lanĉea strictis gladiis invaserant, cum intercursu Tribunorum Centurionumque protegitur. Nec multo post Vestricius Spurinna, jussu Othonis, relicto Placentiæ modico præsidio, cum cohortibus subvenit. Dein Flavium Sabinum, Consulem designatum, Otho rectorem copiis misit, quibus Macer præfuerat; læto milite ad mutationem Ducum, et Ducibus ob crebras seditiones tam infestam militiam adspernantibus.

XXXVII. Invenio apud quosdam auctores, " pavore belli, seu fastidio utriusque Principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur, dubitasse exercitus, num, posito certamine, vel ipsi in medium consultarent, vel Senatui permitterent legere Imperatorem. Atque eo Duces Othonianos spatium ac moras suasisse, præcipua spe Paullini:

*Nec perinde*] Bud. *proinde*. Frequenti errore.

*Mixti remiges*] Sic e Flor. iidem edidere: firmant iidem libri (Bud. Agr.). ceteri *immixti*. ERN.

*Abruptis quæ superfuerant navibus*] Forte *abreptis*, id est, raptim abductis, quæ ab hostibus raptæ aut mersæ non erant. GRON. *Abruptis* MSS. (Bud.) Reg. edd. Puteol. sqq. Contra Flor. *arruptis*, ut et ed. pr. unde J. Gron. corrigit *arreptis*. Neutrum convenire arbitror. Nam Othoniani non egressi erant navibus, ut e præcedentibus clarum est. *Abripere* autem et *arripere* est extrinsecus agentis. Hoc tamen melius. *Supererant* e Flor. edidere Ryckius, Gron. consentit (Bud. Agr.) ed. pr. Mox *intercursu* e Bud. bene Rhen. ut est et in Flor. Reg. ed. pr. Alii *incursu*, quod e compendio ortum est. ERN. Brot. præfert *abreptis*, Lall. *arreptis*, Bip. *absumptis*. Sensus ubique claudicat. Malim *abreptis*. i. e. raptim abductis.

*Ad mutationem Ducum*] Copulam *et* addunt Flor. (Bud.) Agr. Guelf. Harl. Bodl. *et ad mut.* quod recepere Ryckius et J. Gronovius. Id non imiter. Nulla copula hic locum habet. Nam dictum esse, pro *et læto milite*, ut vult J. Gronovius, nunquam credam. ERN. Copulam istam non habent Put. Alc. Rhen.

*Præcipue Paullinum*] Flor. ed. pr. *præcipuas Paullini*: quod J. Gron. putat factum e *præcipue Suetonium Paullinum*. Imo librarius ad *moras* retulit: hinc natum vitium. ERN. Bud. *precipue*. Si Flor. haberet *præcipuas Paullinum*, cum Ernestio sentirem. Nunc gignendi casus aliquid habet in recessu. Forsan Bip. rem acu tetigere, qui ex eo quod mox legitur, *neque P. sperasse reor*, conjectant, hic legendum, *præcipua spe Paullini*, similemque locum firmandæ sententiæ ex Sallustii Fragm. l. 3. n. 20. ed. Cortii adlegant. Recipio emendationem, licet timidiuscule, nam in vulgato idem sensus latet.

quod vetustissimus Consularium, et militia clarus, gloriam nomenque Britannicis expeditionibus meruisset." Ego, ut concesserim, apud paucos tacito voto quietem pro discordia, bonum et innocentem Principem pro pessimis ac flagitiosissimis expetitum: ita neque Paullinum, qua prudentia fuit, sperasse, corruptissimo sæculo tantam vulgi moderationem, reor, ut, qui pacem belli amore turbaverant, bellum pacis caritate deponerent: neque aut exercitus linguis moribusque dissonos in hunc consensum potuisse coalescere, aut Legatos ac Duces, magna ex parte luxus, egestatis, scelerum sibi conscios, nisi pollutum obstrictumque meritis suis Principem passuros.

XXXVIII. Vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido cum Imperii magnitudine adolevit erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facile habebatur: sed ubi, subacto orbe et æmulis urbibus Regibusque excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter Patres plebemque certamina exarsere: modo turbulenti Tribuni, modo Consules prævalidi, et in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox e plebe infima C. Marius, et nobilium sævissimus L. Sulla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius occultior, non melior. Et nunquam postea, nisi de Principatu quæsitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones: nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint: eadem illos Deum ira, eadem hominum rabies, eædem scelerum caussæ in discordiam egere. Quod singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignavia Principum factum est. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem venio.

XXXIX. Profecto Brixellum Othone, honor Imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum Præfectum. Celsus et Paullinus, cum prudentia eorum nemo uteretur, inani nomine Ducum, alienæ culpæ prætendebantur.

*Ut concesserim*] Agr. *ut consenserim.* *Obstrictumque meritis suis Principem*] Ego fere τὸ *moribus* præferam: ut sit, qui non venisset ad Imperium, nisi Legatorum et Ducum hi mores fuissent, nisi eum, cui malos mores et improbitatem suam imputare possent. GRON. Verum vidisse Gronovium puto. Idque habent Guelf. edd. Puteol. Bercald. Alc. *Meritis* Flor. Bud. Agr. edd. pr. Rhen. seqq. omnes. Verbum *obstrictum*, quod solenne est in beneficiis ac meritis, videtur hanc lectionem peperisse. Utrumque verbum bonam sententiam facit, sed *moribus* venustiorem. ERN.

*Urbibus Regibusque*] MSS. quidam, Harl. (Bud.) Bodl. et edd. quædam *regibusve*; male: nam et urbes æmulæ fuere, ut Carthago, et Reges, ut Macedonici: prætulit tamen Broterius. ERN.

*Vacuum fuit*] i. e. satis otii fuit ab externa vi, ut possent cogitare de potentia augenda. Imitatus est Sallust. fr. Hist. init. *postquam remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit:* ubi vid. Cort. Vett. Gloss. *vacuum*, εὔκαιρον. ERN. Sic 13, 3. *quibus otiosum est.*

*Othonis ac Vit.*] Ryck. e cod. Agr. *Oth. aut Vit.*

*Eadem illos Deum ira*] Facessant ergo, qui Tacitum impietatis incusant.

Tribuni Centurionesque ambigui, quod, spretis melioribus, deterrimi valebant: miles alacer; qui tamen jussa Ducum interpretari, quam exsequi, mallet. Promoveri ad quartum a Bedriaco castra placuit; adeo inperite, ut quamquam verno tempore anni, et tot circum amnibus, penuria aquæ fatigarentur. Ibi de prœlio dubitatum: Othone per litteras flagitante, ut maturarent; militibus, ut Imperator pugnæ adesset, poscentibus; plerique copias trans Padum agentes acciri postulabant. Nec perinde dijudicari potest, quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse, quod factum est.

XL. Non ut ad pugnam, sed ad bellandum, profecti, confluentes Padi et Adduæ fluminum, XVI inde millium spatio distantes, petebant. Celso et Paullino abnuentibus, "militem itinere fessum, sarcinis gravem, objicere hosti, non admissuro, quo minus expeditus, et vix quatuor millia passuum progressus, aut incompositos in agmine, aut dispersos et vallum molientes adgrederetur." Titianus et Proculus, ubi consiliis vincerentur, ad jus Imperii transibant. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho, increpita

*Jussa Ducum interpretari*] Id est, inquirere in caussas jussionis, et explorare ac ponderare, quam simplici obedientia patrare. Tale in Agricola 40. *Adeo ut plerique, viso aspectoque Agricola, quærerent famam, pauci interpretarentur.* Significat, multos ex specie tantum externa judicasse, paucos inquisisse aut explorasse. LIPS.

*Promoveri ad quartum*] E Plutarcho c. 11. scriberes, *ad sextum*. Nam ille quinquaginta stadia numerat. Sed et paullo post, ubi noster XVI milliaria numerat, Græci ejusdem computatione XII saltem efficiuntur. Nihil tamen ego mutem. LIPS.

*Adeo inperite*] Totum hunc locum verbatim Plutarchus expressit, ut pleraque alia: etsi haud multum ætate nostro inferior. LIPS. Mox pro *perinde* ed. pr. (et c. Bud.) *proinde*, solenni confusione. ERN.

*Sed ad bellandum profecti*] *Ad debellandum* corrigit Grotius. Ibant non quasi ad incertum certamen, sed ut finem imposituri bello una victoria. Sed *bellare* pro *debellare* dixit etiam Livius 6, 31. *ne quis, quoad bellatum esset, tributum daret:* etc. ubi consentiunt libri: nisi *bellatum esset* pro *bellaret* dixit: quod tamen vix rectum foret. Alioqui non ignoro, hæc verba subinde a librariis confundi, ut passim ad Livium notavit Drakenborchius. ERN.

*Padi et Adduæ*] In Vatic. locus hic in litura, sic tamen, ut aperte esset erudere scriptum antiquitus, *Padi et Agelc*: aliena deinde manu factum *Adduæ*. Sed Agela ignotum mihi flumen, et censeam vulgatam esse veram. De Addua, Plinius 2, 103 (106.). Strabo 3. p. 192. 209. itemque Sidonius ep. 1, 5. *Vidimus ulvosum Lambrum, cæruleum Adduam, velocem Athesin, pigrum Mincium.* LIPS.

*Non admissuro*] Pro non *commissuro*: quæ duo verba promiscue dicuntur. Vid. Drakenb. ad Liv. 2, 37. Atque ita edidit Rhenanus (e Bud.). At edd. ante Rhen. Guelf. et MSS. alii *amissuro*: quod et ipsum bonum et aptum verbum est, intellecto *occasionem*: quamquam ejus ellipseos exemplum non memini me alibi reperire. ERN. *Amissuro* vitium est et male-defenditur. Bip. subaudiunt *culpam*.

*Citus equo Numida*] Quis hic Numida? num inter auxilia Othonis ea gens? minime, sed inter obsequia. Ne fugiat enim te latens hic ex antiquo mos: quo receptum, ut viris lautioribus ditioribusque Afri aut Numidæ equites essent ad iter. Præcurrebant illi et agmen ducebant heri sequentis. Seneca epist. 88. (87.) *O quam cuperem Catoni nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores et Numidas et multum ante se pulveris agentem!* Idem expressius epist. 124. (123.) *Omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Martialis 10, 13. *Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros, Et Libys in longo pulvere sudet eques.*

"Ducum segnitia, rem in discrimen mitti" jubebat; æger mora et spei impatiens.

XLI. Eadem die, ad Cæcinam, operi pontis intentum, duo Prætoriarum cohortium Tribuni, colloquium ejus postulantes, venerunt. Audire conditiones ac reddere parabat, cum præcipites exploratores, adesse hostem, nuntiavere. Interruptus Tribunorum sermo: eoque incertum fuit, insidias an proditionem, vel aliquod honestum consilium cœptaverint. Cæcina, dimissis Tribunis, revectus in castra, datum jussu Fabii Valentis pugnæ signum et militem in armis invenit. Dum legiones de ordine agminis sortiuntur, equites prorupere: et, mirum dictu, a paucioribus Othonianis quo minus in vallum inpingerentur, Italicæ legionis virtute deterriti sunt: ea strictis mucronibus, redire pulsos et pugnam resumere coegit. Disposita Vitellianarum legionum acies sine trepidatione: etenim, quamquam vicino hoste, adspectus armorum densis arbustis prohibebatur: apud Othonianos, pavidi Duces, miles Ducibus infensus, mixta vehicula et lixæ, et, præruptis utrimque fossis, via quieto quoque agmini angusta. Circumsistere alii signa sua, quærere alii: incertus undique clamor adcurrentium, vocitantium: et, ut cuique

De tali igitur hic capies: quando et Principibus illi in usu. Ex Martiali, in adventum Domitiani 10, 6. *Quando eques et picti tunica Nilotide Mauri Ibitis? et populi vox erit una, venit?* Nec Suetonium aliter interpretemur (viderat sagacissimus Turnebus Adv. 24, 6. 30, 3.) in Nerone cap. 30. *Iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba atque cursorum.* Nam Mazaces, Afri. LIPS.

*Æger mora et spei impatiens*] Talis in Homerico illo Hectore affectus Il. 22, 129.

Βίλτερον αὖτ' ἰριδι ξυνελαυνέμεν ὅττι τάχιστα
Εἴδομεν, ὁππότερῳ κεν Ὀλύμπιος εὖχος ὀρέξῃ.

Et Polybii verissima gnome 3, 112. Βαρύτατος δὴ πᾶσιν ἀνθρώποις ὁ τοῦ μέλλοντος γίνεται χρόνος. LIPS.

*In vall. impingerentur*] E Virgilio sumtum Æn. 5, 804: *cum Troia Achilles exanimata sequens impingeret agmina muris.* ERN.

*Deterriti sunt*] Sic recte editum a Ryckio et J. Gron. e Flor. Consentit Guelf. (Bud. Agr.) edd. vett. omnes, etiam Rhen. pr. Unde patet in sec. *territi sunt* esse vitium operarum, quando in notis nihil monet, ut alias in minutissimis correctionibus solet: et hinc ad alios propagatum. Sed mox bene edidit Rhen. (ex ing.) *ea strictis*, pro *quæ*. Ed. pr. *et str.* quod ex *ea* factum patet. ERN. Bud. *et astrictis.*

*Disposita V. l. acies*] Bud. *acie*: sic Put. Alc. Rhen.

*Accurrentium, clamantium*] Farnes. et priscæ editiones, *accurrentium, volantium*; Vatic. *vomantium*, ut omnino aliud hic verbi fuerit; placetque Pichenæ *vocitantium.* LIPS. Idque ab omnibus servatum, præter Ryckium, qui e cod. Agr. edidit *volitantium.* Sed recte, ut opinor, monuit contra J. Gronovius, accurrentes etiam volitasse. Ipse suspicatur *morantium.* Sed formidine cunctantes non solent clamores ciere. Ego ad præcedentia potius referam, quam ad sequentia. *Accurrentes* sunt, qui circumsistunt signa: alii quærunt signa, quod fit voce, clamore. Ei rei *vocitantium* sane aptum. Flor. habet *currentium: clamantium*, ut Guelf. edd. vett. usque ad Pichen. præter primam, quæ habet *volentium.* Copulam *que* (etenim erat *clamantiumque*) delevit bene Rhenanus: qui mox (e Bud.) malebat *postremamque.* ERN. Bud. *adcurrentium clamantium ut cuique.* Rhen. inseruit *et*, quod et priores edd. habent. J. Fr. Gron. Obs. 2, 4. voluerat *vocantium*; Boxh. *vitantium* scil. signa, quod nihili Rhen. tamen servavit *postremamve.*

audacia vel formido, in primam postremamve aciem prorumpebant, vel revehebantur.

XLII. Adtonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem vertit, repertis, qui "descivisse a Vitellio exercitum" ementirentur. Is rumor, ab exploratoribus Vitellii dispersus, an in ipsa Othonis parte, seu dolo, seu forte surrexerit, parum compertum. Omisso pugnæ ardore, Othoniani ultro salutavere: et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris, quæ caussa salutandi, metum proditionis fecere: tum incubuit hostium acies, integris ordinibus, robore et numero præstantior: Othoniani, quamquam dispersi, pauciores, fessi, prœlium tamen acriter sumpsere: et per locos, arboribus ac vineis inpeditos, non una pugnæ facies: cominus eminusque catervis et cuneis concurrebant: in aggere viæ conlato gradu corporibus et umbonibus niti, omisso pilorum jactu, gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere: noscentes inter se, ceteris conspicui, in eventum totius belli certabant.

XLIII. Forte inter Padum viamque, patenti campo, duæ legiones congressæ sunt: pro Vitellio unaetvicesima, cui cognomen *Rapaci*, vetere gloria insignis: e parte Othonis,

*Revehebantur*] Flor. *aut relabebantur*. Vitiose. Mox Flor. Agr. Guelf. edd. Put. Ber. *in ipsa o. p.* MS. Reg. Edd. pr. Rhen. sqq. sine *in* (ut in Bud.). Restituit Ryckius. ERN. *Revehebantur* Bud. Agr. et edd. vet. Præstat Flor. *relabebantur*, metaphora ducta, ut bene Bip. a mari tumultuoso.

*Seu dolo*] Ita Suet. Oth. 9.

*Cominus eminusque*] Sic ante Rhen. ed. pr. Flor. (Bud.) Agr. At Guelf. Harl. Put. Ber. *eminus*. ERN.

*Umbonibus niti*] Vocem, *niti*, ex Farnes. et Vatic. addidi: et vero abesse sine sententiæ incommodo non potest. LIPS. Est et in (Flor. et) ed. pr. Mox *perrumpere* recte Rhen. (e Bud.) dedit, præcedit enim *niti*. Consentit Guelf. At edd. ante Rhen. omnes *perraperc*. ERN. Bud. et ex eo Rhen. omisere *niti*, habent tamen *perrumpere*.

*Cæteris conspicui*] MS. Bud. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. *ceteri*. Non sanam locum puto. ERN. Sensus: sibi invicem noti, in conspectu ceterorum pugnabant. Contra paullo supra *adspectus armorum densis arbustis erat prohibitus*. Put. Alc. Rhen. *ceteris*, recte.

*Cui cognomen Rapaci*] Non abs re arbitror, quoniam cognomina legionum sæpe Tacitus commemorat, veterem a me lapidem proponi, in quo ea ordine desculpta. Conspicitur autem Romæ in capitolio, forma columellæ:

NOMINA LEG.

| | | |
|---|---|---|
| II. AVGusta. | II. ADIVTRIX. | IIII. SCYTHica. |
| VI. VICTRIX. | IIII. FLAVia. | XVI. FLAvia. |
| XX. VICTRIX. | VII. CLAVDia. | VI. FERRATensis. |
| VIII. AVGVsta. | I. ITALica. | X. FRETEnsis. |
| XXII. PRIMIgenia. | V. MACEDonica. | III. CYRENensis. |
| I. MINERVia. | XI. CLAVDia. | II. TRAIana. |
| XXX. ULPia. | XIII. GEMina. | III. AVGusta. |
| I. ADIVTRIX. | XII. FVLMinatrix. | VII. GEMina. |
| X. GEMina. | XV. APOLlinea. | II. ITALica. |
| XIIII. GEMina. | III. GALLicana. | III. PARTHica. |
| I. PARTHica. | II. PARTHica. | |

Velim Dionis recensum legionum qui est 55, 23. cum hoc lapide conferri; a quo adjuti interpretes, paullo felicius sane eum vertissent. LIPS. Legionum seriem explicat Brot. ad c. 6.

prima Adjutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox et novi decoris avida. Primani, stratis unaetvicesimanorum principiis, aquilam abstulere: quo dolore accensa legio, et inpulit rursus primanos, interfecto Orphidio Benigno Legato, et plurima signa vexillaque ex hostibus rapuit. A parte alia, propulsa quintanorum inpetu tertiadecima legio: circumventi plurium adcursu quartadecimani. Et, Ducibus Othonis jam pridem profugis, Cæcina ac Valens subsidiis suos firmabant. Accessit recens auxilium, Varus Alphenus cum Batavis, fusa gladiatorum manu, quam, navibus transvectam, oppositæ cohortes in ipso flumine trucidaverant: ita victores latus hostium invecti.

XLIV. Et, media acie perrupta, fugere passim Othoniani, Bedriacum petentes. Inmensum id spatium: obstructæ strage corporum viæ; quo plus cædis fuit: neque enim, civilibus bellis, capti in prædam vertuntur. Suetonius Paullinus et Licinius Proculus diversis itineribus castra vitavere. Vedium Aquilam, tertiædecimæ legionis Legatum, iræ militum inconsultus pavor obtulit: multo adhuc die vallum ingressus, clamore seditiosorum et fugacium circumstrepitur: non probris, non manibus abstinent: "desertorem proditoremque" increpant: nullo proprio crimine ejus, sed more vulgi, suum quisque flagitium aliis objectantes. Titianum et Celsum nox juvit, dispositis jam excubiis, compressisque militibus, quos Annius Gallus precibus, consilio, auctoritate flexerat, "ne super cladem adversæ pugnæ suismet ipsi cædibus sævirent: sive finis bello venisset, seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum." Ceteris fractus animus. Prætorianus miles, "non virtute se, sed proditione victum," fremebat. "Ne Vitellianis quidem incruentam fuisse victoriam, pulso equite, rapta legionis aquila: superesse cum ipso Othone militum quod trans Padum fuerit: venire Mœsicas legiones: magnam exercitus partem Bedriaci remansisse: hos certe nondum victos: et, si ita ferret, honestius in acie perituros." His cogitationibus

*Unaetvicesimanorum principiis*] Aliquot libri, *principibus*, placet. Lips. Ut edd. Puteol. Beroald. (Alc.) Male. At Flor. Bud. Agr. Guelf. Reg. ed. pr. *principiis*, quod recte restituit Rhenanus (e Bud. *principis*). *Principia* intell. primam aciem: προμάχους Plutarchus (in Pyrrho 7.) vocat: quæ et alibi apud nostrum aliosque sic dicitur. V. Gron. obs. 4, 10. p. 156. Ern. Lipsius ipse errorem suum agnovit et emendavit de Mil. R. Dial. 4, 3. Mox *rursus* significat viceversa.

*A parte alia*] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *aperte*.

*Trucidaverant*] Moses du Soul ad Plutarchi Vit. (Oth. 12.) t. 5. p. 467. corrigit *trucidaverunt*; male. Ern.

*Civilibus bellis*] Sic Flor. (Bud.) ed. pr. Ryckius. J. Gron. Alii scr. et edd. (etiam Rhen.) *prœliis*. Contra 3, 19. *bellum* pro *prœlio* irrepsit. Ern.

*Castra vitavere*] Farnes. *castra petivere*; falso. Nam Plutarchus aperte Oth. 13. Τῶν δὲ στρατηγῶν οὔτε Πρόκλος, οὔτε Παυλῖνος, συνεισελθεῖν ἐτόλμησαν, ἀλλ' ἐξέκλιναν, φοβούμενοι τοὺς στρατιώτας. Lips. Bud. *vitavere*.

*Et si ita ferret*] Acidalius addi volebat *fors*. Frustra, intelligi potest vel hoc vel *res*; et sic jam vidimus A. 3, 15. Guelf. vitiose *fieret*, item ed. pr. *ferrent*. Ern.

truces aut pavidi, extrema desperatione ad iram sæpius, quam in formidinem, stimulabantur.

XLV. At Vitellianus exercitus, ad quintum a Bedriaco lapidem consedit, non ausis Ducibus eadem die oppugnationem castrorum: simul voluntaria deditio sperabatur. Sed expeditis, et tantum ad prœlium egressis, munimentum fuere arma et victoria. Postera die, haud ambigua Othoniani exercitus voluntate, et, qui ferociores fuerant, ad pœnitentiam inclinantibus, missa legatio: nec apud Duces Vitellianos dubitatum, quo minus pacem concederent. Legati paullisper retenti: ea res hæsitationem adtulit, ignaris adhuc, an inpetrassent. Mox remissa legatione, patuit vallum. Tum victi victoresque in lacrimas effusi, sortem civilium armorum misera lætitia detestantes. Iisdem tentoriis alii fratrum, alii propinquorum, vulnera fovebant. Spes et præmia in ambiguo: certa, funera et luctus: nec quisquam adeo mali expers, ut non aliquam mortem mœreret. Requisitum Orphidii Legati corpus, honore solito crematur: paucos necessarii ipsorum sepelivere: ceterum vulgus super humum relictum.

XLVI. Opperiebatur Otho nuntium pugnæ, nequaquam trepidus, et consilii certus: mœsta primum fama, dein profugi e prœlio perditas res patefaciunt. Non exspectavit militum ardor vocem Imperatoris: "bonum habere animum" jubebant: "superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque:" neque erat adulatio. Ire in aciem, excitare partium fortunam, furore quodam et instinctu flagrabant: qui procul adstiterant, tendere manus, et proximi prensare genua; promptissimo Plotio Firmo. Is Prætorii Præfectus

*Munimentum fuere arma et victoria*] Schelius ad Hyginum p. 128. inclinat eo, ut de genere munitionis capiat, extremi Imperii Romani temporibus usitati, qua armorum ordinibus circumdatis castra muniebant, de quo ibi vide. Sed additum *victoriæ* verbum aliud suadet: item antecedentia, e quibus patet, instrumenta ad muniendum necessaria defuisse. Tum loca ex antiquioribus prolata nil aliud indicant, quam in periculi metu, etiam si castra munita essent, noctu sub armis manere jussos. ERN.

*Apud Duces Vitellianos dubitatum*] Imo vero, *non dubitatum:* idque res et Plutarchus 13. suadent. Ideo optima lectio, quam ex Flor. adstruit Pichena: *missa legatio: nec apud Duces.* LIPS. Ante erat in edd. omnibus, ut et in scr. (in his Bud.) *missa legatione apud d.* quod vitium e sequentibus natum, ubi *remissa legatione.* ERN. Flor. scil. habet *legationem capud*, unde Pichena scite locum emendavit.

*Et consilii certus*] Rhen. malit *sed.* Sic in suo Mirandulano se reperisse venditat Lampugnanus, tacente Lipsio.

*Furore quodam et instinctu flagrabant*] Accipe dictum per hendiadys: *instinctu furoris*, furore quodam instincti. Cicer. Verr. 5, 72. *quodam furore instinctus.* Adde pro domo c. 55. In ed. pr. est *furoreque amenti instinctu:* unde facta videtur lectio cod. Agr. *furore quodam et amenti instinctu.* Eadem ed. (et Bud.) *prensare genua*, quod recepi. Ceteri (et Rhen.) *prehensare;* et deinde *promtissimus Plotius Firmus*, ut MS. Agr. ERN. Hendiadyn non agnoscunt Bip. sed *furorem* ad iram et vindictæ cupidinem, *instinctum* ad incredibilem amorem exercitus in Othonem, referunt. Dein *promtissimo Plotio Firmo* Bud. et editi.

*Is Prætorii Præfectus*] Duo Præfecti Prætorio sub Othone, Licinius Proculus et Plotius Firmus. Tacitus 1, 46. *Prætorii Præfectos sibi ipsi legere, Plotium*

identidem orabat, "ne fidissimum exercitum, ne optime meritos milites desereret: majore animo tolerari adversa, quam relinqui: fortes et strenuos etiam contra fortunam insistere spei; timidos et ignavos ad desperationem formidine properare." Quas inter voces, ut flexerat vultum aut induraverat Otho, clamor et gemitus. Nec Prætoriani tantum, proprius Othonis miles, sed præmissi e Mœsia, "eandem obstinationem adventantis exercitus, legiones Aquileiam ingressas," nuntiabant: ut nemo dubitet, potuisse renovari bellum atrox, lugubre, incertum victis et victoribus.

XLVII. Ipse aversus a consiliis belli, "hunc," inquit, "animum, hanc virtutem vestram ultra periculis objicere, nimis grande vitæ meæ pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si vivere placeret, tanto pulchrior mors erit.

*Firmum e manipularibus quondam et Licinium Proculum.* Nec alios usquam nominat. Ut jure mirer, in hac Othonis morte Plutarchum commemorare Pollionem Prætorii Præfectum. Quod vix est ut sit sine mendo, verba ejus 18. Οἱ δὲ στρατιῶται, Πολλίωνος τοῦ ἑτέρου τῶν ἐπάρχων, ὁμόσαι οὐδὲ εἰς τὸν Οὐιτέλλιον κελεύσαντος, *etc.* malimque Πλωτίου; nisi huic Plotio etiam Pollionis cognomen, quod unum dici superest. Lips. Edd. ante Rhen. omnes præter Puteol. addunt *erat.* Beroaldus hæc verba in parenthesi exhibet. Unde suspicio est, Tacitum scripsisse: *et proximi prensare genua. Promtissimus Plotius Firmus (is Præt. Præfectus erat) identidem orabat.* Ern. Id *erat* Rhen. Bud. auctoritate delevit.

*Majore animo tolerari*] Hæc illa sunt, quibus jugulare Stoicos adversa omnis manus solet: pro quibus scutum habeo equidem, quod opponam, nisi Religio me vetet. In hanc mentem igitur et Lucanus 7, 105.—*fortissimus ille est, Qui promtus metuenda pati, si cominus instent, Et differre potest.* Illa virgo apud egregium vatem (intelligo, qui Thebaida scripsit)—*non est, ut putas, virtus, pater, Timere vitam: sed malis ingentibus Obstare, nec se vertere, ac retro dare.* Sic et Cæsar 7, 77. et Q. Curtius 5, 9. Biberunt omnes e patera Aristotelis, cujus hoc scitum in Ethicis 3, 7 (11). Τὸ δ' ἀποδυήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Heu taceo! Lips.

*Fortes et strenuos*] Itaque Florus 4, 8. *Magnæ indolis signum est, sperare semper.* Lips.

*Clamor et gemitus*] *Clamorem* intellige lætantium, ubi flexerat vultum, tanquam obsecuturus militum studiis; *gemitum*, dolentium, ubi induraverat, tanquam mansurus in proposito tristi. Ed. pr. vitiose *induerat.* MS. Agr. *indurarat.* Ern. Ut 3, 61. Sed Bud. *induraverat.*

*Præmissi e Mœsia*] Præpositionem servant Flor. Guelf. edd. ante Rhen. restituitque Pichena. Ern. Omisit Rhen. auctore Budensi.

*Legiones Aquileiam ingressas*] De Mœsiæ legionibus tribus loquitur, de quibus hoc ipsum infra 85. *Aquileiam jam progressæ, rapta pecunia et inter se divisa, hostiliter egerunt.* Hoc eo noto, quod in Suetonio aliter legas, et dumtaxat *bina ex his legionibus millia præmissa,* Aquileiam venisse; in Vespas. 6. *Mœsiaci exercitus bina e tribus legionibus millia, missa auxilio Othoni, postquam iter ingressis nuntiatum est, victum eum ac vim vitæ suæ attulisse, nihilo secius Aquileiam usque perseveraverunt, quasi rumori minus crederent.* Et addit, metuentes ultionem de alio Imperatore cogitasse. Sed vereor, ut Suetonius hallucinetur in *duobus millibus;* qui non e Mœsiacis, sed Pannonicis Dalmaticisque fuere. Ita enim idem Tacitus supra dixerat 11. *Læta Othoni principia belli, motis ad imperium ejus e Dalmatia Pannoniaque exercitibus. Fuere quatuor legiones, e quibus bina millia præmissa.* Nec apud Tacitum leges, de præmissis illis e legionibus Mœsiacis. Sane, si et rem vides, probabilius, tres ipsas legiones illa violenta et hostilia Aquileiæ ausas, et de Imperatore deliberasse, quam sola ex iis duo millia electa. Lips.

*Ipse aversus*] Ita Flor. Ven. Put. Alc. Contra *versus* Rhen. e Bud.

*Tanto pulchrior mors erit*] *Tanto,* auctore MS. Budensi, delevit Rhenanus; abestque et ab aliis: Harl. Bodl. Guelf.

Experti invicem sumus, ego ac Fortuna; nec tempus computaveritis: difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Civile bellum a Vitellio cœpit, et, ut de Principatu certaremus armis, initium illic fuit: ne plusquam semel certemus, penes me exemplum erit: hinc Othonem posteritas æstimet. Fruetur Vitellius fratre, conjuge, liberis: mihi non ultione, neque solatiis opus est. Alii diutius Imperium tenuerint: nemo tam fortiter reliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus, sterni rursus, et Reipublicæ eripi patiar? Eat hic mecum animus, tamquam periturî pro me fueritis: sed este superstites: nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos constantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignaviæ est: præcipuum destinationis meæ documentum habete, quod de nemine queror: nam incusare Deos vel homines, ejus est, qui vivere velit."

XLVIII. Talia locutus, ut cuique ætas aut dignitas, comiter adpellatos, "irent propere, neu remanendo iram victoris asperarent:" juvenes auctoritate, senes precibus movebat: placidus ore, intrepidus verbis, intempestivas suorum lacrimas coercens. "Dari naves ac vehicula" abeuntibus jubet: li-

nec est sane necessarium: subauditur enim etiam alibi. (Vide indicem.) Sed, quia est in Fl. Reg. edd. ante Rhen. omnibus cum Pichena et sequentibus servavi. ERN. Pichena tamen omissionem probat.

*Experti invicem sumus, ego et fortuna*] Fortunam Otho expertus erat, cum Imperium tam brevi duraturum accepisset; Othonem autem Fortuna, cum is recte modesteque imperasset, fortiter que abdicaret. Sic bene Pichena. Mox *nec* Flor. Guelf. edd. ante Rhen. Hic (e Bud.) edidit *ne*. Illud melius, beneque restitutum a Pichena. ERN.

*Difficilius est temperare*] Acute, ut solet, Statius hoc expressit Theb. 2, 446. *Non parcit populis Regnum breve.* Et est humanum ingenium scilicet avidum tunc et præceps. LIPS. *Felicitati* aberat a MS. Bud. Mox pro *illic* Rhenanus (ex ingenio) malebat *illinc*. Bene, si libri juvarent. At etiam mox *penes me exemplum erit*, non *a me*. ERN. Frustra Rhen. *temperare* refert ad *Fortunam* vel subaudit *rei*; librarii incuria dativus deest. Bud. *illic* et *penes me*.

*Mihi non ultione, etc.*] Refer ad præcedentia: nolo ulcisci Vitellium interficiendis fratre, conjuge, liberis, et ex hac ultione solatia mali petere. ERN.

*Alii diutius Imperium tenuerint*] Sic Flor. bene; nam sequitur, *reliquerit*. Consentit ed. pr. recepitque Pichena. Ceteri scr. (etiam Bud.) et edd. *tenuerunt*. *Reliquerit*, quod deleri vult Rhen. (duce Bud.) omnes scr. et edd. tuentur: nec abesse potest salva sententiæ elegantia. ERN. Ipse quoque Rhen. servavit in textu.

*Plura de extremis loqui*] Quem non capiunt hæc alia, ex intimo animorum et affectuum penetrali deprompta? et sunt assidua in nostro scriptore. Quinctilianus simile, Declam. 344. *Jam mihi narras moras: ipsum illud secretum quærere, et putare interesse, ubi pereas, non est ardentis in mortem impetus. Non fiunt ista, nisi subito, nec quisquam (præsertim nulla gravi præcedente causa) spiritum ratione deposuit.* Etiam Ajax apud Sophoclem jam se interfecturus v. 852.

Ἀλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην·
Ἀλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί.
Ὦ Θάνατε, Θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών.

LIPS.

*Neu remanendo iram victoris asperarent*] *Remanendo* Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Hic (e Bud.) dedit *remorando*. Illud bene restituit Pichena. *Movebat* porro idem Flor. (Bud.) Guelf. idque auctoritati et precibus convenit, non *monebat*, quod (c. Agr. et) edd. ante Pichenam omnes habent. ERN.

bellos epistolasque, studio erga se aut in Vitellium contumeliis insignes, abolet: pecunias distribuit, parce, nec ut periturus. Mox Salvium Cocceianum, fratris filium, prima juventa, trepidum et mœrentem, ultro solatus est, laudando "pietatem" ejus, castigando "formidinem: an Vitellium tam inmitis animi fore, ut, pro incolumi tota domo, ne hanc quidem sibi gratiam redderet? mereri se festinato exitu clementiam victoris. Non enim ultima desperatione, sed poscente prœlium exercitu, remisisse Reipublicæ novissimum casum. Satis sibi nominis, satis posteris suis nobilitatis quæsitum: post Julios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam Imperium intulisse: proinde erecto animo capesseret vitam, neu, patruum sibi Othonem fuisse, aut oblivisceretur unquam, aut nimium meminisset."

XLIX. Post quæ, dimotis omnibus, paullum requievit: atque illum, supremas jam curas animo volutantem, repens tumultus avertit, nuntiata consternatione ac licentia militum: namque abeuntibus exitium minitabantur; atrocissima in Verginium vi, quem, clausa domo, obsidebant: increpitis seditionis auctoribus, regressus, vacavit abeuntium adloquiis, donec omnes inviolati digrederentur. Vesperascente die, sitim haustu gelidæ aquæ sedavit: tum adlatis pugionibus duobus,

*Aut in Vitellium*] *In* est in Flor. (et Agr.) edd. ante Rhen. omnibus. Restituit Ryckius, quem cum Jac. Gronov. secuti sumus. ERN. Male Rhen. sustulerat, auctore Bud. Hic error ex simili prima syllaba vocis seq. ortus.

*Salvium Cocceianum fratris filium*] Melius ita, quam *Coccium*, quod Plutarchus præfert c. 16. Nam et Tranquillus ita appellat in Domit. 10. ubi narrat hunc interfectum. At Suetonius non fratris solum filium, sed ipsum hic fratrem præsentem facere videtur: contra Taciti et Plutarchi narrationem aperte. Nam ille in castra evaserat e pugna, sequecum aliis dedidit. Suetonii tamen verba Oth. 10. *Fratrem igitur, fratrisque filium et singulos amicorum cohortatus* quæ profecto non vera, si verus Tacitus. LIPS.

*Laudando—formidinem*] Hæc delenda putat Mendoza ep. ad Lips. t. 2. Coll. Burm. p. 59. ERN.

*Servios*] Sic Bud. sic et Put. sed Alc. et alii *Sergios*, quod falsum esse ostendit Spanhem. de Usu et Pr. NN. diss. 10. c. 1. p. 29.

*Neu patruum sibi Othonem*] Plut. l. c. μήτ' ἐπιλαθέσθαι παντάπασι, μήτ' ἄγαν μνημονεύειν, ὅτι Καίσαρα θεῖον ἔσχες. Non audiemus Beatum, qui verbum *nimium*, auctore Budensi codice del., et una sententiæ acumen. Totum id enim in eo; sicut et in Plinii loco fuerat epist. 3, 14. quem depravarunt: *Largius Macedo, superbus alioqui et sævus dominus, et qui, servisse patrem suum, parum imo minimum meminisset.* Tu scribe, *nimium meminisset.* LIPS. Habent omnes scr. et edd. *nimium.* ERN. Rhen. etiam in textu reliquit.

*Post quæ*] MS. Reg. (Bud.) Guelf. ed. pr. Put. Ber. (Alc.) *Postquam*; ed. pr. *postque.* Mox Rhenanus edidit, *jam supremas curas agentem*, e Budensi MS. Vulgatum omnes reliqui scr. (etiam Flor.) et edd. ante. Restituit Pichena. Contra bene Rhenanus mox *exitium* dedit (e Bud.) pro *exitum*: quæ verba sæpe confunduntur. *Exitium* Flor. Guelf. ed. pr. ERN. De initio periodi contraria ex ed. pr. adfert Ern. Doleo, mihi non esse istam ad manus. Videant, quibus id contigerit. Forsan dare volebat *ed. Rh. post quæ*, nam sic illa.

*Vesperascente die*] Farnesiano est, *vesperante*: quod verum arbitramur. Agellius, 17, 8. *Ubi jam vesperaverat.* LIPS.

*Allatis pugionibus*] Vocem addunt aliquot libri, *pugionibus duobus*: atque ita Plutarchus 17. δυοῖν ὄντων αὐτῷ ξιφῶν. LIPS. Recte. Sic Flor. Guelf. ed. Puteol. (et Alc.) unde bene editum a Pichena,

cum utrumque pertentasset, alterum capiti subdidit: et explorato, jam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. Luce prima, in ferrum pectore incubuit: ad gemitum morientis ingressi liberti servique et Plotius Firmus, Prætorii Præfectus, unum vulnus invenere. Funus maturatum: ambitiosis id precibus petierat, "ne amputaretur caput, ludibrio futurum." Tulere corpus Prætoriæ cohortes, cum laudibus et lacrimis, vulnus manusque ejus exosculantes. Quidam militum juxta rogum interfecere se; non noxa, neque ob metum, sed æmulatione decoris et caritate Principis: ac postea promiscue Bedriaci, Placentiæ, aliisque in castris, celebratum id genus mortis. Othoni sepulcrum exstructum est modicum et mansurum.

L. Hunc vitæ finem habuit septimo et tricesimo ætatis anno. Origo illi e municipio Ferentino. Pater Consularis: avus Prætorius: maternum genus inpar, nec tamen indecorum: pueritia ac juventa, qualem monstravimus: duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantundem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. Ut conquirere fabulosa, et fictis oblectare legentium animos, procul gravitate cœpti operis crediderim: ita vulgatis traditisque

ut mox *utrumque*, pro *utrinque*, quod est etiam in ed. pr. Voluit etiam Rhenanus in textum inseri, sed operæ non paruere: neque id vitium editores posteri animadvertere. ERN. In Bud. deest *duobus*, nec Rhen. expressit, sed dedit *utrumque*.

*Pertentasset*] Edd. quædam *prætentasset*, e conjectura non absurda, sed non necessaria. ERN. Bud. *temptasset*.

*Ambitiosis precibus*] h. e. summis, accuratissimis. Ambitio est maxime in commemoratione accurata eorum, quibus movere possumus in precando, in primis meritorum ac beneficiorum, item submissione quadam petentis. Sic Cicero ep. 3, 7. *ambitiosius facere soleo, quam dignitas mea postulat*: h. e. demissius, studiosius. Aliter *ambitiosæ rogationes* dictæ Cicer. l. c. 6, 12. Hæc tironibus dicta. ERN.

*Non noxa*] Bip. legunt *non nexu*, ingeniose, hoc sensu: non quod beneficio *nexi* vel obligati fuissent Principi, quales beneficiarii milites. Sic Cic. ad Fam. 7, 30. *cujus proprium te esse scribis mancipio et nexu*. In vulgato consentiunt codices. Intellige: non quod *noxæ* sive culpæ, admissæ in Othonem, sibi essent conscii.

*Aliisque in castris*] Bud. et inde Rhen. *aliis*. Ex Flor. Pichena copulam restituit.

*Tricesimo ætatis anno*] Suetonius anno XXXVIII. interfectum dicit. Pro Tacito pugnant Savilius et Ryckius, qui apud Suetonium vult rescribi XXXVII. Rationes utriusque veræ. Sed, cum pauci admodum dies defuerint anno 37mo, facile potuit Suetonius annum pro pleno sumere, et anno 38 mortuum dicere. ERN.

*E municipio Ferentino*] In Flor. est *Ferentio*, quod ipsum quoque rectum est. Ceteri scr. (in his Bud.) et edd. (non demum Beroaldus) *Ferentino*. In MS. Guelf. plane non est a manu pr. sed sec. addidit in marg. Porro ed. pr. *a municipio*. Ceterum intelligenda origo familiæ, non natales Othonis. ERN.

*Maternum genus impar*] Quomodo? si splendidissima ea femina fuit, Suetonio testante? Scribit enim de patre Othonis: *Ex Albia Terentia splendidissima femina duos tulit filios*. Sed melior ibi scriptura, *splendida femina*; quam ex opt. libro Torrentius adnotavit: idque non aliud quam ordinem Equestrem proprie notat. LIPS. Quasi non et Equites *splendidissimi* dici possent, si qui ditiores, antiquis familiis Equestribus nati. Atticum quis dubitet *splendidissimum* vocare? ERN.

*Qualem monstravimus*] Vide 1, 13.

demere fidem non ausim. " Die, quo Bedriaci certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri loco consedisse," incolæ memorant, " nec deinde cœtu hominum, aut circumvolitantium alitum, territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret: tum ablatam ex oculis: et tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse."

LI. In funere ejus, novata luctu ac dolore militum seditio: nec erat, qui coerceret. Ad Verginium versi, modo, " ut reciperet Imperium," nunc, " ut legatione apud Cæcinam ac Valentem fungeretur," minitantes orabant. Verginius, per aversam domus partem furtim degressus, inrumpentes frustratus est. Earum, quæ Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit. Et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem, per Flavium Sabinum, iis copiis, quibus præfuerat.

LII. Posito ubique bello, magna pars Senatus extremum discrimen adiit, profecta cum Othone ab urbe, dein Mutinæ relicta: illuc adverso de prælio adlatum: sed milites, ut falsum rumorem adspernantes, quod infensum Othoni Senatum arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere

*Avem invisitata specie*] Sic bene e Flor. edidere Ryckius, et Gronovius. Ceteri libri omnes *inusitata*: solenni aberratione librariorum et editorum, de qua sæpe viri docti, dum id verbum restituunt veteribus scriptoribus, egere. Græv. ad Sueton. Aug. 43. et quos ibi laudat Burm. Drakenb. ad Livium sæpe (ut 27, 39.). Pro *specie* ed. pr. habet *facie*. Ern. Bud. *specie*. Sic et Put. Alc. Rhen.

*Apud Regium Lepidum celebri luco consedisse*] Sic Flor. Bud. Guelf. ed. pr. Rhen. seqq. At Puteol. Ber. Alc. et mango MS. Harl. *vico*; quod verum puto. *Celeber lucus* non aliter dicitur, nisi ab arboribus, ut ap. Ovidium Am. 3, 5, 3. *celeberrimus ilice lucus*: de quo ad Sueton. Nam hominibus luci neque sacri neque profani celebres sunt: nec ibi cœtus fiunt. At *vici celebres* recte dicuntur. Sueton. Aug. c. 1. *Vicus celeberrima parte oppidi*. Nec profecto *vico* est a librariis. *Loco* fecissent citius, quod Colero placebat, quam *vico*. Ut e *vis* subinde factum est *jus*, ita e *vico* factum primum *juco*, hinc *luco*. Secutus est exemplum nostrum Broterius. Mox MSS. quidam et ed. Puteol. *alituum*. Ern. Cum Bip. reposui *loco*, quod ad cod. scriptos propius accedit.

*Nec deinde cœtu hom.*] Rhen. e Bud. sic: *nec deinde cœtu hominum circumvolitantem alitem*.

*Per aversam domus portem furtim degressus*] Sic edidit J. Gron. et ex parte Ryckius. *Partem* MSS. Flor. Reg. Guelf. Harl. Agr. ed. pr. et sic alibi loquitur Tacitus, ut docuit jam Acidalius: et sic voluerat Muretus (ut 3, 70.). *Portam* edidit Puteol. (Alc. Rhen.) non minus bonum, et quod sola Florentini auctoritate superatur. Est et in MS. (Bud.) Bodl. et margine Harl. Mox *degressus* non *digressus*: recte idem Flor. sed vitiose cum Guelf. Agr. ed. pr. *adversam*, ut supra *adversari* pro *aversari* scribi vidimus a librariis H. I, 38. Ern. Bud. Put. Alc. *digressus*: sed iidem *aversam*, ut Flor. etiam infra 3, 85.

*Concedentibus ad victorem*] Freinsh. aut excidisse aliquid putat, aut interpunctionem mutandam, puncto post *impetrata* posito, et copula *et* ante *posito*. Non putem. Etiam hoc voluit ad veniam impetrandam, quod etiam eæ copiæ ad victorem transirent, quibus Sabinus præfuerat. Nam in *posito* haud dubie initium novæ narrationis de periculo Senatus. Mox *adverso de prælio* Flor. Guelf. Agr. edd. primæ, haud dubie mollius, quam *de adv. pr.* ut (e Bud.) edidit Rhen. cum seqq. usque ad Ryckium. Ern. Æque impetrata venia per Flavium Sab. suis copiis ac per Rubrium G. agentibus Brixelli. Sic bene Bip. Mox Bud. male *profecto tum*. Dein idem *postremo*.

in deterius: conviciis postremo ac probris caussam et initium cædis quærebant: cum alius insuper metus Senatoribus instaret, ne, prævalidis jam Vitellii partibus, cunctanter excepisse victoriam crederentur: ita trepidi et utrimque anxii coeunt: nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpæ tutior. Onerabat paventium curas Ordo Mutinensis, " arma et pecuniam" offerendo, adpellabatque " Patres Conscriptos," intempestivo honore.

LIII. Notabile jurgium inde fuit, quo Licinius Cæcina Marcellum Eprium, " ut ambigua disserentem," invasit. Nec ceteri sententias aperiebant: sed invisum memoria delationum, expositumque ad invidiam, Marcelli nomen inritaverat Cæcinam, ut novus adhuc, et in Senatum nuper adscitus, magnis inimicitiis claresceret. Moderatione meliorum dirempti. Et rediere omnes Bononiam, rursus consiliaturi: simul, medio temporis, plures nuntii sperabantur. Bononiæ, divisis per itinera, qui recentissimum quemque percunctarentur, interrogatus Othonis libertus " caussam digressus, habere se suprema ejus mandata" respondit: " ipsum viventem quidem relictum, sed sola posteritatis cura et abruptis vitæ blandimentis." Hinc admiratio et plura interrogandi pudor: atque omnium animi in Vitellium inclinavere.

LIV. Intererat consiliis frater ejus L. Vitellius, seque jam adulantibus offerebat, cum repente Cœnus, libertus Neronis,

*Societate culpæ tutior*] Puto, *tutiores*. LIPS. MS. Agr. *tutiore* sc. societate: idque edidit Ryckius. Sed ita friget *inter multos*. Intell. *quisque* e *nemo*. ERN. Bud. *tutior*: sic et Put. Alc. Rhen.

*Ordo Mutinensis*] Id est, Decuriones Mutinensium, sive Senatus, qui in municipiis et coloniis simpliciter *ordo* vocabatur. Mox pro *conscriptos* MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. male *consultos*, quod e compendio scribendi natum est. ERN. Bud. et inde Rhen. *conscriptos*.

*Notabile inde jurgium fuit*] Ryckius e cod. Agr. edidit, *Notabile in Vergi-nium fuit, quod*: estque sic et in MS. Reg. male: nec commodus inde sensus nascitur. Vulgatum verum. *Cæcina* autem qui sit, propterea quod plures memorantur, definire difficile est. A C. quidem Cæcina Largo Consule, et P. Cæcina Largo A. 11, 33. diversus est. ERN. Cum cod. Agr. fere facit cod. Flor. Bud. vulgatum tenet, quod servant bene editores recentiores.

*Inritaverat C.*] Lallem. cum Acidalio mallet *invitaverat*

*Rursus consiliaturi*] Non muto. Horatius eo verbo usus Ode 3, 3, 17. *Gratum eloquia consiliantibus Junone Divis*, et alii. LIPS. Ryckius e cod. suo edidit *consulturi*. Præferrem scripturam Guelf. *consultaturi*, quæ propius ad vulgatum accedit, estque et in MS. Harl. Bodl. etc. In hoc verbo alteram syllabam subinde *si* scribi in MSS. supra jam vidimus ad Ann. 3, 46. inde reliqua depravatio nasci potuit. Sed *consiliaturi* verum puto: idque verbum male negat probum esse Ryckius. V. Davies ad Cæs. B. C. 1, 19. ubi, ut et c. 73. eadem varietio librorum: sed *consiliandi* et *consiliantibus* recte retinetur. Cetérum verbum *consiliare* subinde a librariis Longobardicis illatum libris docent MSS. Livii, in quibus non uno loco nonnulli id verbum exhibent. V. Drakenb. ad Epit. 125. ERN. *Consiliaturi* firmatur cod. Flor. Bud. Reg. Lall. Sed Rhen. volebat *consilituri*, ut A. 3, 46. 6, 36. in textu autem posuit *consultaturi*, ex ingenio, ut videtur. Pro vulgato facit et Hor. art. Poet. 196.

*Sola posteritatis cura*] Non, quomodo vitam Imperiumque conservaret, sed quomodo posteris laudaretur, curantem, h. e. mori fortiter meditantem. ERN.

*Se. j. adul. offerebat*] i. e. parabat, ostendebat, se paratum, audire et accipere adulationes. ERN.

*Cœnus lib. Ner*] Sic Flor. aliique

atroci mendacio universos perculit, adfirmans, " superventu XIV legionis, junctis a Brixello viribus, cæsos victores, versam partium fortunam." Caussa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quæ negligebantur, lætiore nuntio revalescerent. Et Cœnus quidem rapide in urbem vectus, paucos post dies jussu Vitellii pœnas luit. Senatorum periculum auctum, credentibus Othonianis militibus vera esse, quæ adferebantur. Intendebat formidinem, quod publici consilii facie discessum Mutina, desertæque partes forent. Nec ultra in commune congressi, sibi quisque consuluere: donec missæ a Fabio Valente epistolæ demerent metum. Et mors Othonis, quo laudabilior, eo velocius audita.

LV. At Romæ nihil trepidationis: Cereales ludi ex more spectabantur. " Ut cessisse vita Othonem, et a Flavio Sabino, Præfecto urbis, quod erat in urbe militum sacramento Vitellii adactum," certi auctores in theatrum adtulerunt, Vitellio plausere: populus cum lauru ac floribus Galbæ imagines circum templa tulit, congestis in modum tumuli coronis, juxta lacum Curtii, quem locum Galba moriens sanguine infecerat. In Senatu cuncta, longis aliorum Principatibus composita, statim decernuntur. Additæ " erga Germanicos exercitus

MSS. *Cænus* Guelf. *Concinus* ed. pr. Ceteræ *Cenus* usque ad Pichenam (sic et Bud.). Mox pro *perculit* legendum *percutit* vel *percussit*. Mendacium non percellit, sed percutit; ut hodie sciunt omnes. Sed sæpe verba hæc permutata sunt. V. infra 3, 34. Ern. Bud. *pertulit*: male.

*Cæsos victores*] Desunt hæc in Bud.

*Diplomata Othonis*] Ad cursum publicum ea spectant et a Principe dabantur. Si ergo ille mortuus, quis pareret? Sed de diplomatis plene alibi: nunc Suetonii locum παρέργως emendemus Calig. 38. *Prolata Divorum Julii et Augusti diplomata, ut vetera et obsoleta deflebat.* Cur deflebat? aut qui id convenit? vidi qui *delebat*, vellet. Ego, *deflabat*, vel *difflabat*, verum contendo: non enim alio gestu melius expresseris superbum habitum illum contemnentis et respuentis. Eaque difflatio etiam in nostris hodie moribus, ubi elevamus quid aut aspernamur. Lips. De diplomatum usu v. Plin. ep. 10, 14, 54, 121.

*Rapide in urbem vectus*] MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *rapidum urbem*: unde Rhenanus conjiciebat, *rapide in urbem vectus*. Id cum MSS. Guelf. Bodl. et alii ap. Broterium, clare exhibeant, recepi: non, quod id Taciti esse pro certo audeam dicere: sed quod malim edere, quod in libris scr. esset, quam meram Putcolani conjecturam *rapidus*, quæ vulgo (et a Rhen.) editur. Nec displicet J. Gron. correctio, *raptim in urbem vectus* (ut H. 3, 18.) aut Ryckii *rapidus* ex H. 4, 71. *rapide* pro festinanter. raptim: et *rapidus cursus* dicitur. Ern.

*Jussu Vitellii*] Hæc verba delebat Muretus, forsan ob suspicionem glossematis.

*Publ. consilii facie*] h. e. ita, ut non terrore subito, aut, dum sibi quisque privatim consulit, sed publico consilio decretus discessus videretur. Ern.

*Cereales ludi*] Mors Othonis incidit in XII Kal. Maias, computatione satis certa, imperavitque XCV dies. Atqui supra notavi (15, 53. in conjuratione Pisoniana) *Cereis ludos* pridie Idus Apriles datos in circo. Quod verum est, sed in plures nempe dies, et ad hoc fere tempus productos, ex hoc loco constet. Adde, quæ supra scripsi. Lips.

*Sacramento Vitellii*] MSS. et edd. ante Rhen. *in sacr.* Latinitate postulante Rhenanus delevit *in*. Recte. Natum est e finali præcedentis verbi, ut alibi apud nostrum et alios. J. Gronovius mirificus est, ut divinitatem MS. Flor. tueatur, qui, ut ait, nil molitur inepte. Ern. Rhen. emendavit ex ingenio, ut infra legitur c. 79. Bud. *in sacramento*. Agr. *in sacramenta*, quod verum putat Ryckius. J. Gron. dabat *iri sacr. V. adactum*.

*Quem locum*] Cf. H. 1, 41.

laudes gratesque," et missa legatio, quæ gaudio fungeretur. Recitatæ Fabii Valentis epistolæ, ad Consules scriptæ haud inmoderate: gratior Cæcinæ modestia fuit, quod non scripsisset.

LVI. Ceterum Italia gravius atque atrocius, quam bello, adflictabatur: dispersi per municipia et colonias Vitelliani, spoliare, rapere, vi et stupris polluere: in omne fas nefasque avidi aut venales, non sacro, non profano abstinebant. Et fuere, qui inimicos suos, specie militum, interficerent. Ipsique milites, regionum gnari, refertos agros, dites dominos, in prædam, aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant: obnoxiis Ducibus et prohibere non ausis: minus avaritiæ in Cæcina, plus ambitionis: Valens, ob lucra et quæstus infamis, eoque alienæ etiam culpæ dissimulator. Jam pridem adtritis Italiæ rebus, tantum peditum equitumque, vis damnaque et injuriæ, ægre tolerabantur.

LVII. Interim Vitellius, victoriæ suæ nescius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura ripæ Hordeonio Flacco permissa: ipse e Britannico delectu octo millia sibi adjunxit: et, paucorum dierum iter progressus, " prosperas apud Bedriacum res, ac morte Othonis

*Quæ gaudio fung.*] **Heins. conjicit, quæ laude defungeretur.**

*Haud immoderate*] Sic edidi e MS. Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. Prima (et 2da) Rhen. editio exhibet *immoderatæ*: utrum e correctione Rhen. an vitio operarum, non satis scio: hoc tamen credo, quia nil in notis admonuit. Et tamen id omnes sequentes edd. servarunt. ERN. Bud. *inmoderate*, sed frequens ibi *e* simplex pro *e* caudato sive diphthongo ponitur. Rhen. ergo ex ingenio mutavit. Alc. *immoderatæ*. Adverbium ex ed. Veneta laudat Freinsh.

*Gratior Cæcinæ modestia*] Quid ita? quia invaluerat jam illo ævo, ut publice nemo, id est, ad Consules aut Senatum scriberet, præter Principem: alii autem omnes, ad istum. Itaque superbe se gessisse Valens visus, qui id fecit: modeste Cæcina, qui omisit. Tale illud H. 4, 4. de Muciano: *Miserat et epistolas ad Senatum, quæ materiem sermonibus præbuere. Si enim privatus esset, cur publice loqueretur?* LIPS.

*In omne fas nefasque*] In quodnam fas avidi? aut quod genus dicendi, in fas avidi? Debebat esse *in omne nefas avidi*. Et omnia, quæ sequuntur, sunt nefaria. Sed videtur *fas nefasque* velut e formula dictum esse in tali sententia, nec verbum *fas* ad vivum resecandum. ERN.

*Plus ambitionis*] i. e. avaritiæ et rapinarum quidem nulla conscientia erat, quæ debilitaret prohibere conantem, sed cupiebat tamen apud milites gratiosus esse, eorumque gratiam captabat. ERN.

*Tantum peditum equitumque, vis*] Si attendis, haud difficulter mecum fatebere, illud *tantum* a glossographo esse, legesque: *peditum equitumque vis, damnaque*, etc. *Vis* pro multitudine et copia, tritum. LIPS. Licet intelligere, *eorum vim*, i. e. sævitiam, aviditatem. Acidalius *tanta p. e. vis*, malebat Lipsiano: cui favet MS. Guelf. *tamen peditum equitumque vis*, sed in vulgato acquiescebat. Bene. ERN. Sic et Pich.

*Reliquas G. ex. vires*] Bud. *reliquias G. exercitus trahebat.*

*Remanentium legionum nomina*] Acidalius suspicatur *numeri* legendum. ERN.

*Cura belli Hordeonio*] Verissime e Flor. corrigunt *cura ripæ*. Nempe Rheni, et ne Germani transirent. LIPS. Sic primus edidit Pichena. Ceteri scr. et edd. *belli*. ERN. Bud. *Phordeonio*: num *P. Hordeonio*? Sed illud *p* indicat aliam lectionem: nam et in Flor. est *curari pe Hord.* unde Pichenæ emendatio scita.

concidisse bellum," accepit. Vocata concione, virtutem militum laudibus cumulat. Postulante exercitu, " ut libertum suum, Asiaticum, Equestri dignitate donaret," inhonestam adulationem compescuit. Dein, mobilitate ingenii, quod palam abnuerat, inter secreta convivii largitur: honoravitque Asiaticum annulis, fœdum mancipium et malis artibus ambitiosum.

LVIII. Iisdem diebus, " accessisse partibus utramque Mauretaniam, interfecto Procuratore Albino," nuntii venere. Luceius Albinus, a Nerone Mauretaniæ Cæsariensi præpositus, addita per Galbam Tingitanæ provinciæ administratione, haud spernendis viribus agebat. XVIIII cohortes, quinque alæ, ingens Maurorum numerus aderat, per latrocinia et raptus apta bello manus. Cæso Galba, in Othonem pronus, nec Africa contentus, Hispaniæ, angusto freto diremptæ, inminebat. Inde Cluvio Rufo metus: " et decimam legionem propinquare litori," ut transmissurus, jussit: præmissi Centuriones, qui Maurorum animos Vitellio conciliarent: neque arduum fuit, magna per provincias Germanici exercitus fama. Spargebatur insuper, " spreto Procuratoris vocabulo, Albinum insigne Regis, et Jubæ nomen usurpare."

LIX. Ita mutatis animis, Asinius Pollio, alæ Præfectus, e fidissimis Albino, et Festus ac Scipio, cohortium Præfecti, opprimuntur. Ipse Albinus, dum e Tingitana provincia Cæsariensem Mauretaniam petit, adpulsus litori, trucidatur: uxor ejus, cum se percussoribus obtulisset, simul interfecta est: nihil eorum, quæ fierent, Vitellio anquirente: brevi auditu quamvis magna transibat, inpar curis gravioribus. " Ex-

*Inhonestam adulationem compescit*] Rhenanus (e Bud.) reposuit *compescuit*. Male. Istud MSS. Flor. Guelf. (Reg. Lall.) Agr. edd. ante Rhen. omnes. Et sequitur *largitur*. Quamquam et alibi præsens, perfectum, imperfectum apud nostrum eodem loco se excipiunt; tamen ista varietas non inferenda sine consensu bonorum et veterum librorum. ERN. Sed et hic mox occurrit *honoravitque*. Pro *adulationem* Agr. *petitionem*. Ceterum exemplum simile in Icelo habes H. 1, 13. Cf. Cannegieter de mut. nom. Rom. rat. sub Princip. c. 13. Mox Bud. *Isdem*, ut solet. Dein idem male *abscessisse*.

*XVIIII cohortes, quinque alæ*] In Flor. (Bud. Agr.) ed. pr. legitur, *decemnovem cohortes*: unde Ryckius edidit *XIX*. J. Gronovius *novendecim* inversis syllabis. MS. Guelf. *XIIII*. excidit *V*. Puteol. *XVIIII*. At in ed. Beroaldi aberratum, et editum *XVIII*, quod ad omnes propagatum. Librarius Florentini, dum vult numerum verbis exprimere, ab elegantiori ratione aberravit. ERN.

*In Othonem pronus*] Sic bene Rhenanus edidit. MSS. et edd. ante *in Othone*. ERN. Sic et Bud.

*Albinum ins. R. etc.*] Agr. *Albinus*. Mox Bud. *et fidissimus*.

*Appulsus littori trucidatur*] Sic MSS. Flor. Guelf. edd. Puteol. Ber. At edd. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. *trucidatus*. Illud restituit Lipsius. ERN. Flor. et Agr. *appulsu litoris*.

*Nihil Vitellio anquirente*] Merito id verbum reposui, cum in MSS. reperissem, *acquirente*. *Anquiro* enim pro inquiro, sive potius valde quæro, veteri et proba nota signatum verbum est, Ciceroni, Varroni, aliisque crebro usurpatum, crebro corruptum. LIPS. *Anquirente* plane MS. Flor. At ed. pr. *acquirente*. Ante erat *inquirente*, ut est in MS. Guelf. (Bud.) et aliis ap. Broterium. ERN. Sic et Put. Alc. Rh.

*Quamvis magna transibat*] Flor. *breve auditu vi quamvis magna transibant*. Sic et ed. pr. *Transibant* etiam MS. Guelf. Vulgatum verum est. Acidalius conjiciebat *transmittebat*. Si quid tentandum foret, mallem *transigebat*,

ercitum itinere terrestri pergere" jubet: ipse Arare flumine devehitur, nullo Principali paratu, sed vetere egestate conspicuus: donec Junius Blæsus, Lugdunensis Galliæ rector, genere inlustri, largus animo et par opibus, circumdaret Principi ministeria, comitaretur liberaliter; eo ipso ingratus, quamvis odium Vitellius vernilibus blanditiis velaret. Præsto fuere Lugduni victricium victarumque partium Duces. Valentem et Cæcinam, pro concione laudatos, curuli suæ circumposuit. Mox " universum exercitum occurrere infanti filio" jubet: perlatumque et paludamento opertum sinu retinens, *Germanicum* adpellavit, cinxitque cunctis fortunæ Principalis insignibus: nimius honos inter secunda, rebus adversis in solatium cessit.

LX. Tum interfecti Centuriones promptissimi Othonianorum: unde præcipua in Vitellium alienatio per Illyricos exercitus. Simul ceteræ legiones contactu, et adversus Germanicos milites invidia, bellum meditabantur. Suetonium Paullinum ac Licinium Proculum, tristi mora squalidos tenuit, donec auditi, necessariis magis defensionibus quam honestis uterentur. Proditionem ultro inputabant: " spatium longi ante prœlium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi suæ" adsignantes, et Vitellius credidit de perfidia, et fidem absolvit. Salvius Titianus, Othonis frater, nullum discrimen adiit, pietate et ignavia excusatus. Mario Celso Consulatus servatur: sed creditum fama, objectumque mox in Senatu Cæcilio Simplici,

quod eleganter dicitur in hac sententia. Sed *transire* quoque bonum est, et pro *transigere* dicitur. V. Cort. ad Sallust. Cat. c. 1. init. Mox *paratu*, quod Rhen. (e Bud.) pro *apparatu* edidit, est etiam in ed. pr. ERN. Bud. cum Flor. conspirat, sed pro *vi* habet *in*. Sic et Agr. nisi quod hic *transibat*. Bip. ex *auditu* et particula ista superflua fecere *auditione* et recepere *transibant*. Tum *impar curis* ad sequentem periodum rejiciunt. Mihi vulg. placet.

*Circumdaret Principi ministeria*] Ego, priusquam scirem, ab interpolatione Rhenani sic legi, corrigebam *Principis*. Sic enim omnino legendum. *Circumdaret* puta Vitellio *ministeria Principis*, qualia scilicet Princeps Romanus habere circa consuevit. Sic H. 1, 58. *ministeria Principatus per libertos agi solita*. GRON. Restitui *Principis*, quod etiam Guelf. habet. *Principi* est in Flor. (Bud.) edd. pr. Rhen. seqq. omnibus præter Ryckianam. ERN. Equidem cum Bip. restituo *Principi*. Gronovium sequuntur Brot. et Lall.

*Humilibus blanditiis*] In Flor. *vernilibus*: quod germanissimum. LIPS. Recepit Pichena bene. MSS. Bud. Guelf. *juvenilibus*: quod e *vernilibus* natum esse facile patet; unde et *vernilibus* fieri volebat Rhen. (ut 3, 32.) Edd. pr. et cett. omnes *humillibus*, usque ad Pichenam. ERN. Bud. a l. m. *juvenibus*, unde 2. m. *juvenilibus*. Rhen. servavit in textu *humilibus*.

*Perlatumque*] Copulam hanc e Flor. addidit Pichena.

*Tum interfecti Centuriones promptissimi*] Editio pr.: *Tum interfectis Centurionibus*, etc. Unde Gruterus conjicit fuisse *interfecti ex Centurionibus*. Frustra. Non patitur vox *Othonianorum*, i. e. ex Othonianis. ERN. In vulg. consentiunt Bud. et editi.

*Credidit de perfidia et fidem absolvit*] i. e. Perfidos fuisse in illo discrimine credidit fingentibus, eaque de caussa fidei in Othonem pristinæ veniam dedit: *Fidem absolvit* sc. criminis. Nam tali tempore fides in hostem crimen est. ERN.

*Sed creditum fama*] Rectumne? an scribendum, *deditum fama*? LIPS. Non intelligo *deditum fama*. An voluit scribere *diditum fama*? *Famæ* conjicit Freinsh. ERN.

" quod eum honorem pecunia mercari, nec sine exitio Celsi, voluisset:" restitit Vitellius; deditque postea Consulatum Simplici innoxium et inemptum. Trachalum adversus criminantes Galeria, uxor Vitellii, protexit.

LXI. Inter magnorum virorum discrimina (pudendum dictu) Mariccus quidam, e plebe Boiorum, inserere sese Fortunæ et provocare arma Romana, simulatione Numinum ausus est. Jamque " adsertor Galliarum et Deus " (nomen id sibi indiderat) concitis octo millibus hominum, proximos Æduorum pagos trahebat; cum gravissima civitas, electa juventute, adjectis a Vitellio cohortibus, fanaticam multitudinem disjecit. Captus in eo prœlio Mariccus ac mox feris objectus, quia non laniabatur, stolidum vulgus inviolabilem credebat, donec, spectante Vitellio, interfectus est.

LXII. Nec ultra in defectores, aut bona cujusquam, sævitum: rata fuere eorum, qui acie Othoniana ceciderant, testamenta, aut lex intestatis: prorsus, si luxuriæ temperaret, avaritiam non timeres. Epularum fœda et inexplebilis libido: ex urbe atque Italia inritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus: exhausti conviviorum adparatibus principes civitatum: vastabantur ipsæ civitates: degenerabat a labore ac virtute miles, adsuetudine voluptatum et contemptu Ducis. Præmisit in urbem edictum, quo vocabulum *Augusti* differret, *Cæsaris* non reciperet, cum de

*Galeria*] Galerio Trachalo, de quo H. 1, 90. ut videtur, propinqua.

*Mariccus quidam*] Sic scribitur nomen in MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Is edidit *Maricus*. Ern. E Bud. scil. Sed idem cod. mox habet *Maricens*, aperte pro *Mariccus*. Apud Grut. quoque p. 879, 10. legitur MARICCÆ. Pro *Boiorum* Agr. habet *Heduorum*, e seq. huc inlatum.

*Nomen id sibi indiderat*] MSS. edd. pr. Put. *nam id sibi ind.* Primus Beroaldus ex ingenio, ut apparet, edidit *nomen*: quod omnes deinceps secuti sunt. Mallem Beroaldus correxisset *nam id sibi indiderat nomen* aut *nominis*: teneremus jam sine dubio. Credo id verbum excidisse. Ern.

*Gravissima civitas*] i. e. potens, valida: quo sensu etiam Livius dixit 34, 49. ubi v. Duker. et ad Flor. 1, 3. Aliter paullo *graves civitates* dixit Cicero Verr. 2, 5. et alibi, pro iis, quæ propter nobilitatem sunt fide dignæ, quarum testimonium audiendum: aliter denique *gravem civitatem* Ovid. Am. 1, 9, 19. pro hostili. Hujus loci sensus est e Græco, ubi βαρεῖς divites, nobiles, potentes. Sic βάρος τῆς πόλεως Diodor. Sic. 4, 61. ubi v. Wesselingius ὁ πάνυ, laudans etiam, βαρεῖα πόλις, hoc sensu e Plutarch. t. 2. in Erotico. pag. 749. Sæpe sic apud Josephum hanc vocem observavi. Ern. *Gravitatem* de prudentia accipiunt Bip. qua sibi a fraude cavebant Ædui.

*Feris objectus*] Ea pœna seditiosorum: l. 38. D. de pœnis tit. 19. Quo modo licuerit adversus feras se munire e persuasione vulgi, docet Vertranius ad h. l. Cf. et de Pauw Rech. sur les Americains t. I. p. 234.

*Si luxuriæ temperaret*] *Luxuriæ* MS. Flor. ed. pr. (Put. Alc.) quod bene recepit Pichena. Ceteri (Bud. Rhen.) *luxuriam*. Mox pro *inexplebilis* MSS. Guelf. Harl. *inexpiabilis*. Sic Cicer. Prov. Cons. c. 1. *expiare suas cupiditates*: ubi tamen Grævius præfert *explere*. Atque etiam Phil. 14, 4. *expiare egestates* quidam habent pro *explere*; quod rectius. Itaque nec hic mutem aliquid. Ern. Ed. Put. Alc. *temperares...timeres*. Emendavit Rhen. e Bud.

*Inritamenta gulæ*] Similia v. 15, 37.

*Ipsæ civitates*] *Ipsæ* deest in Bud. et Put.

potestate nihil detraheret. Pulsi Italia mathematici. Cautum severe, " ne Equites Rom. ludo et arena polluerentur." Priores id Principes pecunia et sæpius vi perpulerant: ac pleraque municipia et coloniæ æmulabantur, conruptissimum quemque adolescentium pretio inlicere.

LXIII. Sed Vitellius, adventu fratris, et inrepentibus dominationis magistris, superbior et atrocior, occidi Dolabellam jussit, quem in coloniam Aquinatem sepositum ab Othone, retulimus. Dolabella, audita morte Othonis, urbem introierat: id ei Plancius Varus, Prætura functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flavium Sabinum, Præfectum urbis, objecit, " tamquam rupta custodia, Ducem se victis partibus ostentasset:" addidit, " tentatam cohortem, quæ Ostiæ ageret:" nec ullis tantorum criminum probationibus, in pœnitentiam versus seram, veniam post scelus quærebat. Cunctantem super tanta re Flavium Sabinum, Triaria, L. Vitellii uxor, ultra feminam ferox, terruit, ne " periculo Principis famam clementiæ adfectaret." Sabinus, suopte ingenio mitis, ubi formido incessisset, facilis mutatu, et in alieno discrimine sibi pavens, ne adlevasse videretur, inpulit ruentem.

LXIV. Igitur Vitellius, metu et odio, quod Petroniam, uxorem ejus, mox Dolabella in matrimonium accepisset, vocatum per epistolas, " vitata Flaminiæ viæ celebritate, devertere Interamnium atque ibi interfici" jussit. Longum

*Ludo et arena*] Facile intelligitur, ludum gladiatorium intelligi et amphitheatrum. Tamen in MS. Guelf. man. sec. inepte e *ludo* fecit *lato*, quod est in ed. pr. ERN.

*Retulimus*] H. 1, 88.

*Plancius Varus*] Sic scribendum esse monuerat Spanhemius de V. et Pr. Num. t. 2. p. 593. e nummis Græcis. Atque ita esse in Flor. testatur J. Gronovius, iniquus et hic Spanhemio, addens ceterum alium nummum e Sponio (Voy. t. 3. p. 199). Consentit ed. pr. in qua est *Plantius*. MS. Guelf. *Plancius*. Edd. Put. Ber. Alc. *Platius*. Rhen. (e Bud.) *Plautius*. *Plancius* recepit Gron. ERN.

*Seram veniam*] Sic Flor. edd. pr. et ceteræ ante Rhen. qui *secundam* e Bud. edidit, quod et Guelf. et alii habent. Vellem explicasset, quid esset *secunda venia post scelus*. Acidalius conjiciebat, *veniam secundam scelus quærebat*. Sed locum tamen vitiosum puto: nec intelligo. An quæri venia ante scelus potest? et an sero petit, qui post facinus petit? ERN. Præclaram Bip. medelam ambabus amplector, restituta interpunctione post *probationibus*, et voce *seram* præcedenti reddita.

*Terruit—affectaret*] *Affectaret* MSS. Flor. Bud. Agr. (Reg. Lall.) edd. pr. Puteol. At Beroaldus *affectare*, quod omnes secuti sunt. Ego edidi ex ed. pr. *ne—affectaret*, quæ est vera lectio, quam et secutus est Broterius. Nam *affectaret* verum esse, consensus bonorum librorum docet. Id stare sine *ne* non potest. Nec *ut* intelligi potest, ut vult Rhenanus, per Latinitatem. *Ne* omitti et intelligi, nullis exemplis doceri potest. Horat. Carm. 1, 2. *terruit gentes, grave ne rediret seculum Pyrrhæ*. ERN. Gronovius servat vulg. *e p. P. f. cl. affectare*. Bud. *e—affectaret*, ubi *e* profecto per errorem pro *ne*. Palmerius in spicil. p. 849. putat *terruit affectare* dici ut c. 10. *incubuerat pervertere*. Sed cf. H. 3, 42.

*Inpulit ruentem*] Sic Cic. pro Cluentio 26. *præcipitantem impellamus*.

*Devertere Interamnium*] Sic scribendum, non *divertere Interamnam*, ut et vulgo, vel Latinitas docet. Sed sic Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. Recepit Ryckius *devertere: Interamnium* etiam J. Gron. Hoc et Guelf. At ed. pr. *intra Annium* corrupte. Nempe utroque modo urbs appellata. Itaque MSS. audiendi. Intelligitur Interamna in Umbria, ad

interfectori visum: in itinere ac taberna projectum humi jugulavit: magna cum invidia novi Principatus, cujus hoc primum specimen noscebatur. Et Triariæ licentiam modestum e proximo exemplum onerabat, Galeria Imperatoris uxor, non inmixta tristibus: et pari probitate mater Vitelliorum, Sextilia, antiqui moris. Dixisse quin etiam, ad primas filii sui epistolas, ferebatur, "non Germanicum a se, sed Vitellium genitum." Nec ullis postea fortunæ inlecebris, aut ambitu civitatis, in gaudium evicta, domus suæ tantum adversa sensit.

LXV. Digressum a Lugduno Vitellium M. Cluvius Rufus adsequitur, omissa Hispania; lætitiam et gratulationem vultu ferens, animo anxius et petitum se criminationibus gnarus. Hilarius, Cæsaris libertus, detulerat, "tamquam, audito Vitellii et Othonis Principatu, propriam ipse optentiam et possessionem Hispaniarum tentasset: eoque diplomatibus nullum Principem præscripsisset." Interpretabatur quædam ex orationibus ejus, contumeliosa in Vitellium, et pro se ipso popularia. Auctoritas Cluvii prævaluit, ut puniri ultro libertum suum Vitellius juberet. Cluvius comitatui Principis adjectus, non adempta Hispania, quam rexit absens, exemplo L. Ar-

viam Flaminiam. ERN. Bud. *devertere iter arriminum.*

*Longum interfectori*] Hic ordo verborum in meis libris: et sententia liquet. Alii trajiciunt, quid nisi libidine quadam omnia mutandi? LIPS. Nempe Rhen. (e Bud.) *In itinere visum* etc. ERN.

*Non inmitis tristibus*] Forte, *non inmixta tristibus*: i. e. non particeps ullius crudelis aut acerbi consilii. GRON. Probat Heins. Ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 135. Ducta est correctio e MS. Flor. in quo *non immix tristibus*, ut in ed. pr. *non inmixtricibus*: unde nil aliud commode extricari potest. Consentitque consuetudini Taciti, qui etiam *permixtus consiliis*, pro particeps, et similia dixit. Itaque sic in textu scripsi, pro *immitis*, quod e conjectura Pichenæ in textum venit. MS. Guelf. edd. a Puteol. usque ad Pich. *minax*: pro quo Rhen. (e Bud.) malebat *minis*. Triariæ licentia fuit, quod se immiscuit caussæ Dolabellæ, et Sabinum impulit terroribus ad perdendum hominem. Modestia ergo Galeriæ, quod tam tristium rerum particeps non fuit, sed potius protexit eos, qui in periculo essent, ut supra Trachalum. ERN. Agr. *non immanis.* J. Gron. dabat *non juncta.*

*Ambitu civitatis in gaudium evicta*] *Ambitum civitatis* vocat effusum gratulandæ felicitatis, adulandique studium. *Evinci* autem *in gaudium* est, vel invitum redigi et cogi ad lætandum: eoque verbo in primis delectatur Tacitus. Sic A. 11, 37. *evinci ad miserationem.* 15, 64. *blandimentis vitæ evicta* sc. ad vivendum. Atque *evicta* est in Flor. teste Gronovio, non *evecta*, ut Ryckius prodidit, et in Guelf. a man. pr. Sic edidit primus Rhen. (e Bud.) idemque exhibent omnes post editi, præter Pich. Ryck. Edd. ante Rhen. omnes *evecta*, et MSS. nonnulli apud Pichenam. *Evehi gaudio*, sive potius *efferri gaudio* dici posse scio, non *evehi in gaudium.* ERN. Cf. et A. 4, 57.

*Interpretabatur quædam*] Vereor, ne hic *et* absorptum sit a præcedente verbo, sive *que* a sequente. *Orationibus* bene Rhen. (ex ingenio) pro *exhortationibus*, quod est in edd. ante omnibus, MS. Guelf. (Bud.) etc. *Popularia pro se* sunt, quibus se venditaret populo, quæ grata et ad commendandum apta apud populum. ERN.

*Cluvius comitatu etc.*] Sic MSS. et edd. ante Rhen. qui correxit *comitatui*; cum etiam *luxu* pro *luxui* sit in Annal. et alia. Sed videtur MS. Bud. sic habuisse, (omnino sic habet) quod et de Flor. testatur J. Gron. Mei omnes *comitatu.* Vetus restituit Lipsius. At bene mox Pichena *eum* pro *quem*, e vestigiis Flor.

runtii: eum Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine retinebat. Non idem Trebellio Maximo honos: profugerat Britannia, ob iracundiam militum: missus est in locum ejus Vettius Bolanus e præsentibus.

LXVI. Angebat Vitellium victarum legionum haudquaquam fractus animus: sparsæ per Italiam et victoribus permixtæ, hostilia loquebantur: præcipua quartadecimanorum ferocia, qui " se victos" abnuebant: " quippe Bedriacensi acie, vexillariis tantum pulsis, vires legionis non adfuisse." Remitti eos in Britanniam, unde a Nerone exciti erant, placuit; atque interim Batavorum cohortes una tendere, ob veterem adversus quartadecimanos discordiam. Nec diu, in tantis armatorum odiis, quies fuit. Augustæ Taurinorum, dum opificem quendam Batavus ut fraudatorem insectatur, legionarius ut hospitem tuetur, sui cuique commilitones adgregati, a conviciis ad cædem transiere: et prœlium atrox exarsisset, ni duæ Prætoriæ cohortes, caussam quartadecimanorum secutæ, his fiduciam et metum Batavis fecissent: " quos" Vitellius " agmini suo jungi," ut fidos; " legionem, Graiis Alpibus traductam, eo flexu itineris ire" jubet, " quo Viennam vitarent:" namque et Viennenses timebantur. Nocte, qua proficiscebatur legio, relictis passim ignibus, pars Taurinæ Coloniæ ambusta: quod damnum, ut pleraque belli mala, majoribus aliarum urbium cladibus obliteratum. Quartadecimani postquam Alpibus degressi sunt, seditiosissimus quisque signa Viennam ferebant: consensu meliorum compressi et legio in Britanniam transvecta.

LXVII. Proximus Vitellio e Prætoriis cohortibus metus erat: separati primum, deinde, addito honestæ missionis lenimento, arma ad Tribunos suos deferebant; donec motum a Vespasiano bellum crebresceret: tum, resumpta militia, robur

ed. pr. *Aruntium:* ut facile quivis sentiet. Ern. Flor. in voce *comitatui* sequor. Dein Bud. *Arutium p. Cæsar.*

*Vectius Bolanus. E præsentibus*] Distingui malim, *Bolanus e præsentibus. Angebat*, etc. ut significet, Bolanum e comitatu Principis in Britanniam missum. Lips. Sic plane distinguitur in Flor. et ed. pr. *Præsentes* opponuntur iis, qui sunt in provinciis. *Vettius* porro vera scriptura nominis, non *Vectius*. Vid. ad A. 15, 3. Ern. Bud. *Betius*. Alc. Rhen. *Vectius*. Put. *Bectius*. De eo v. Agr. 8 et 16.

*Vexillariis*] Ex hoc loco Salmas. de mil. R. c. 19. probare nititur, vexillarios sub Impp. fuisse levis armaturæ milites. Refutatur a Schelio ad Hygin. p. 35.

*Atrox arsisset*] Non displicet quod e MS. Agr. Ryckius profert *exarsisset*. Ern. Recipio cum Bip.

*Cladibus obliteratum*] *Est* additur edd. ante Rhen. abest ab MS. (Bud. et) Guelf. Mox *degressi* verum, e Flor. editum a Pichena, pro *descenderunt:* de quo diximus ad A. 4, 49. et alibi. Ern. Bud. *digressi.*

*Separati primum*] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. Rhen. sqq. omnes. At edd. antiquiores *separatæ*, ut genere conveniret cohortibus. *Separati* int. milites Prætoriani. Mox *deferebant:* quod e Flor. edidit Pichena. Sic etiam Guelf. ed. pr. Ceteræ (et Bud.) *forebant.* Illud sane proprium in hac re verbum. Ern.

Flavianarum partium fuere. Prima classicorum legio in Hispaniam missa, ut pace et otio mitesceret: undecima ac septima suis hibernis redditæ: tertiadecimani struere amphitheatra jussi: nam Cæcina Cremonæ, Valens Bononiæ, spectaculum gladiatorum edere parabant: numquam ita ad curas intento Vitellio, ut voluptatum oblivisceretur.

LXVIII. Et quidem partes modeste distraxerat: apud victores orta seditio, ludicro initio, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Discubuerat Vitellius Ticini, adhibito ad epulas Verginio. Legati Tribunique, ex moribus Imperatorum, severitatem æmulantur, vel tempestivis conviviis gaudent: perinde miles intentus, aut licenter agit. Apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quam disciplinæ et castris, propiora. Igitur duobus militibus, altero legionis quintæ, altero e Gallis auxiliaribus, per lasciviam, ad certamen luctandi accensis, postquam legionarius prociderat, insultante Gallo, et iis, qui ad spe-

*Tertiadecimani—jussi*] Sic Flor. idemque Rhenanus ex ingenio ediderat. Ceteri scr. et edd. ante Rhen. *tertiam decimam—jussit:* quod variandæ constructionis studioso Tacito aptius videatur. Mox *voluptatum*, quod e Flor. edidit Pichena pro *voluptates:* sic etiam (Bud.) Guelf. ed. pr. Ern. Bud. *tertia decima—jussit*, ubi forsan lineola accusativi index omissa, ut passim.

*Apud victores orta seditio*] Vix tandem emersi me ex hac salebra, et vidi errorem. Transpositi enim per negligentiam versus sunt, iique in hunc ordinem cogendi: *Et quidem partes modeste distraxerat, nisi numerus cæsorum invidiam bello auxisset. Apud victores orta seditio, ludicro initio. Discubuerat Vitellius*, etc. si tamen locus integer est, de quo ambigo. Scripsi *distraxerat*, non *distinxerat*, ex Vatic. et videtur ad sententiam aptius, quia intelligit Vitellium satis clementer et modeste legiones adversæ partis disparasse, et per varias provincias distraxisse, ne coirent. Lips. De verbo *distraxerat* consentiunt MSS. Flor. Guelf. De transpositione nec libri, nec viri docti, nec res. Sensus est: ludicra res fuisset, initio suo, quod a re ludicra natum: sed numerus per eam occasionem cæsorum tantus fuit (duæ cohortes fuere,) ut invidia augeretur, quam jam satis gravem bellum contraxerat. *Ludicro* (Bud.) edd. pr. Rhen. seqq. At Puteol. Ber. (Alc.) *ludicrorum*. Porro *auxisset* est in MSS. Flor. Bud. (Reg. Lall.) ed. pr. Rhenanus addidit *nisi:* recte. Compendium fuit in libris *n'* aut *ñ. n'*. id absorpsit prima litera in *numerus*. Dehinc *auxit* factum ex *auxisset*. Ryckius *numerus auxit* restituit. Ceterum locus est scaber, et fortasse nondum persanatus. Ern. Bud. *distinxerat*. Dein idem male *nu's nus*, unde bene Rhen. *nisi numerus*. Bip. legunt *at apud v. o. sed.* ut sit, quod respondeat *τῷ quidem*.

*Tempestivis conv.*] V. Lipsii exc. ad A. 14, 2.

*Aut licentior*] Antea, *licentiosus*, legebatur: quod sane eligam præ isto (*licentior*) quod supposuit Rhenanus. Lips. Imo *licenter* debebat edere Rhen. quod erat in ejus MS. ut est in Flor. Guelf. ed. pr. edidit que Pichena. Ern. *Agit* e Flor. edidit Pichena. Agr. *agere:* in Bud. et edd. vet. deest. Bud. *proinde*.

*Castris propiora*] i. e. similiora, eleganter, ut sæpe Livius in primis. MSS. Bud. Agr. ed. pr. *promptiora*, quod non spernit Rhenanus (habet tamen *propiora*). At clarum est, Tacitum dicere voluisse, eam speciem in castris fuisse, ut quis facilius crederet, Bacchanalia agi, quam militarem disciplinam exerceri. Ern.

*Per lasciviam et certamen*] Verius, *ad certamen:* quod in Flor. (et Bud.) item exstat. Lips. Atqui ita præter scriptos omnes edd. quas vidi, pr. Puteol. Ber. Alc. Rhen. Ald. S. Gryph. etc. Errorem igitur operarum corrigunt Lipsius et Pichena, qui in editionem secundam Rhenani irrepserat. Ern.

ctandum convenerant, in studia diductis, erupere legionarii in perniciem auxiliorum, ac duæ cohortes interfectæ. Remedium tumultus fuit alius tumultus: pulvis procul et arma adspiciebantur; conclamatum repente, "XIV legionem, verso itinere, ad prœlium venire:" sed erant agminis coactores: agniti dempsere sollicitudinem. Interim Verginii servus forte obvius, ut "percussor Vitellii" insimulatur: et ruebat ad convivium miles, "mortem Verginii" exposcens. Ne Vitellius quidem, quamquam ad omnes suspiciones pavidus, de innocentia ejus dubitavit: ægre tamen cohibiti, qui exitium viri Consularis, et quondam Ducis sui, flagitabant. Nec quemquam sæpius, quam Verginium, omnis seditio infestavit: manebat admiratio viri et fama: sed oderant, ut fastiditi.

LXIX. Postero die, Vitellius, Senatus legatione, quam ibi opperiri jusserat, audita, transgressus in castra, ultro "pietatem militum" conlaudavit: frementibus auxiliis, "tantum impunitatis atque adrogantiæ legionariis accessisse." Cohortes Batavorum, ne quid truculentius auderent, in Germaniam remissæ; principium interno simul externoque bello parantibus fatis. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus, et prima statim defectione inter inania belli adsumptus. Ceterum, ut largitionibus adfectæ jam Imperii opes sufficerent, "amputari legionum auxiliorumque numeros" jubet, vetitis supplementis: et promiscuæ missiones offerebantur. Exitiabile id Reipublicæ, ingratum militi, cui eadem munia inter paucos, periculaque ac labor crebrius redibant: et vires luxu conrumpebantur, contra veterem disciplinam, et instituta majorum; apud quos virtute, quam pecunia, res Romana melius stetit.

LXX. Inde Vitellius Cremonam flexit, et, spectato munere

*In studia diductis*] Sic bene ed. pr. Lips. sqq. At Guelf. (Bud.) edd. Puteol. ceteræque usque ad Lipsium *deductis*; male. Ante, *convenerant* mihi videtur h. l. languidius esse. In publicis et indictis spectaculis homines ad spectandum *conveniunt*; in re tali et subita fit *concursus* hominum. ERN.

*Viri Consularis*] *Viri* non est in Bud. nec Agr. Delevit et J. Gron. qui nimis prope iterari vocem notat.

*Ut fastiditi*] Quibus noluerit imperare, oblato quamvis Imperio. ERN. Cf. 1, 52. 2, 51.

*Inter inania belli*] h. e. quæ speciem magis terribilem haberent, quam vim. Ea species est etiam in multitudine copiarum: et hac caussa illa auxilia assumta. *Inania* sic dici Tacito, supra quoque vidimus. Firmatur lectio MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. vett. Nam in ed. pr. *munia* vitiose factum ex *inania*. Frustra viri docti tentarunt alii (Danes.) *initia*, ut est in MS. Agr. cum jam sit *prima defectione*, quæ sunt ipsa initia belli: alii *immania*, ut Lipsius: alii *minas* etc. ERN. Acid. fluctuat inter *munia*, *minas*, *initia*.

*Affectæ jam Imp. opes*] i. e. diminutæ et fractæ. Ed. pr. *tam* et mox *emissiones*: quorum illud e *jam* natum, hoc e geminatione præcedentis finalis. Ceterum MSS. Flor. Agr. *jam*. Ceteri (Put. Alc. Rhen.) male *tamen*, quod e *tam* natum. Ordo est, *ut opes i. j. affectæ suff. largitionibus*. ERN. Bud. *tam*. Idem et ed. Put. Alc. Rhen. *missiones*.

*Exitiabile id Reip.*] Sic Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. Pich. seqq. *Exitiale* edidit Puteol. et cet. ante Pich. et id quoque verbum probum. ERN.

Cæcinæ, insistere Bedriacensibus campis, ac vestigia recentis victoriæ lustrare oculis concupivit. Fœdum atque atrox spectaculum: intra quadragesimum pugnæ diem lacera corpora, truncі artus, putres virorum equorumque formæ, infecta tabo humus, protritis arboribus ac frugibus dira vastitas: nec minus inhumana pars viæ, quam Cremonenses lauro rosisque constraverant, exstructis altaribus cæsisque victimis, Regium in morem: quæ, læta in præsens, mox perniciem ipsis fecere. Aderant Valens et Cæcina, monstrabantque pugnæ locos: " hinc inrupisse legionum agmen, hinc equites coortos: inde circumfusas auxiliorum manus." Jam Tribuni Præfectique, sua quisque facta extollentes, falsa, vera, aut majora vero miscebant. Vulgus quoque militum, clamore et gaudio deflectere via, spatia certaminum recognoscere, aggerem armorum, strues corporum intueri, mirari. Et erant, quos varia fors rerum, lacrimæque et misericordia subiret: at non Vitellius flexit oculos, nec tot millia insepultorum civium

*Intra quadrag. p. diem*] Si non plane insititia sunt hæc verba, vereor, ne legendum sit *ultra*, non *intra*. Ipsa diuturnitas temporis facit intelligi fœditatem spectaculi. Ea exprimitur si *ultra* XL dies insepulta cadavera jacuere; non, si *intra*. Probat Mullerus (et expressit Bahrdt in vers.). Veteres porro libri interpungunt post *diem*, non ante *intra*. Mox *ac frug.* Flor. (Agr.) ed. pr. alii (Bud. Put. Alc. Rhen.) *atque*. ERN.

*Infecta tabo hum.*] Hæc est vera lectio. *Infesta* in edd. Gron. operarum vitio venit: inde me invito in nostram primam. ERN.

*Inhumana pars viæ*] i. e. insolens apparatu et tyrannica specie. Frustra Rhen. *inamæna* conjicit. MS. Agr. ed. pr. *minus humana*. Mox *lauru* MSS. et edd. vett. Rhenanus (e Bud.) cum sequacibus dedit *lauro*; ed. pr. *laurus rosasque*. ERN. Frustra hic succenset Budensi J. Gron. quasi ex eo hausisset *inamæna* Rhenanus, quod ex ingenio dedit.

*Exstructis altaribus, cæsisque victimis*] Aræ istæ et victimæ, Vitellii Genio et Victoriæ. Fœda, sed vetus adulatio: quam in adventu Regum aut Principum usurparunt Græci Latinique. Justinus 24, 3. *Arsinoe, prægressa virum, festum diem urbi indicit, domos, templa ceteraque omnia exornari jubet; aras ubique hostiasque disponi.* Sic de Metello Pio Valerius 9, 5. Factum et Cæsari e Gallia reduci. Hirtius B. G. 8, 51. Et passim deinde Principibus. In Caligula Sueton. c. 13. In Galba idem c. 18. Plinius Paneg. de adventu Trajani 23. *Ut plena altaribus, augusta victimis cuncta!* Alius Panegyristes (Mamertinus) ad Maximianum c. 6. *Totamque hanc urbem repentina tua in hostes eruptione solicitam, lætitia et exultatione et aris flagrantibus et sacrificiis et odoribus, accensis Numini tuo, implesti.* LIPS.

*Inrupisse legionum agmen*] Sic e Flor. edidit Pich. Idem erat in Bud. ed. pr. At Guelf. edd. cett. *erupisse*: quod mihi melius videtur; est enim usitatum in hac re verbum, ut supra vidimus hoc ipso libro; et convenit melius primum τῷ *hinc*, et τῷ *coortos*. *Huc irrupisse* dici potest, non *hinc*, sed *erupisse*. Mox bene editum a Pichena *falsa, vera*, e Flor. Bud. pro *falso vera*. Consentit ed. pr. ERN. Ernestium in *erupisse* sequuntur Brot. Lall. Dotteville; mihi cum Bip. alterum placet: idem Pichena sentiebat, Vitellianos *inrupisse* in Othonianos.

*Intueri, mirari*] Sic Flor. (Bud.) ed. pr. quod melius vulgato *mirarique*. Itaque sic cum J. Gronovio edidi. Mox dedi *sors* ex ed. pr. pro *fors*. ERN. *Sors* quoque cod. Agr. Sed *fors* Bud. quod præferunt Bip. eo, quod hic de fortuna sit sermo mutabili, quum in *sorte* etiam ratio locum inveniat. Sequor, etsi parum referre putem.

*Non V. flexit oculos*] E Virgilio sumtum Æn. 4, 369. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?* Paullo post Guelf. *quanto* sine *que*; quæ a manu sec. addita est: melius videtur. ERN.

exhorruit: lætus ultro, et tam propinquæ sortis ignarus, instaurabat sacrum Diis loci.

LXXI. Exin Bononiæ a Fabio Valente gladiatorum spectaculum editur, advecto ex urbe cultu. Quantoque magis propinquabat, tanto conruptius iter, inmixtis histrionibus et spadonum gregibus et cetero Neronianæ aulæ ingenio: namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu et saginæ mancipatus emptusque. Ut Valenti et Cæcinæ vacuos honoris menses aperiret, coartati aliorum Consulatus, dissimulatus Martii Macri, tamquam Othonianarum partium Ducis: et Valerium Marinum, destinatum a Galba Consulem, distulit, nulla offensa, sed mitem et injuriam segniter laturum. Pedanius Costa omittitur, ingratus Principi, ut adversus Neronem ausus, et Verginii exstimulator: sed alias protulit caussas: actæque insuper Vitellio gratiæ, consuetudine servitii.

LXXII. Non ultra paucos dies, quamquam acribus initiis cœptum, mendacium valuit. Exstiterat quidam, "Scribonianum se Camerinum ferens, Neronianorum temporum metu in Istria occultatum, quod illic clientelæ et agri veterum Crassorum ac nominis favor manebat." Igitur deterrimo quoque in argumentum fabulæ adsumpto, vulgus credulum et quidam militum, errore veri, seu turbarum studio, certatim adgregabantur: cum pertractus ad Vitellium interrogatusque, "quisnam mortalium esset," postquam nulla dictis fides, et a domino noscebatur, conditione fugitivus, nomine *Geta*, sumptum de eo supplicium servilem in modum.

LXXIII. Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ socordiæque Vitellio adoleverit, postquam speculatores e Syria Judæaque, "adactum in verba ejus Orientem," nuntiavere. Nam, etsi vagis adhuc et incertis auctoribus, erat tamen in ore famaque Vespasianus, ac plerumque ad nomen ejus Vitellius excitabatur. Tum ipse, exercitusque, ut nullo æmulo, sævitia, libidine, raptu, in externos mores proruperant.

LXXIV. At Vespasianus bellum armaque, et procul

*Quantoque magis*] Refer ad *inhumanum iter* supra c. 70. ERN.

*Coartati*] Sic Rhen. e Bud. Puteol. *cohartati*. Alc. *cohortati*. De re ipsa v. Ryckius.

*Dissimulatus M. Macri*] Scribendum videtur *Martii Macri*. Nam ita eum supra crebro nominat, qui Præfectus gladiatoribus fuit. LIPS. Et sic edidit Pichena. MSS. et edd. omnes *Marci*. ERN. Cf. supra c. 23.

*Scribon. se Camer. ferens*] Rupertus ad Reines. ep. 48. p. 432. unum esse putat e duobus illis Scribonianis fratribus, de quibus H. 4, 41.

*Interrogatusque*] Copula bene addita a Rhenano (e Bud.) consentit Guelf. ed. pr. Mox *e Syria* MSS. edd. ante Rhen. omnes. Deletam ab ipso (duce Bud.) præpositionem, quæ sane abesse posset, si libri consentirent, restituit Pichena (e Flor.). ERN.

*Servilem in modum*] Sic Ryckius e c. Agr.

*Et procul*] Copulam, a Rhen. duce Bud. omissam, restituit Pich. e Flor.

vel juxta sitas vires, circumspectabat. Miles ipsi adeo paratus, ut præeuntem sacramentum, et fausta Vitellio omnia precantem, per silentium audierint. Muciani animus nec Vespasiano alienus, et in Titum pronior. Præfectus Ægypti, Ti. Alexander, consilia sociaverat. Tertiam legionem, quod e Syria in Mœsiam transisset, suam numerabat: ceteræ Illyrici legiones secuturæ sperabantur. Namque omnes exercitus flammaverat adrogantia venientium a Vitellio militum; quod truces corpore, horridi sermone, ceteros, ut inpares, inridebant. Sed in tanta mole belli plerumque cunctatio: et Vespasianus, modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat: "Quis ille dies foret, quo LX ætatis annos et duos filios juvenes bello permitteret? Esse privatis cogitationibus progressum, et, prout velint, plus minusve sumi ex Fortuna: Imperium cupientibus nihil medium inter summa et præcipitia."

LXXV. Versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari: "Suas legiones civili bello inexpertas; Vitellii, victrices: et apud victos plus querimoniarum, quam virium: fluxam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque præsenti facinori paratum ex diverso præmium petat?

*Fausta Vitellio omnia pr.*] Freinsh. corrigit *omina*. Verbum *precari* me impedit, quo minus satis probem. Precando bene ominamur, et omina facimus: sed non precamur omina, ut opinor. ERN.

*Alexander*] Muretus, Ursinus, Acidalius verisimili conjectura putant, scriptum a Tacito *Ti. Alex.* ut ap. Suetonium Vesp. 6. eamque siglam prænominis indicem ob ultimam præcedentis vocis syllabam esse omissam. Cf. mox c. 79.

*Omnes exercitus flammaverat arrogantia*] MS. Bud. *omnis exercitus flammaverat ad arrogantiam*, ut volebat Muretus. ERN. Rhen. non recepit. Paullo ante Bud. Put. Alc. Rh. *de Syria*.

*Sed inerat a mole belli*] In Flor. *sed iniant a mole*: ex quo Pichena, *sed in tanta mole*. LIPS. Idemque in alio MS. clare reperit. Sic et MS. Guelf. sed a manu sec. ed. pr. At Puteol. edidit *sed inerat a mole belli*, quod usque ad Pichenam editi præferunt: fuitque in Guelf. a manu pr. ERN. Bud. *sed inerat amor belli*, unde Rhen. conjiciebat *sed inerat timor belli*.

*Quo LX ætatis annos et duos filios juvenes*] Pichena suspicatur legendum, *quo sexagesimo ætatis anno se et duos*. Vulgatum recte defendit Gruterus. ERN.

*Esse privatis cogitationibus regressum*] Sic correxit Lipsius, eamque correctionem recepit Freinsh. cum seqq. edd. Bene. Sensus est: privati, cum aliquid in rebus privatis suscipiunt, possunt progredi quoad volunt: ubi incipit displicere consilium, regredi possunt, pœnitentiæ locus est. At, qui imperium affectant, cum semel cœperunt agere, non licet subsistere aut regredi. Nam, si desinant persequi cœpta, pereundum est. Hic sensus ita clare desiderat *regressum*, ut mirer, etiam Pichenam ei emendationi oblocutum esse. Bene Freinsh. laudat ex A. 4, 11. *nullo ad pœnitendum regressu*. Ceterum MSS. et edd. ante Freinsh. omnes *progressum*. Mox MS. Reg. ed. pr. *et præcipitia* pro vulgato *aut pr.* quod probant Rhen. et Gruterus; idque sequendum putavi. ERN. A codicum lectione nolim recedere, restitui ergo *progressum*. Pichena bene: in hac privatorum Principumque comparatione nihil de *regressu* agitur. Sensus: privatos homines, cum cogitationem suscipiunt, eatenus *progredi* posse, quatenus ipsis videatur. Quod Bip. addunt, si *regressum* ponas, scribendum fuisse *a cogitat.* mihi secus videtur; dandi casus hic scite locaretur. Mox Bud. *ac præcipitia*.

*Præsenti facinore*] Sic Rhenanus e Bud. edidit, idque omnes secuti sunt. Sed altera vetus lectio *facinori* non

Sic Scribonianum sub Claudio interfectum; sic percussorem ejus, Volaginium, e gregario ad summa militiæ provectum. Facilius universos inpelli, quam singulos vitari."

LXXVI. His pavoribus nutantem, et alii Legati amicique firmabant, et Mucianus, post multos secretosque sermones, jam et coram ita locutus: "Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectu, aut certe non arduum sit. Simul ipse, qui suadet, considerandus est, adjiciatne consilio periculum suum: et, si Fortuna cœptis adfuerit, cui summum decus adquiratur. Ego te, Vespasiane, ad Imperium voco, tam salutare Reipublicæ, quam tibi magnificum. Juxta Deos, in tua manu positum est. Nec speciem adulantis expaveris: a contumelia, quam a laude propius fuerit, post Vitellium eligi. Non adversus D. Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Caii quidem, aut Claudii, vel Neronis, fundatam longo Imperio domum exsurgimus: cessisti etiam Galbæ imaginibus: torpere ultra, et polluendam perdendamque Rempublicam relinquere, sopor et ignavia videretur, etiam si tibi, quam inhonesta, tam tuta servitus esset. Abiit jam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse: confugiendum est ad Imperium.

minus bona est, hoc sensu: si quis præmium petat ab adversa parte, quod præsenti facinori semper paratum est. Etiam in altera lectione *paratum* tamen sic intelligendum; quod semper sperare potest talia ausus, quod ei semper paratum est. *Præsens facinus* est audax, atrox. ERN. Cum Bip. repono *facinori*.

*Volaginium*] Quidam libri *Volaginum*, ut Agr. ed. pr. Indictum aliis nomen. Vid. J. Gronov. ERN. Bud. *Volaginium*.

*Post multos secretosque sermones jam et coram*] Multi illi et secreti sermones, partim coram habiti, partim per Titum facti, v. c. 79. extr. *Multis sermonibus* qui ab absentibus per Titum facti, opponitur maxime *coram*. *Secretis* porro sermonibus opponitur, quia præsentibus Legatis et amicis factus, ut patet e c. 78. init. Non igitur erat, quare his Freinsh. hæreret, et aliquid excidisse putaret. Ceterum MS. Flor. habet *et ioronam*, unde J. Gron. conjicit *et ad coronam*. At *corona* de tali conventu non dicitur. Nam et Cicero dicit de tali conventu *sibi coronam defuisse*, cum pro Deiotaro diceret, quia judicium in cubiculo Cæsaris habitum fuerat. ERN. Bud. *jam et coram*.

*Æstimare*] MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. *extimare*, i. e. *existimare*, ut est in MS. Reg. quod melius puto. ERN.

*Aut certe non*] In MS. Flor. *aut non certe non a.* J. Gron. putat verum esse *aut non, certe non arduum*: non ego. Oppositi *aut non* nulla nec elegantia, nec necessitas. ERN. Bud. *aut certe non arduum*.

*Magnificum. Juxta Deos etc.*] Sic interpungendum, si sensus constare debet, ut est in MS. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi etc. Possis suspicari, *quam salutare Reip. quam tibi magnificum, juxta Deos, i. t. m. p. e.* Sed sententia illud potius desiderat. In ejus manu esse, dicit, an velit imperium illud habere. ERN. Bud. pessime *vixit Deas*, ubi Rhen. conjectando operam ludit; nec melior conjectura Ernesti.

*Juxta Deos*] Cf. c. 78.

*A contumelia et laude propius fuerit*] Ed. pr. *tam a—fueris*, quod est etiam in Guelf. a m. s. Male. Paullo insolentius dictum est, pro *contumelia propius quam laudi fuerit*. Mox *ne c. C. quidem* edidi cum Ryck. et Gron. e Flor. pro *nec—quidem*. V. ad 4, 35. ERN. Bud. etiam *ne c. C. q.* prius, *tam—fuerit*.

*Abiit jam et transvectum*] Obscura est sententia, et ergo acuta. An hoc vult, jam senem esse Vespasianum, et in hac

An excidit trucidatus Corbulo? splendidior origine, quam nos sumus, fateor: sed et Nero, nobilitate natalium, Vitellium anteibat. Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Et posse ab exercitu Principem fieri, sibi ipse Vitellius documento; nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbæ odio provectus. Nec Othonem quidem Ducis arte, aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum, jam desiderabilem et magnum Principem fecit. Cum interim spargit legiones, exarmat cohortes, nova quotidie bello semina ministrat: si quid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis et comissationibus et Principis imitatione, deteritur. Tibi e Judæa et Syria et Ægypto novem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia conruptæ: sed firmatus usu miles, et belli domitor externi: classium, alarum, cohortium robora; et fidissimi Reges: et tua ante omnes experientia.

LXXVII. "Nobis nihil ultra adrogabo, quam ne post Valentem ac Cæcinam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia æmulum non experiris: me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes, capax jam Imperii alter, et primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere Imperio ei, cujus filium adoptaturus essem, si ipse imperarem. Ceterum inter nos non idem prosperarum adversarumque rerum ordo erit. Nam, si vincimus, honorem, quem dederis, habebo: discrimen ac pericula ex æquo patiemur: immo, ut melius est, tu hos exercitus rege; mihi bellum et præliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina victi, quam victores

modesta ætate nihil juveniliter, aut cupide atque ambitiose visum iri agere, sed omnia studio et amore Reipublicæ? An potius alio telo, et proprio periculo excitat? Abiit jam tempus, nec in tua manu est, dissimulare aut tegere cupidinem Imperii. Jam innotuit multis signis, et, ut salvus sis, *confugiendum est ad Imperium.* Lips. MS. Budensis *concepisse:* ed. pr. *concupiscere.* Ceterum prior Lipsii interpretatio vera est. Non videbere cupiditate aliqua elatus Imperium appetere, ut eo nomine reprehendi possis, sed necessitate publica privataque coactus. Ern.

*Documento est*] Sic edd. omnes. At *est* a Flor. (Bud.) et Guelf. abest: meliusque abest. Itaque delevi. Ern. Rhen. servat.

*Ne Othonem quidem Ducis arte, aut exercitus vi, sed*] Brevitatis et sententiarum in arctum compingendarum studium duriorem hic orationem fecit, ut non grammatice structa sit. Insunt duo argumenta: primum, victus Otho non est argumentum, Vitellium esse bonum Ducem, aut Vitellianos fortes milites. Alterum: Vitellii fœditas facit, ut etiam Otho magnus et desiderabilis Princeps fuisse videatur. Ante Rhen. erat vitiose *exercitus sui.* Ern. Sic et Bud. Scita emendatio Rhenani. Cod. Agr. *nec Oth. q.* quod recepere Bip. sequor. Mox Bud. et edd. vet. *comessationibus.* Idem *ante omnis.*

*Ac pericula ex æquo patiemur*] *Pericula* e Flor. edidit Pich. pro *periculum.* Sic et ed. pr. *Patiemur* Flor. Guelf. (Bud. Agr. Reg. Lall.) edd. pr. Puteol. idque bene restitutum a J. Gronovio. In Beroaldi ed. irrepsit *partiemur*, dubium, an de consilio Beroaldi: inde ad omnes edd. propagatum. Pericula non partimur ex æquo, sed subimus. Ern. Bud. *periculum.* Agr. *pericula.* Bip. rursus reponunt *partiemur*, nec dubium, licere dicere *partiri pericula*, ut *curas* apud Liv. 21, 21. Sed obstat consensus codicum.

agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit: illi, per fastidium et contumaciam, hebescunt. Aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. Nec mihi major in tua vigilantia, parsimonia, sapientia, fiducia est, quam in Vitellii torpore, inscitia, sævitia. Sed et meliorem in bello caussam, quam in pace habemus: nam qui deliberant, desciverunt."

LXXVIII. Post Muciani orationem ceteri audentius circumsistere, hortari, "responsa vatum et siderum motus" referre. Nec erat intactus tali superstitione, ut qui mox, rerum dominus, Seleucum quendam, mathematicum, rectorem et præscium palam habuerit. Recursabant animo vetera omina:

*Hos—illi*] *Hos* ad remotius, *illi* ad propius hic refertur. Cf. Sanctii Min. 2, 9. Pro *tu hos* Bud. male *tuos*.

*Aperiet et recludet*] Vix abest, quin ad hæc Demosthenis sit adspectum: et certe paria sunt, in Olynthiaca: Ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασιν ἡμῶν, ἕως μὲν ἐῤῥωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν. ἐπὰν δὲ ἀῤῥώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ. οὕτω καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν τυράννων. ἕως μὲν ἂν ἔξω πολεμῶσιν, ἀφανῆ τὰ κακὰ τοῖς πολλοῖς ἐστίν· ἐπειδὰν δὲ ὅμορος πόλεμος συμπλακῇ, πάντα ἐποίησεν ἐκδῆλα. LIPS. Demosthenes prima in Philippum: Οὐκ ἐπὶ τὴν ἐκείνου πλευσούμεθα; Ποῖ δὴ προσορμούμεθα, ἤρετό τις, εὑρήσει τὰ σαθρὰ τῶν ἐκείνου πραγμάτων αὐτὸς ὁ πόλεμος. GRON. *Tumor* eleganter et proprie de vulneribus nondum sanatis et erupturis mox dicitur apud Ciceronem et alios. ERN.

*Con. et tum v. p. v.*] Hunc verborum ordinem e Flor. dedit Pich. habet et Bud.

*Parsimonia, sapientia*] Ambigo de voce *parcimoniæ*. Convenit in Vespasianum, scio; quem sordidum avarumque omnes faciunt, non solum parcum: sed, cur inter principes et illustres virtutes hanc domesticam privatamque nominet? aut cur in ea fiduciam boni eventus collocet? Non digna videtur, quæ ad Imperium adjuvet, aut ad id gradum struat: nisi fortasse comparatione Vitellii dictum, qui natus ad prodigendum. Utcumque, liceat dubitare, an non reponendum, *acrimonia*: sed, ut dixi, dubitare. LIPS. Ut opponatur *inscitiæ*, sapientia sævitiæ, ut apud Cic. pro Marcello c. 3 et 6. Nam clementia a magnitudine animi ducitur, quæ centies apud Ciceronem sapientia. *Parsimoniæ* quidem verbum sanum non puto. Nam quod Acidalius pro clementia dici putat, usus loquendi repugnat. Nimis nota de Vespasiani avaritia opinio parsimoniam hic Tacito obtrusit. ERN.

*Qui deliberant, desciverunt*] Acute et vere dictum. Fidem enim jam fregit, qui deliberat, an servet. Plutarchus exprimere in Galba voluit (magni fecit ille vir hunc nostrum, et quamquam ævo compar, multa verbatim ex hac historia convertit:) ubi Vinnium facit Galbam excitare et alloqui c. 4. Ὦ Γάλβα, τίνα τρόπον βουλεύσασθε; τὸ γὰρ ζητεῖν, Νέρωνι εἰ πιστοὶ μένοιμεν, ἤδη μενόντων ἐστί. Vocula negans excidit, et legendum ἤδη οὐ μενόντων. Verto: *O Galba, quomodo deliberas? Nam quærere, an Neroni fidi maneamus, jam non manentium est.* Alludit et hoc Taciti, in Agricola 15. *Jam ipsos, quod difficillimum est, deliberare. Porro in ejusmodi consiliis, periculosius esse deprehendi, quam audere.* LIPS. .

*Siderum motus*] V. ad A. 4, 58. ERN. Pro *audentius* Bud. *audientium*.

*Recursabant animo vetera omina*] Sic Flor. recte; idque editum a Pichena. Ceteri libri omnes (et Bud.) *omnia*, solita confusione. Mox pro *latior virebat* Trillerus *lætior virebat* legendum putat Obs. 1, 8. Juvat Sueton. Vesp. 5. *viridior resurrexit*. Sed, quia omnes libri in vulgata consentiunt, et latitudo quoque in arboribus omen magni Imperii et magnæ felicitatis, nihil tentandum puto. Idem Sueton. l. c. de arbore in suburbano Flaviorum per tres Vespasiæ partus singulos ramos edente: *secundum prævalidum ac prolixum, et qui magnam felicitatem portenderet.* Quod ibi *prolixus* id h. l. est *latus*. Add. Justin. 1, 4. ERN. Ante Pichenam Rhen. jam ex ingenio dedit *omina*.

cupressus arbor in agris ejus, conspicua altitudine, repente prociderat; ac postera die, eodem vestigio resurgens, procera et latior virebat: grande id prosperumque, consensu Haruspicum: et summa claritudo juveni admodum Vespasiano promissa. Sed primo triumphalia et Consulatus et Judaicæ victoriæ decus, inplesse fidem ominis videbantur: ut hæc adeptus est, portendi sibi Imperium credebat. Est Judæam inter Syriamque Carmelus, ita vocant montem Deumque: nec simulacrum Deo aut templum situm tradidere majores; aram tantum et reverentiam. Illic sacrificanti Vespasiano, cum spes occultas versaret animo, Basilides Sacerdos, inspectis identidem extis, "Quidquid est," inquit, "Vespasiane, quod paras, seu domum exstruere, seu prolatare agros, sive ampliare servitia, datur tibi magna sedes, ingentes termini, multum hominum." Has ambages et statim exceperat fama, et tunc aperiebat: nec quidquam magis in ore vulgi: crebriores apud ipsum sermones; quanto sperantibus plura dicuntur.

LXXIX. Haud dubia destinatione discessere: Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput est. Initium ferendi ad Vespasianum Imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Jul.

*Cupressus*] In hoc portento fama non sibi constat. Cf. Dio 66, 1. et Suet. Vesp. 5.

*Videbantur*] Flor. Agr. Bud. ed. pr. *videbatur*, impersonaliter (judice Rhenano): nam, ut ad *decus* referatur verbum numero potius, quam ad præcedentia simul, quod alibi in Tacito vidimus, non sinit, ut opinor, mox sequens *hæc*. ERN.

*Carmelus*] De hoc monte et aliis duobus ejusdem nominis in Palæstina, non confundendis cum hoc v. ad Sueton. Vesp. c. 5. ERN. Cf. et Orosius 7, 9. ubi *sortium* meminit.

*Nec simulacrum*] Parissimum illud, quod de Herculeo fano ad Gades tradit Silius 3, 30. *Sed nulla effigies simulacraque nota Deorum Majestate locum et sacro implevere timore.* LIPS.

*Aram tantum et reverentiam*] Sic scr. et edd. omnes, præter Ryck. qui edidit e MS. Agr. *ara et reverentia*, ut Rhenano et Grotio placuit. Defenditur vulgatum a Grutero ad 3, 61. sed non similibus satis exemplis, item a J. Gronovio. Et potest sane pendere a *tradidere: aram tantum et reverentiam tradidere*. Sed illud mallem, si libri boni faverent. Guelf. a manu pr. *sed tradidere majores aram t. e. r.* Quod placeret, si plures libri haberent. Nunc correctio librarii videtur vulgatum non concoquentis. ERN. Bene Bip. ex vulg. *templum, sic* fecere *templum situm*, ut A. 2, 7. *aram Druso sitam*. Addo aram *et reverentiam* i. e. aram reverenter habitam, cultam.

*Hæc Judææ caput*] Hinc in NN. prima, item paullo post metropolis, salutatur. Vid. Vaill. in NN. Col. t. 2. p. 116. sub Alex. Sev. et p. 195. sub Decio. Cf. Spanhem. de Præst. NN. t. 1. p. 595. Diss. 9. c. 4. et Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 3. p. 433.

*Initium ferendi*] Vereor, ne Tacitus dederit *deferendi Imperii;* quod est legitimum verbum. *Ferre ad aliquem Imperium* nunquam reperi. Et substitui simplicia compositis errore librariorum, supra vidimus c. 67. Nec valde placet *initium cœptum*. An *captum* scribendum? *Cœpi* quidem et *cepi* et alibi confusa, c. 97. add. dicta ad A. 6, 15. Mox *in sacramento* MS. Flor. vid. ad c. 55. ERN. Bud. *sacramento* absque *in*. Sic et Put. Alc. Rhen.

*Festinante Tiberio*] Contra Jos. 4, 10, 6. Tib. Alexandrum prius per epistolam a Vespasiano jam Principe salutato esse admonitum scribit.

sacramento ejus legiones adegit. Isque primus Principatus dies in posterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus V Non. Jul. apud ipsum jurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius exspectaretur, Syria remeans, et consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius: cuncta inpetu militum acta; non parata concione, non conjunctis legionibus.

LXXX. Dum quæritur tempus locusque, quodque in re tali difficillimum, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur; egressum cubiculo Vespasianum pauci milites, solito adsistentes ordine, ut Legatum salutaturi, *Imperatorem* salutavere. Tum ceteri adcurrere, *Cæsarem* et *Augustum*, et omnia Principatus vocabula cumulare: mens a metu ad fortunam transierat. In ipso nihil tumidum, adrogans, aut in rebus novis novum fuit: ut primum tantæ vicissitudinis

*Isque primus Principatus dies*] Dies ille natalis Imperii decore dictus. Spartianus Hadriano 4. *Tertio iduum earundem natalem Imperii statuit celebrandum.* LIPS.

*Quinto Nonas Julias*] Suetonio c. 6. scriptum, *quinto Idus*: sed eum ad exemplar Taciti emendandum videri, non vane pronuntiat Torrentius. LIPS. Itaque fecimus nos. Nam Taciti traditio verissima, ut demonstrat Pagius: nec in tali re errare potuit Suetonius. Vid. ibi dicta. ERN.

*Eo ardore, ut, ne*] Rhenanus (duce Bud.) delevit *eo ardore*, et initium novæ sententiæ fecit in verbis *Ut ne* etc. Sed omnes libri agnoscunt, nec commode abesse possunt. Ed. pr. aliæque hic quoque vitiose *nec quidem*. ERN. Bud. *ne q.*

*Cuncta inpetu m. acta*] Jos. 4, 36. minis militum adactum Vespasianum tradit.

*Non parata cognitione*] Cui rei hic cognitio? quam vocem Taciti mens planissime spernit. Emendo vero, *non paratu ac concione*. LIPS. Pichena non *parata concione*, quod in MS. Agr. repertum recepit Ryckius, quem imitati sumus, non tam fiducia libri illius, quam rei necessitate. Nam in tali re semper oratio ad milites habita, si non inpetu et festinanter nimis acta, ut docent exempla Galbæ, Othonis, Sueton. Galb. 10. supra 1, 36. aliorumque alibi. Similis corruptio apud Sueton. Tit. c. 6. ubi Titus traditur A. Cæcinam interfecisse: *sane urgente discrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites concionis deprehendisset*: ubi vulgo *conjurationis*: nos *concionis* rescripsimus, idque imitatus est Oudendorpius. Add. ad A. 4, 42. ERN. Bud. et edd. ante Ryckium *cognitione*. Bip. dant *consensione*.

*Tempus locusque*] J. Gron. delevit *que* e Flor. (nec habet Bud.) In Guelf. quoque omissum, sed supra adscriptum est, eadem, ut videtur, manu: semper sic ista jungunt scriptores, etiam noster: unde nil mutavi. Adde ad A. 4, 10. ERN. Mox Bud. *quodque in t. re difficillimum* sine *est*: bene.

*Solito adsistentes*] Sic e Flor. edidit Pichena. Alii omnes (etiam Bud.) *adsistunt*. Unde Ryckius putat verum esse: *S. adsistunt ordine et Legatum salutaturi* etc. quod placet. Ed. pr. (et Put.) vitiose *salutari*. ERN.

*Mens a metu ad fortunam transierat*] i. e. ad fiduciam, qualis esse solet a fortuna, ut sequentia indicant. ERN.

*In ipso nihil tumidum*] Ita decuit per se magnum animum, non attolli per fortunam. Claudiani illud pulchrum, et hue aptum de Fl. Mallii Theod. Cos. v. 245. *Frons privata manet: non se meruisse fatetur, Qui crevisse putat.* Attamen non leviter innovavit Vespasianus, si vera quæ Sulpicius Severus scribit lib. 2. Sac. Hist. *Vespasianus, cum Hierosolymam obsideret, sumit Imperium: et, ut mos est, diademate capiti imposito, ab exercitu Imperator consalutatus, Titum filium Cæsarem facit.* Sed palam illa falsa. Nec mos ejus ævi diadema tulit, nec Flavius per somnium usurpavit. LIPS.

*Tantæ multitudinis*] Quantæ igitur? et quæ inde offusa caligo? Forsan: *tantæ mutationis*. Lib. 3, 49. *Dum hac totius orbis mutatione fortuna Imperii transit.* Josephus δ. ἀλώσ. λ. Συνόντες δὲ οἵτε ἡγεμόνες καὶ οἱ στρατιῶται καθ' ἑται-

obfusam oculis caliginem dispecit, militariter locutus, læta omnia et adfluentia excepit: namque id ipsum opperiens Mucianus, alacrem militem in verba Vespasiani adegit. Tum Antiochensium theatrum ingressus, ubi illis consultare mos est, concurrentes et in adulationem effusos adloquitur: satis decorus etiam Græca facundia, omniumque, quæ diceret atque ageret, arte quadam ostentator. Nihil æque provinciam exercitumque accendit, quam quod adseverabat Mucianus, "statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam, ad militiam opulentam quietamque, transferret; contra Syriacis legionibus Germanica hiberna, cœlo ac laboribus dura, mutarentur." Quippe et provinciales sueto militum contubernio gaudebant, plerique necessitudinibus et propinquitatibus

φαν φανερῶς ἤδη μεταβολὴν ἐβουλεύοντο. GRON. Non minus elegans est conjectura Trilleri Obs. 3, 22. *tantæ altitudinis*, e Livio inprimis 26, 45. *cum altitudo caliginem oculis offudisset etc.* Ei tamen Gronoviana forte præferenda, propterea quod antecedentia magis indicare videntur, caliginem ei offusam fuisse ex eo, quod repente et impetu militari tanta mutatio facta, ut colligere se et verba facere non posset statim. Lector eligat. ERN. Gronovii conjectura placet Ryckio, Broterio, Lallemandio. Dotteville dedit *vicissitudinis*, quod facile potuit a librario in *multitudinis* verti. Reddi meretur Tacito.

*Militariter locutus*] Rectissime: atque ita libri. Significat, orationem ejus castrensem horridamque fuisse, non cultam forensi aut urbano more. Qui (Rhenanus) *militariter lautus*, castigant, ineptiunt. LIPS. Add. A. 15, 67. *Lautus* a Rhenano receptum mansit in edd. usque ad Lipsium. ERN. Rhen. intelligebat, Vesp. non fuisse urbana elegantia excultum.

*Læta omnia et affluentia excepit*] Frustra viri quidam docti corrigunt *omina*. Nam sequentia decent, non sermonem esse de ominibus, quibus milites concionantem prosecuti sunt, sed de iis, quæ postea ipsi secunda evenere. Nec *affluentia* tentandum. Undique copiæ legionum auxilia sociorum adfluebant ei et partibus ejus c. 81. Mox *namque* e Flor. bene edidit Pichena. Etiam ed. pr. (et Bud.) *namque*. Guelf. edd. Puteol. Ber. (Alc.) Rhen. etc. *nam*. Unde τὸ *jam*, quod est in Lips. edd. et sequacibus, errore operarum irrepsisse puto. ERN.

*Consultare mos est*] Qui mos scilicet plerisque Græcorum, et qui oriundi a Græcis. Frontinus Stratag. 3, 2, 6. *Alcibiades in theatro disseruit, ubi ex more Græcorum locus consultationi præbebatur.* Justinus 22, 2. *Agathocles velut Reip. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari jubet.* Inde illud Satyrici (Juvenalis) de principe oratore 10, 128. *et pleni moderantem fræna theatri.* Meminit ejusce ritus Cicero pro Flacco et alii. LIPS.

*Germanica hiberna*] Sic edidit primus Rhenanus e MS. ut opinor, Budensi. Nam, ubi simpliciter corrigit, id indicio fere est, e MS. sumtam correctionem. Ea correctio servata usque ad J. Gronovium, qui veterem MSS. et edd. lectionem reduxit, *hiberno*; miro argumento: quod vanissimum et provinciis calamitosissimum foret, si tantum in hiberna mitterentur, post hiemem statim inde revocarentur. Ergo etiam ita ridicule sensit Suetonius in eadem re, in Vesp. 6. *destinasse Vitellium, victorem, permutare hiberna legionum, et Germanicas transferre in Orientem.* Mirum est, tali viro talia excidere potuisse. *Hiberna* centies dicuntur castra illa fixa et perpetua, quæ a militibus, in modum oppidorum, habitabantur in provinciis, nullo bello. Sic 3, 46. *expugnantur hiberna cohortium alarumque.* Unde *hiberna* v. c. *Germaniæ* pro militia in Germania dicuntur. Itaque lectionem Rhenani servavi, veramque credam, dum exempla proferantur, ubi *Germanica* aut *Syriaca* simpliciter pro castris in Germania aut Syria fixis et perpetuis dicuntur. ERN. Rhen. *hyberna*, nec indicat ex Bud. an ex ingenio. Illud hariolatur Ern. hoc Gron. qui rem acu tangit; jure ceterum reprehensus ab Ernestio.

mixti; et militibus vetustate stipendiorum nota et familiaria castra in modum Penatium diligebantur.

LXXXI. Ante Idus Jul. Syria omnis in eodem sacramento fuit. Accessere cum Regno Sohemus, haud spernendis viribus; Antiochus, vetustis opibus ingens et inservientium Regum ditissimus: mox per occultos suorum nuntios excitus ab urbe Agrippa, ignaro adhuc Vitellio, celeri navigatione properaverat: nec minore animo Regina Berenice partes juvabat, florens ætate formaque, et seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Quidquid provinciarum adluitur mari, Asia atque Achaia tenus, quantumque introrsus in Pontum et Armenios patescit, juravere: sed inermes Legati regebant, nondum additis Cappadociæ legionibus. Consilium de summa rerum Beryti habitum: illuc Mucianus, cum Legatis Tribunisque et splendidissimo quoque Centurionum ac militum, venit: et e Judaico exercitu lecta decora. Tantum simul peditum equitumque, et æmulantium inter se Regum paratus, speciem fortunæ Principalis effecerant.

LXXXII. Prima belli cura, agere delectus; revocare veteranos: destinantur validæ civitates exercendis armorum officinis: apud Antiochenses aurum argentumque signatur: eaque cuncta per idoneos ministros, suis quæque locis, festinabantur. Ipse Vespasianus adire, hortari, bonos laude, segnes

*Diligebantur*] Id est, amabant vetera et nota castra, juxta ac suas ædes. Clarum, nec monitione dignum: nisi correctores, *dirigebantur*, maluissent. LIPS. Rhenanum innuit, qui sic e Bud. putabatque de struendis castris esse sermonem. In textu tamen vulgatum servat.

*Syria omnis*] Huc Vaillant in NN. Col. t. 1. trahit nummum Vespasiani Antiochiæ cusum, de quo videsis, quæ monet Eckhel in Doctr. NN. vet. vol. 3. p. 302. Prius Bud. *ante Kal. Julii.*

*Sohemus*] Rex Sophenes A. 13, 7. cujus iterum mentio infra 5, 1. Mox *cum viribus* Guelf. edd. Puteol. sqq. (et Rhen.) usque ad Lips. Edd. pr. Lipsii sqq. (et cod. Bud.) sine *cum*: alius MS. ap. Broterium *haud spernendus*. ERN. Sic volebat Acid.

*Opibus ingens*] Adtextam censeo vocem *ingens*: certe obnubilat sententiam et phrasem, quæ alias Tacito crebra. LIPS. In nummis quoque dicitur ΜΕΓΑΣ. Vid. Noris. in Ep. Syro-Mac. Diss. 2, 4. Eckhel l. c. vol. 3. p. 255. ubi fata ejus Regis recensentur.

*Excitus ab urbe*] Quomodo, aut quando ergo illuc venerat? Ex Hegesippo disce 4, 21. *Sententiam novi Principis de bello Judæorum sciscitari, Vespasiano consilium fuit: misitque Titum filium, et Regem Agrippam. Titus de Achaia revertit: Agrippa Romam contendit, ut apud novum Principem locaret gratiam.* LIPS. Mox *adhuc* Rhen. e Bud. prius erat *ad hoc.*

*Berenice*] Soror Agrippæ, Julia compellata et Tito amata, nupta primum Herodi Chalcidis, dein Polemoni II, Ponti et partis Chalcidis Regibus.

*Introrsus in Pontum*] Præpositionem addunt MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. pr. Ald. Gryph. In Rhen. secunda casu omissa, hinc a seqq. editoribus neglecta, a Ryckio restituta est. ERN.

*Nondum additis*] Vespasianus ipse addidit. Vide Tranquillum cap. 8. in Vespas. LIPS.

*Revocare veteranos*] In quibusdam *evocare*: et recte. Isti enim sunt vere Evocati: de quibus in Milit. nostra dial. 1, 8. LIPS. Mei omnes (et Bud.) *revocare*. Quod non tentandum. Idem verbum de hac re in inscr. ap. Grut. p. 524, 7. unde vulgatam lectionem defendit Fabrettus ad Col. Traj. p. 198. Mox MS. Agr. a l. m. *festinantur*. ERN. Bud. *festinabantur.*

exemplo, incitare sæpius, quam coercere; vitia magis amicorum, quam virtutes dissimulans. Multos præfecturis et procurationibus; plerosque Senatorii ordinis honore percoluit, egregios viros et mox summa adeptos; quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Donativum militi neque Mucianus prima concione, nisi modice, ostenderat; ne Vespasianus quidem plus civili bello obtulit, quam alii in pace: egregie firmus adversus militarem largitionem, eoque exercitu meliore. Missi ad Parthum Armeniumque legati, provisumque, ne, versis ad civile bellum legionibus, terga nudarentur. Titum instare Judææ, Vespasianum obtinere claustra Ægypti placuit: sufficere videbantur adversus Vitellium pars copiarum et Dux Mucianus et Vespasiani nomen, ac nihil arduum fatis. Ad omnes exercitus Legatosque scriptæ epistolæ, præceptumque, "ut Prætorianos Vitellio infensos, reciperandæ militiæ præmio invitarent."

LXXXIII. Mucianus cum expedita manu, socium magis Imperii, quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat: gnarus, modicas vires sibi, et majora credi de absentibus. Sed legio sexta et tredecim vexillariorum millia ingenti agmine sequebantur. Classem e Ponto Byzantium adigi jusserat: ambiguus consilii, num, omissa Mœsia, Dyrrhachium pedite atque equite, simul longis navibus versum in Italiam mare clauderet, tuta pone tergum Achaia Asiaque; quas inermes exponi Vitellio, ni præsidiis firmarentur: atque ipsum Vitellium in incerto fore, quam partem Italiæ protegeret, si sibi Brundisium Tarentumque et Lucaniæ Calabriæque litora infestis classibus peterentur.

LXXXIV. Igitur navium, militum, armorum, paratu strepere provinciæ. Sed nihil æque fatigabat, quam pecunia-

*Donativum militi*] Sic bene e Flor. dedit Pichena: sic et Guelf. Ante edd. omnes (et Rhen.) *donativa* (Bud. *donativo*). Et mox Rhenanus (e Bud.) *ne quidem* pro *nec quidem*. ERN.

*Modicas vires sibi*] Guelf. Harl. edd. Put. Ber. (Alc.) addunt *esse*: non bene. Mox eædem edd. *VIII* pro *XIII*. ERN. Utraque emendatio debetur Rhenano e Bud.

*Classem e Ponto*] Intellige classem, quæ Romanis etiam illic ordinaria, ad tuendam Ponti oram. Quanta ea fuit? hauries e solo Hegesippo 2, 9. in oratione (cui pulchra placent, eam legat) Agrippæ, *Mœotia Regna Bosporanique omnes Romano subjiciuntur Imperio: et illud ante innavigabile pelagus quadraginta naves ad pacem exercent.* LIPS.

*Dyrrhachium p. a. e. peteret*] Sic edd. omnes præter primam, a qua abest *peteret*, quod etiam auctoritate MS. Flor. delevere Ryckius et J. Gronovius. *Claudere* voluit Dyrrhachium, et una Græciam omnem, præsidiis terrestribus, ne Vitellio aditus eo pateret, non *petere*, ut sequentia docent. ERN. Verbum *peteret* deest et in Agr. Regio Lall. Bud.

*Si sibi Brundusium*] Sic MSS. omnes et edd. ante Rhenanum; qui de conjectura edidit *si simul*: quod omnes usque ad Ryckium imitati sunt. Si vel unus bonus liber scriptus addiceret, sequerer et ipse. Sed et vetus lectio bona, atque etiam elegans est. ERN. Eamque bene tuetur Ryckius.

rum conquisitio: "eos esse belli civilis nervos," dictitans Mucianus, non jus aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat: passim delationes; et locupletissimus quisque in prædam conrepti: quæ gravia atque intoleranda, sed necessitate armorum excusata, etiam in pace mansere: ipso Vespasiano, inter initia Imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante; donec indulgentia fortunæ et pravis magistris didicit aususque est. Propriis quoque opibus Mucianus bellum juvit, largus privatim, quod avidius de Republica sumeret. Ceteri conferendarum pecuniarum exemplum secuti: rarissimus quisque eandem in reciperando licentiam habuerunt.

LXXXV. Accelerata interim Vespasiani cœpta, Illyrici exercitus studio, transgressi in partes. Tertia legio exemplum ceteris Mœsiæ legionibus præbuit. Octava erat ac septima Claudiana, inbutæ favore Othonis, quamvis prœlio non interfuissent. Aquileiam progressæ, proturbatis, qui de Othone nuntiabant, laceratisque vexillis, nomen *Vitellii* præferentibus, rapta postremo pecunia et inter se divisa, hostiliter egerant. Unde metus, et ex metu consilium: "posse inputari Vespa-

*Ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato*] Placet satis Florentinum *obstinante*. Sic enim Plautus Aulul. 2, 2, 89. *Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.* Cæterum *obtinere iniquitatem*, ut Ciceroni pro Quinctio 23. *non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum, auctoritatem adjuvare.* Et Philipp. secunda, 2. *contra injuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit.* GRON. *Obstinante* etiam MS. Reg. Agr. (Reg. Lall.) et ed. pr. intell. *se.* Recepere Ryckius et J. Gron. quos imitatus sum. Vulgg. et MSS. Harl. Bodl. et alius *obstinato*, quod sane usitatius, eamque ob caussam servatum Broterio. ERN. Et Pichena. Bud. *aut per vim obstinate.*

*Largitus privatim, quod avidius de Rep. sumeret*] Pro *largitus* Flor. Agr. (Bud. Reg. Lall.) Guelf. edd. omnes ante Rhenani secundam, *largus:* nec scio, unde *largitus* ductum sit. Vereor, ne sit operarum depravatio; quam tamen omnes postea secuti sunt. Itaque *largus* cum J. Gronovio restitui. Heinsius putabat legendum *largus privati;* quod placet Ryckio. Vir doctus in ed. Gryph. (item Muretus) corrigit *quo:* quod mihi magis placet. *Privatim* est de suo: cui bene opponitur *e Rep.* Sed illud ipsum, quod de suo dederat, non sumsit avidius de Rep. Immo post de publico ita avide sumsit, ut hac de caussa de suo largus fuisse videretur, quo posset, cum specie aliqua, tanto avidius de Rep. sumere. ERN. Mallem etiam *quo* cum Lallem.

*Rarissimus quisque*] Male MSS. Harl. Bodl. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *carissimus.* ERN. Emendavit Rhen. e Bud.

*Transgressi in partes*] Rhenanus (duce Bud.) delevit *transgressi.* Abesse posse credo: sed quia omnes scr. et edd. ante habent, retinendum puto: restituitque Pichena. ERN. Et jure quidem meritoque. Ast Freinsh. volebat *studio. Transgressa in p. tertia* etc. Atque sic in cod. Agr. se invenisse testatur Ryckius et comprobat.

*Tertia legio*] Bud. *tertiadecima legio.*

*Proturbatis, qui de Othone*] Id est, spretis rejectisque, qui victum eum et vixisse dicebant: quod Suetonius dixit c. 6. *rumori eos non credidisse:* ut solent homines, in spem suam proni. LIPS. Ante *jam* post *Aquileiam* cum Ryckio et J. Gron. auctoribus Flor. Agr. ed. pr. delevi. ERN. Bud. et Rhen. habent *jam.* Sic et Put. Alc.

*Vexillis, nomen Vitellii præf.*] V. Lips. ad 3, 31. ERN. Ex h. l. patet, jam tum Romanos habuisse vexilla textilia, quod et Dio firmat 40, 18. ubi velorum similia esse tradit. Cf. Cuperi ep. ad Sperling. in mutuis n. 42.

siano, quæ apud Vitellium excusanda erant." Ita tres Mœsicæ legiones per epistolas adliciebant Pannonicum exercitum, aut abnuenti vim parabant. In eo motu Aponius Saturninus, Mœsiæ rector, pessimum facinus audet, misso Centurione ad interficiendum Tertium Julianum, septimæ legionis Legatum, ob simultates, quibus caussam partium prætendebat. Julianus, comperto discrimine, et gnaris locorum adscitis, per avia Mœsiæ, ultra montem Hæmum profugit: nec deinde civili bello interfuit, per varias moras susceptum ad Vespasianum iter trahens, et ex nuntiis cunctabundus, aut properans.

LXXXVI. At in Pannonia XIII legio ac VII Galbina, dolorem iramque Bedriacensis pugnæ retinentes, haud cunctanter Vespasiano accessere, vi præcipua Primi Antonii. Is legibus nocens et tempore Neronis falsi damnatus, inter alia belli mala, Senatorium ordinem reciperaverat. Præpositus a Galba septimæ legioni, scriptitasse Othoni credebatur, Ducem se partibus offerens: a quo neglectus, in nullo Othoniani belli usu fuit: labantibus Vitellii rebus, Vespasianum secutus, grande momentum addidit; strenuus manu, sermone promptus, serendæ in alios invidiæ artifex, discordiis et seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. Juncti inde Mœsici ac Pannonici exercitus, Dalmaticum militem traxere, quamquam Consularibus Legatis nihil turbantibus. Titus Ampius Flavianus Pannoniam, Poppæus Silvanus Dalmatiam tenebant, divites senes. Sed Procurator aderat

*Ita tres M. legiones*] Acidalius corrigit *jam*; quod non necessarium puto. *Ita* est, hoc facto, his de caussis, ut alibi, pro his dictis, dicitur. Mox verba *Pannonicum exercitum a. a. v. parabant* (duce Bud.) delevit Rhenanus et sic interpunxit: *ita tres Mœsicæ legiones p. ep. alliciebant.* Vetus restituit Lipsius. ERN.

*In eo motu Aponius*] Sic Flor. Guelf. (Bud.) ed. pr. quod restituit Pichena, et in margine scripserat Lipsius. *Metu* primus edidit Puteol. nisi operarum vitium est, ortum e mox præcedentibus. ERN. Secuti Alc. Rhen.

*Primi Antonii*] Hegesippi super hoc nobili Duce errorem non celo, sive errores potius. Is enim 4, 29. facit eum *Præfectum tertio ordini militari:* id est, legioni tertiæ. Atqui septimæ præponit eum statim noster. Item in Mysia eum collocat: noster clare in Pannonia. Quis autem præponderare fidem Cornelianam nesciat? LIPS. Cf. de Antonio 14, 40.

*Reciperaverat*] Bene sic distinxit Pich. probante Acidalio.

*Flavianus*] Malui quam *Fabianus.* Farnesianum codicem audio et Tacitum ipsum, qui non aliter seq. libro (c. 4. et 10.) appellat. LIPS. Sic et Flor. ed. pr. Ex eodem Flor. Pichena insuper addidit *Ampius*, quomodo et 3, 4. vocatur. ERN. Bud. *Titus Fabianus.*

*Pompeius Sullanus*] Imo *Silvanus.* Ita enim 3, 50. *Sex millia Dalmatarum ducebat Pompeius Silvanus, Consularis senex.* LIPS. Recte *Silvanus*, quod est et in Flor. Reg. ed. pr. sed insuper etiam *Poppæus* e Flor. edidit Pichena. Omnes alii libri *Pompeius*, quod verum videtur Ryckio, quem vide ad 3, 50. 1, 77. 4, 47. idque recepit Broterius. ERN. Bud. *Pompeius Silanus.*

*Sed Procurator aderat*] Rhenanus frustra tentat *et.* Legati illi nil pro Vespasiano, sed Procurator. Quia simpliciter Procurator vocatur, utriusque provinciæ Procuratorem fuisse putat Pichena. ERN. Rhen. ex ingenio emendare parabat; nam Bud. habet *sed:* sic et Agr.

Cornelius Fuscus, vigens ætate, claris natalibus: prima juventa, quietis cupidine, Senatorium ordinem exuerat: idem pro Galba Dux coloniæ suæ, eaque opera Procurationem adeptus, susceptis Vespasiani partibus, acerrimam bello facem prætulit: non tam præmiis periculorum, quam ipsis periculis lætus: pro certis et olim partis, nova, ambigua, ancipitia malebat. Igitur movere et quatere, quidquid usquam ægrum foret, adgrediuntur. Scriptæ in Britanniam ad quartadecimanos, in Hispaniam ad primanos epistolæ; quod utraque legio pro Othone, adversa Vitellio fuerat: sparguntur per Gallias litteræ: momentoque temporis flagrabat ingens bellum, Illyricis exercitibus palam desciscentibus, ceteris fortunam secuturis.

LXXXVII. Dum hæc per provincias a Vespasiano Ducibusque partium geruntur, Vitellius contemptior in dies segniorque, ad omnes municipiorum villarumque amœnitates resistens, gravi urbem agmine petebat. Sexaginta millia armatorum sequebantur, licentia conrupta: calonum numerus amplior: procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis: tot Legatorum amicorumque comitatus, inhabilis ad parendum, etiam si summa modestia regeretur. Onerabant multitudinem obvii ex urbe Senatores Equitesque: quidam metu, multi per adulationem, ceteri ac paullatim omnes, ne, aliis proficiscentibus, ipsi remanerent. Adgregabantur e plebe, flagitiosa per obsequia Vitellio cogniti, scurræ, histriones, aurigæ, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. Nec coloniæ modo, aut municipia, congestu copiarum,

*Prima inventa quietis cupidine*] Non sane quieti hominem ingenii fuisse, sequentia ostendunt. Itaque Grotius volebat legi *quæstus cupidine*, collato A. 16, 17. *Mela, quibus Gallio et Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat per ambitionem præposteram: ut Eques Romanus Consularibus potentia æquaretur, simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat per Procurationes, administrandis Principis negotiis.* Simili de caussa alii in ordine Equestri permansere, ut Atticus. Sed tamen *quietis* non tentandum puto. Nam iste Fuscus nec negotiator, nec Procurator factus, cum Senatu abisset, nec petiit: sed in colonia sua vixit quietus, dum motus adversus Neronem ortus est. Bella civilia hominem mutavere. Mox *idemque* Guelf. edd. Puteol. Beroald. Alc. Iidem *et ancipitia* cum ed. pr. ERN. Rhen. duce Bud. sustulit utramque copulam. Bip. τὸ *quæstus* recipiunt et indubium putant exemplo Melæ, a Grotio prolato. Verum codices obstant, et vulgatum stare potest. A prima ætate ad provectiorem, mutasse mentem Fuscus videtur, postquam aliquamdiu in colonia vitam egerat.

*Dux coloniæ suæ*] Ryckius ex Plut. Galba 6. *Coloniam* oppidum Hispaniæ huc traxit; sed ibi rectius Xylander *Cluniam* reposuit: hanc ipsam hic intelligi arbitratur Broterius. Pronomen *suæ* suspectum est Bipontinis.

*Igitur movere etc.*] Hæc non pertinent ad solum Fuscum, sed ad Duces Vespasiani: quod cum non animadverteretur, editum *aggreditur* a Beroaldo et seqq. (Alc. Rhen.) usque ad Pichenam. *Aggrediuntur* etiam MSS. Guelf. Reg. Bodl. Harl. edd. pr. Puteol. ERN. Sic Flor. Bud. Regius Lall.

*Procacissimis etiam inter servos lixarum ingeniis*] Freinshemium tentantem *inter severos*, bene refellit Ryckius. *Lixæ et calones* centies junguntur. Calones sunt servi, cum his procacissimi lixæ erant. ERN.

sed ipsi cultores arvaque, maturis jam frugibus, ut hostile solum vastabantur.

LXXXVIII. Multæ et atroces inter se militum cædes, post seditionem Ticini cœptam manente legionum auxiliorumque discordia; ubi adversus paganos certandum foret, consensu. Sed plurima strages ad septimum ab urbe lapidem: singulis ibi militibus Vitellius paratos cibos, ut gladiatoriam saginam, dividebat: et effusa plebes totis se castris miscuerat. Incuriosos milites, vernacula utebantur urbanitate, quidam spoliavere, abscisis furtim balteis, " an accincti forent," rogitantes. Non tulit ludibrium insolens contumeliæ animus: inermem populum gladiis invasere: cæsus inter alios pater militis, cum filium comitaretur; deinde agnitus: et, vulgata cæde, temperatum ab innoxiis. In urbe tamen trepidatum, præcurrentibus passim militibus. Forum maxime petebant, cupidine visendi locum, in quo Galba jacuisset. Nec minus sævum spectaculum erant ipsi, tergis ferarum et ingentibus telis horrentes, cum turbam populi per inscitiam parum vitarent, aut, ubi lubrico viæ vel occursu alicujus procidissent, ad jurgium, mox ad manus et ferrum transirent. Quin et Tribuni Præfectique cum terrore et armatorum catervis volitabant.

LXXXIX. Ipse Vitellius, a ponte Milvio, insigni equo, paludatus accinctusque, Senatum et Populum ante se agens,

*Cœptam: manente etc.*] Sic vulgo interpungunt. At ego interpunctionem sustuli; nam cohærent ista: manebat discordia post cœptam Ticini seditionem, de qua supra narratum est. ERN.

*Ut gladiatoriam saginam*] Cod. Agr. *ad gl. sag.* Cyprianus ep. ad Donatum: *Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvina assidui nidoris moles membrorum robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat.* Plura dabit And. Schottus Obs. hum. 5, 9.

*Vernacula urbanitate*] Libri aliquot veteres, *vernacula utebantur urbanitate.* Fuit omnino, *ut rebantur.* Illi jocari se urbanatim censebant; at milites rusticatim tetigerunt. LIPS. *Utebantur* est etiam in Flor. Guelf. (Bud.) Agr. edd. ante Rhenanum omnibus. Lipsii conjecturam recepit J. Fr. Gronovius. (Sic et Brot. Lall. Ern.) *Utebantur* quoque tolerari posse putabat J. Gronovius. ERN. Cur Rhen. vocem sustulerit, non adparet; nihil monet. Sequor codices. *Vernula urbanitas* occurrit apud Petron. c. 24. ubi cf. Burm.

*Abscissis s. balteis*] MS. Flor. (et Bud.) ed. pr. *abscisis*; quod recepit Jac. Gronovius: quem imitati sumus. Sæpe hæc forma a librariis in alteram conversa, et a viris doctis apud Livium et alios restituta. Vid. viros doctos ad Liv. 4, 19. 31, 34. adde infra 3, 74. ubi similiter ed. pr. (et cod. Bud.) *absciso.* ERN.

*Cum filium comitaretur*] Pater undecumque filium prosecutus, non a filio, sed ab alio milite hominem ignorante, irato autem omnibus paganis, quod alicujus illorum fraude zonam perdidisset, et in obvios sæviente, cæsus est: deinde intellectum, non hunc in ea culpa, neque e scurris istis fuisse, sed filio comitem hæsisse. GRON. Hæc contra Reinesium dicta, qui ep. 51. tentabat *conviciaretur*: existimans patrem a filio cæsum. ERN.

*Sævum spectaculum*] Flor. *scævum*; quod recepit J. Gronovius. Mihi id verbum lenius quam pro re videtur. Et satis hodie constat, librarios pronissimos fuisse in hanc scripturam, *scævus* et *scævire* pro *sævus* et *sævire*: quod interdum nimis cupide viri docti arripuerunt, ut bene monet Drakenb. ad Liv. 2, 27. ERN.

*Ipsi*] Decst in Bud. sic et mox *ubi.*

*Paludatus accinctusque*] Sueton. ta-

quo minus, ut captam, urbem ingrederetur, amicorum consilio deterritus, sumpta prætexta et composito agmine, incessit. Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa e legionibus aliis vexilla, mox XII alarum signa, et post peditum ordines, eques: dein quatuor et XXX cohortes, ut nomina gentium, aut species armorum forent, discretæ. Ante aquilam Præfecti castrorum Tribunique et primi Centurionum, candida veste: ceteri juxta suam quisque centuriam, armis donisque fulgentes. Et militum phaleræ torquesque splendebant: decora facies, et non Vitellio Principe dignus exercitus. Sic Capitolium ingressus, atque ibi matrem complexus, *Augustæ* nomine honoravit.

XC. Postera die, tamquam apud alterius civitatis Senatum Populumque, magnificam orationem de semetipso prompsit, industriam temperantiamque suam laudibus adtollens: consciis flagitiorum ipsis, qui aderant, omnique Italia, per quam somno et luxu pudendus incesserat. Vulgus tamen, vacuum curis, et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum, clamore et vocibus adstrepebat: abnuentique nomen *Augusti*, expressere, ut adsumeret: tam frustra, quam recusaverat.

XCI. Apud civitatem, cuncta interpretantem, funesti ominis loco acceptum est, quod, maximum Pontificatum adeptus, Vitellius de cæremoniis publicis XV Kal. Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus: adeo omnis humani divinique juris expers, pari libertorum amicorumque socordia, velut inter temulentos agebat. Sed comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrans, omnem infimæ

men tradit sic fecisse cap. 11. *Urbem ad classicum introiit paludatus ferroque succinctus inter signa atque vexilla, sagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.* Sed Tacitus audiendus. ERN. Huc facit nummus Vitellii, in quo togatus a Roma galeata excipitur, adscripto ADVENTUS AUGUSTI. Eandem epigraphen alius habet, qui paludatum Imperatorem et equo vectum sistit. Vide Oiselii thes. sel. NN. tab. 90. Uterque ex Taciti hoc loco egregie explicatur, nec opus erat, ut a Grainvillio in Mém. pour l'hist. des sciences et des beaux arts a. 1703. posterior adversus Tacitum adlegaretur. Cf. Brotërius.

*Ante Aquilam*] Accipe, ante suam quemque aquilam. Alioqui verius *aquilas:* quatuor nam erant simul. LIPS. Ryckius putat *aquilas* firmari MS. Flor. in quo *aquila*. Sed in illo libro sæpe omittitur litera *m*, omissa sc. virgula supra ultimam literam. Sic mox c. 92. *ad præfectura:* quod similiter frustra Pichena putat firmare Lipsii conjecturam. Virgula omissa est per negligentiam H. 3, 2. *reserata* pro *reseratam*. ERN.

*Decora facies et non Vitellio Principe dignus exercitus*] Hæc tota clausula non erat in MS. Bud. Suspicabatur Rhen. e margine in contextum relatam (servat tamen). *Et* accipe dictum pro *sed*, ut centies alibi. *Honoravit*, quod Rhen. (e Bud.) edidit, etiam Flor. Guelf. et alii. At edd. ante Rhen. omnes *decoravit*. ERN.

*Comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrans*] Nusquam jejunius et infelicius ὁ πάνυ Savilius, qui interpretatur, munera a candidatis Consulatus edita civiliter celebrans. Imo cum suis candidatis circumiens et prensans Patres, penes quos tum erant comitia. Livius 39, 32. *Claudius Consul sine lictoribus cum fratre toto foro volitando, cla-*

plebis rumorem, in theatro ut spectator, in circo ut fautor, adfectavit: quæ, grata sane et popularia, si a virtutibus proficiscerentur, memoria vitæ prioris, indecora et vilia accipiebantur. Ventitabat in Senatum; etiam cum parvis de rebus Patres consulerentur. Ac forte Priscus Helvidius, Prætor designatus, contra studium ejus censuerat. Commotus primo Vitellius, non tamen ultra, quam "Tribunos plebis in auxilium spretæ potestatis" advocavit. Mox, mitigantibus amicis, qui altiorem iracundiam ejus verebantur, "nihil novi accidisse," respondit, "quod duo Senatores in Republica dissentirent: solitum se etiam Thraseæ contradicere." Inrisere plerique inpudentiam æmulationis: aliis id ipsum placebat, quod neminem ex præpotentibus, sed Thraseam, ad exemplar veræ gloriæ legisset.

XCII. Præposuerat Prætorianis P. Sabinum, a Præfe-

*mantibus adversariis et majore parte Senatus, meminisse eum debere prius, se Consulem Populi Rom. quam fratrem P. Claudii esse: quin ille sedens pro tribunali aut arbitrum aut tacitum spectatorem comitiorum se præberet, coerceri tamen ab effuso studio nequiit.* Val. Maximus 5, 2. *Metellus non dubitavit Consul pro Q. Calidio Prætoræ candidato supplicare populo, quod Tribunus pl. legem, quo pater ejus in civitatem restitueretur, tulerat.* Cicero pro Plancio c. 6. *Si, quotiescumque præteritus erit is, qui non debuit præteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari, nihil jam est, quod populo supplicetur; nihil quod diribitio, nihil quod suffragatio magistratuum, renuntiatio suffragiorum exspectetur.* Sic enim legendum. Et in eadem c. 10. *precibus aliquid attulimus etiam nos, appellavi populum, tribubus submisi me et supplicavi; ultro mehercules se mihi etiam offerentes, ultro pollicentes rogavi.* Sueton. Aug. 56. *Quoties Magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circumibat, supplicabatque more solenni.* Prorsus sic postea civiliores Principum agebant inter Patres. Plinius ep. 320. *Excesseramus sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum: non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas custodiebatur. Magni undique dissonique clamores: procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina in medio, multique circuli et indecora confusio.* Ex his immodicis studiis homini prudenti facile colligere est, simile quid, licet non tam vehemens, etiam severos fecisse. Idem Plinius Paneg. 69. *Nec ideo segnius juvenes nostros exhortatus es, Senatum circumirent, Senatui supplicarent: atque ita a Principe sperarent honores, si a Senatu petissent. Quo quidem in loco, si quibus opus exemplo, adjecisti, ut te imitarentur.* cap. 71. *Quo gaudio exceptum est, cum candidatis, ut quemque nominaveras, osculo occurreres? devexus quidem in planum, et quasi unus ex gratulantibus.* Et mox: *Contigit ergo oculis nostris insolita facies, Princeps et candidatus, æquales et simul stantes: intuerique parem accipientibus honorem, qui dabat.* Denique: *Cum orationi oculos, vocem, manum commodares: ut si alius eadem ista mandasset, omnes comitatis numeros obibas: atque etiam, cum suffragatores nomina, honore quo solent, exciperent: tu quoque inter excipientes eras, et ex ore Principis ille Senatorius assensus audiebatur.* Hoc est, *civiliter cum candidatis comitia celebrare.* Et sic gratiam quærebat in Senatu. Quod sequitur, delinimentum ad plebem est, et a præcedenti differt toto genere. GRON.

*Thraseæ contrad.*] Cf. 16, 21. ubi plura de Thrasea. Mox Ferrettus malebat *inprudentiam*.

*Quod neminem ex præpotentibus*] Sic e Flor. Pich. pro *quod non*. *Neminem* etiam ed. pr. MS. Guelf. in marg. sed antiqua manu, eraso τῷ *non* in textu. ERN. Bud. *non*.

*P. Sabinum, ac Præfecturæ cohortis*] Bene Mercerus, *P. Sabinum a Præfectura cohortis, et Julium*: id est, qui dumtaxat cohorti præfuerat, et docet, alium hunc Sabinum a fratre Vespasiani esse. LIPS. Verum puto, et bene receptum a Pichena. Sed Florentinus nil

ctura cohortis; Julium Priscum, tum Centurionem: Priscus Valentis, Sabinus Cæcinæ gratia pollebant. Inter discordes Vitellio nihil auctoritatis: munia Imperii Cæcina ac Valens obibant: olim anxii odiis, quæ, bello et castris male dissimulata, pravitas amicorum, et fecunda gignendis inimicitiis civitas auxerat, dum ambitu, comitatu, et inmensis salutantium agminibus contendunt comparanturque; variis in hunc aut illum Vitellii inclinationibus. Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. Simul ipsum Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Nec eo segnius invaserant domos, hortos, opesque Imperii: cum flebilis et egens nobilium turba, quos ipsos liberosque patriæ Galba reddiderat, nulla Principis misericordia juvarentur. Gratum primoribus civitatis, etiam plebes adprobavit, quod reversis ab exilio jura libertorum concessisset: quamquam id omni modo servilia ingenia conrumpebant, abditis pecuniis per occultos aut ambitiosos sinus:

juvat, ut illi videtur. Vid. ad c. 89. ERN. Bud. ut vulgo, *ad prefecturam*. Flor. *ad prefectura*, omissa lineola.

*Dum Centurio esset*] In Farnesiano non erat vocula *esset*: itaque ex facili et vero emendavi, *tum Centurionem*. Significat utrumque ex parvo aut modico ad primam dignitatem promotum. LIPS. Recepit Pichena, quod etiam in Flor. *Centurionem* scriptum est. Ed. pr. (et Agr. cod.) *dum Centurio est*. J. Gronovius *dum Centurionem* defendit recipitque. Exemplum quidem ex argumento Asconiano or. pro Mil. alienum est: *et ob id mense Januar. nulli dum Consules nec Prætores essent*. ERN. Bud. *dum C. esset*.

*Reversis ab exilio jura libertorum concessit*] Interpretor; cum Galba exsules restituisset; non tamen etiam bona: credo, quia in fiscum illata, et pleraque jam per prodigentiam Neronis consumpta. Sed nec pars, quæ accusatoribus sententia judicum semel donata, temere eripienda videbatur. Itaque egebant. Vitellius eos miseratus, huc decurrit, ut largiretur jura libertorum, dupliciter quidem: redderet, inquam, jura libertorum veterum, daret et eorum, qui postea manumissi: non aliter, quam si ab illo justo domino manumissi fuissent. In speciem igitur ingens hoc donum. Nam operas liberti domino debebant, alimenta, si egeret, denique testamento bonorum semissem: quæ omnia prompta et obvia tibi apud ICtos. Hoc vulgo etiam appellant jus patronatus et jus patronorum. Plinius ep. 10, 12. (6.) Ejusdem sententiæ versus illos Martialis censeo (Princeps ICtorum hodie varie eos tamen traxit) ad Trajanum 10, 34. *Qui sua restituis spoliato jura patrono, Libertis exsul non erit ille suis.* Nec dissimilis, imo major benignitas Augusti in Iulum Antonii hostis sui filium: de quo Dio 51, 15. Τῷ Ἰούλῳ, τῷ τοῦ Ἀντωνίου τῆς τε Φουλουΐας υἱεῖ, τοὺς ἐξελευθέρους αὐτοῦ πάνθ' ὅσα τελευτῶντας σφᾶς καταλιπεῖν αὐτῷ κατὰ τοὺς νόμους ἔδωι, παραχρῆμα δοῦναι ἐκέλευσε. LIPS.

*Quamquam id omni modo*] Vocem *omni modo* ex Fl. Pichena edidit. Est etiam sic in (Bud. et) Guelf. Edd. omnes *omnino*. ERN.

*Ambitiosos sinus*] Arguí olim de mendo, ipse fortasse arguendus. Sententiam nunc expedio: Vitellium quidem exsulibus reversis jura reddidisse vetera in libertos; sed non cum magno fructu: quia pecunias suas occultabant per varias artes et recessus: ita in alimentis aliisque patronos fraudabant, ut modici ipsi et inopes. Voci *sinus* ea vis subest fraudandi, subtrahendi, occulendi. Tacitus 4, 14. *Tradi se Præfectis Centurionibusque, quos, ubi spoliis expleverunt, mutari: exquirique novos sinus et varia prædandi vocabula.* Plinius 36, 15. (24.) *Unde M. Scaurus pater, toties princeps civitatis, et Marianis sodaliciis rapinarum provincialium sinus?* Sinum vocat hominem ipsum, in quem rapinæ omnes collatæ velut in sinum. Plura exempla huic rei vide, si

et quidam in domum Cæsaris transgressi, atque ipsis dominis potentiores.

XCIII. Sed miles, plenis castris et redundante multitudine, in porticibus aut delubris et urbe tota vagus, non principia noscere, non servare vigilias, neque labore firmari: per inlecebras urbis et inhonesta dictu, corpus otio, animum libidinibus inminuebant. Postremo, ne salutis quidem cura, infamibus Vaticani locis magna pars tetendit: unde crebræ in vulgus mortes. Et, adjacente Tiberi, Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas et æstus inpatientia labefecit. Insuper confusus, pravitate vel ambitu, ordo militiæ. Sedecim Prætoriæ, quatuor urbanæ cohortes scribebantur, quis singula millia inessent. Plus in eo delectu Valens audebat, tamquam ipsum Cæcinam periculo exemisset: sane adventu ejus partes convaluerant, et sinistrum lenti itineris rumorem prospero prœlio verterat: omnisque inferioris Germaniæ miles Valentem adsectabatur: unde primum creditur Cæcinæ fides fluitasse.

XCIV. Ceterum non ita Ducibus indulsit Vitellius, ut non plus militi liceret: sibi quisque militiam sumpsere; quamvis indignus, si ita maluerat, urbanæ militiæ adscribebatur: rursus bonis, remanere inter legionarios aut alares volentibus, permissum: nec deerant, qui vellent, fessi morbis et intemperiem cœli incusantes. Robora tamen legionibus alisque subtracta: convulsum castrorum decus, XX millibus, e toto exercitu, permixtis magis quam electis. Concionante Vitellio, postulantur " ad supplicium Asiaticus et Flavius et Rufinus, Duces Galliarum, quod pro Vindice bellassent." Nec coercebat ejusmodi voces Vitellius; super insitam inerti animo igna-

lubet, apud Barn. Brissonium in lexico: et lumen ab eo fœnerare, qui vere Europæ lumen. LIPS. *Ambitiosos sinus* Pichena dici putat, quod depositæ pecuniæ apud potentiores. ERN. Bud. *ambitiosissimos.*

*Imminuebant*] Sic Flor. Agr. (Bud. Reg. Lall.) ed. pr. Ceteri scr. et edd. (etiam Rhen.) *imminuebat.* Primus recepit Ryckius. Librarios turbavit singularis numerus in *miles*, ut sæpe. ERN.

*Infamibus Vaticani locis*] Ob aerem parum purum: quod etiam hodie experiuntur. Frontinus l. 2. de Aquæd. vult id emendatum in tota urbe: suo ævo, idque ablutione aquarum: *Ne pereuntes quidem aquæ otiosæ sunt. Nam immunditiarum facies et impurior spiritus et caussæ gravioris cœli, quibus apud veteres urbis infamis aer fuit, sunt remotæ.* LIPS. Mox e Flor. (et Agr.) a Ryckio et J. Gronov. editum *adjacente Tiberi* pro *adjacentia.* Consentit (Reg. Lall.) ed. pr. Vellem, docuissent *jacere* et *adjacere* de fluminibus dici: quod dum fiat, (nam mihi nullus locus occurrit) vulgatum servabo. Locus Plinii H. N. 6, 17 (21). *gens adjacens mari* plane est alienus. Duo epitheta sine copula locum habent, si alterum sit participium ut h. l. ERN. Bud. *adjacenti*, Bip. *adjacente*, scil. Vaticano campo; eo quod is adjacet Tiberi. Sic salva lectio Flor.

*Germanorum Gallorumque*] MS. Bud. ed. pr. *Gadavorum.* Unde Rhen. putabat legendum *Batavorum* (non tamen recepit). Sed contra monet Vertranius, Batavorum cohortes domum remissas fuisse. ERN. Cf. c. 69.

*Super insitam animo ignaviam*] Flor. inserit vocem, *insitam morte animo.* Putarem, *insitam forte*: etsi hoc ad caus-

viam, conscius, sibi instare donativum et deesse pecuniam, omnia alia militi largiebatur. Liberti Principum, "conferre pro numero mancipiorum," ut tributum, jussi. Ipse, sola perdendi cura, stabula aurigis exstruere: circum gladiatorum ferarumque spectaculis opplere: tamquam in summa abundantia, pecuniæ inludere.

XCV. Quin et natalem Vitellii diem Cæcina ac Valens, editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere; ingenti paratu et ante illum diem insolito. Lætum fœdissimo cuique, apud bonos invidiæ fuit, quod exstructis in campo Martio aris, inferias Neroni fecisset: cæsæ publice victimæ crematæque: facem Augustales subdidere: quod sacerdotium, ut Romulus Tatio Regi, ita Cæsar Tiberius Juliæ genti sacravit. Nondum quartus a victoria mensis, et libertus Vitellii, Asiaticus, Polycletos, Patrobios, et vetera odiorum nomina æquabat. Nemo in illa aula probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter, prodigis epulis et sumptu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si

sam sequentem traho. LIPS. Pichena suspicatur *morte* natum ex *inerti*. ERN. Bip. recepere *inerte animo*. Malim cum Pichena *inerti*. Sic Cic. ep. ad Fam. 12, 20. et alibi passim *inertiam* et *ignaviam* jungit.

*Omnia alia militi*] Hunc quoque locum liberare inusta nota possumus. Ait enim hoc: Vitellium, quia pecuniam dare militi non poterat, impunitatem et licentiam omnis culpæ dedisse; ut hac saltem blanditia eum retineret. Nec aliter sane fit in paupere militia. LIPS.

*Liberti Principum*] Non muto: et scio multos Romæ, eosque prædivites, priorum Principum libertos. Videatur tamen et lectio et rapina proclivior, si libertos *Patrum* substituas; aut de iis *principes* hic capias. LIPS. Hoc verum. *Conferre* non erat in MS. Budensi. Ed. pr. vitiose *conferri*. ERN. *Principum* intellige *priorum Cæsarum*.

*Cæcina ac Valens*] Sic Rhen. e Bud.

*Exstructis in campo*] Scriptor incertus apud Suidam in voce Βιτέλλιος, hanc rem sic narrat: Καὶ τὸν νεκρὸν τοῦ Νέρωνος ἐς κοιλόν τινα καὶ ἀφανῆ τάφον καταχείμενον ἀπεσήμηνε. LIPS.

*Neroni fecisset*] Reposui pro *fecisset*. LIPS. Vel *fecissent*, ut edd. Puteol. Ber. (Alc.) habent. Mox *facem* Flor. ut voluerat Muretus, et vir doctus in ed. Gryph. Ita tollitur ambiguitas levis, ne *Augustales* ad *faces* ut adjectivum referatur. *Facem*, intellige, suam quisque, suæ quisque aræ. MS. Harl. Arund. *subditæ*. ERN. Bud. *jecisset*. Dein *faces*. Contra *facem* Agr. et Reg. Lall. Put. Alc. *subditæ*. Bud. Agr. *subdere*. Rhen. bene *subdidere*.

*Vetera odiorum nomina æquabat*] Nempe ut insolentia, rapacitate, divitiis etiam, ita invidia et odio. ERN.

*Probitate aut ind.*] Bud. *prob. et ind.*

*Sumtu Caianæ aquæ*] De Caiana aqua, id est, ut (Lupanus et Vertranius) volunt, aquæductu illo sumptuoso, nugæ magnæ. Nec Ferretti quidem emendatio ad genium meum aut librorum, *Caianæ aulæ*. Nobis suboluit mendum et ejus caussa, e deductione copulæ: quam reddimus legimusque, *sumptu saginaque*. Saginæ vox apta, quoties de helluone Vitellio: et Tacito velut de industria usurpata. Ut c. 71. *luxu et saginæ mancipatus emptusque*. Iterum 1, 62. *medio die temulentus et sagina gravis*. Nec aliter Cicero pro Flacco 7. *Qui multitudinem illam non auctoritate, sed sagina tenebat*. Hæc apta et bona. Palmerii tamen conjectura (in Spicil. ap. Grut. in lamp. t. 4.) non minus recta, *sumptu ganeaque*. LIPS. Hoc recepit primus Pichena. Flor. (et Reg. Lall.) *gaianeaque*; quod voluit exprimere Spirensis in ed. pr. *galane aquæ*. In Guelf. man. sec. fecit *baianæ aquæ*; inepte. ERN. *Ganeæ* voce aliquoties utitur noster, ut A. 3, 52. 6, 4. Glossema habet Agr. *sumtu luxuriaque*. Malherbius ap. Gevartium in electis 3, 3. legit *sumtu ganeæ aleæque*, quod Gevartio res ipsa, non conjectura, esse videtur.

præsentibus frueretur, nec in longius consultans, novies millies sestertium, paucissimis mensibus, intervertisse creditur. Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat; donec successere Mucianus et Marcellus, et magis alii homines, quam alii mores.

XCVI. Prima Vitellio "tertiæ legionis defectio" nuntiatur, missis ab Aponio Saturnino epistolis, antequam is quoque Vespasiani partibus adgregaretur. Sed neque Aponius cuncta, ut trepidans re subita, perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur: "unius legionis eam seditionem, ceteris exercitibus constare fidem." In hunc modum etiam Vitellius apud milites disseruit, Prætorianos nuper exauctoratos insectatus, "a quibus falsos rumores dispergi, nec ullum civilis belli metum," adseverabat, suppresso Vespasiani nomine, et vagis per urbem militibus, qui sermones populi coercerent: id præcipuum alimentum famæ erat.

XCVII. Auxilia tamen e Germania Britanniaque et Hispaniis excivit, segniter, et necessitatem dissimulans. Perinde Legati provinciæque cunctabantur: Hordeonius Flaccus, suspectis jam Batavis, anxius proprio bello, Vectius Bolanus, nunquam satis quieta Britannia; et uterque ambigui: neque ex Hispaniis properabatur, nullo tum ibi Consulari: trium legionum Legati, pares jure et, prosperis Vitellii rebus, certaturi ad obsequium, adversam ejus fortunam ex æquo detrectabant. In Africa legio cohortesque, delectæ a Clodio Macro, mox a Galba dimissæ, rursus jussu Vitellii militiam cepere: simul cetera juventus dabat impigre nomina: quippe

*Novies millies sestertium*] Sidonius in Paneg. ad Majorianum, abire ab hac summa videtur, ubi vitia singulorum Principum recensens, de isto ait v. 325. —*post quinta Vitelli Millia, famosi ventris donata barathro.* Valde, inquam, abit, si de tota ejus sagina et luxu accipis: quod non debes, sed magis de singularibus epulis, et quod tantum in paucis aliquot cœnis. Xiphilinus quidem ex Dione 65, 4. ὀλίγων ἡμερῶν διελθουσῶν, ἑκατὸν εἰς τὸ δεῖπνον μυριάδας ἀναλῶσαι, conscripsit, quæ sunt Latine *quadragies* HS; nobis *centum millia* Philippicorum. Tale et Suetonius indicat c. 13. cum *singulos apparatus dominis, sive convivatoribus, constitisse non minus quadringenis* HS. asserit; id est, *decies mille* Philippicis: sed observa, *singulos*. Sidonius igitur in singulis illis millibus, dum *quina* ea numerat, intelligit *millena* HS. neutro (ut cum Grammaticis dicam) genere: atque ita juste efficit *quinquagies* HS. sive *centum vigintiquinque millia* Philippicum, prope ad Xiphilinum. Quod si in eo, pro more et communi sermone, *quina millia* dumtaxat capias, id est *quina* HS. quantulum sint? *centum vigintiquinque Philippæi*: ridiculum. LIPS. Vide Pecuniæ Veteris 3, 6. et 4, 6. GRON. *Novies millies* HS. respondent 180,000,000, libr. Franc.

*Marcellus*] *Eprius.* Cf. A. 16, 22. H. 4, 6 et 43.

*Mollius interpretabantur*] Sic de conjectura edidit Rhenanus, idque omnes secuti sunt: firmatur a solo Flor. si Ryckio fides: in cujus MS. erat *melius* solita confusione, de qua supra vidimus. Edd. ante Rhen. (et Bud.) *nullius.* ERN.

*Militiam cepere*] Sic e Flor. rectissime restituit J. Gronovius. Consentit Guelf. Omnes antea edd. *cœpere* servant, nimis patienter; cum vel sine libris corrigendum esset. Omnino sæpe hæc duo ver-

integrum illic ac favorabilem Proconsulatum Vitellius, famosum invisumque, Vespasianus egerat: perinde socii de Imperio utriusque conjectabant: sed experimentum contra fuit.

XCVIII. Ac primo Valerius Festus, Legatus, studia provincialium cum fide juvit: mox nutabat, palam epistolis edictisque Vitellium, occultis nuntiis Vespasianum, fovens, et hæc illave defensurus, prout invaluissent. Deprehensi cum litteris edictisque Vespasiani, per Rhætiam et Gallias, militum et Centurionum quidam, ad Vitellium missi, necantur: plures fefellere, fide amicorum, aut suomet astu occultati. Ita Vitellii paratus noscebantur, Vespasiani consiliorum pleraque ignota: primum socordia Vitellii; deinde Pannonicæ Alpes, præsidiis insessæ, nuntios retinebant: mare quoque Etesiarum flatu in Orientem navigantibus secundum, inde adversum erat.

ba confunduntur; inprimisque in ed. pr. perpetua prope hæc confusio est. ERN. Bud. *cepere*. Sed is raro utitur diphthongo.

*Integrum illic*] De Vitellio eadem Suetonius in vita ejus cap. 5. At de Vespasiano mutat c. 4. et *Africam integerrime*, inquit, *nec sine magna dignatione administravit*. Qui concilientur, non video. LIPS. Possis forte sic, si integritatem dicas etiam fuisse in severitate: cum nihil ambitioni daret, summum jus in omnibus exigeret, acerbe coerceret improbos: quod et e verbis *magna dignatione* colligas. Vid. viros doctos ad Sueton. Cæs. 4. Tales qui sunt, vulgo sunt invisi. Mox bene Rhenanus *perinde* fecit e *proinde*. ERN. Ex ingenio.

*Prout invaluissent*] Non male, *prout ii valuissent*. Temporum enim hominem describit, qui, nunc in suspenso, inclinaturus erat ad partes valentioris. Multi ejusmodi vulpiones præsertim per bella civica. Talis Rex Juliates, A. 12, 13. qui *societatem Meherdatis palam induerat, in Gotarzem per occulta et magis fida inclinabat*. Et depingit in uno Claudianus de bello Gild. 250. *Libravit geminas, eventu judice, vires, Ad rerum momenta cliens; seseque daturus Victori*. LIPS.

*Suomet astu*] A Ferretto est, male antea, *statu*. LIPS. Immo sic et Flor. Agr. ERN. Bud. *statu*.

*Mare quoque Etesiæ*] Intricata valde lectio in scriptis. Vaticanus: *mare quoque et Blæsi flabra aquilonis, harum flatu*: nec aliter Farnes. At Budensis, *mare quoque et esi flabra Aquilonis verum flatur*. Nos legimus, *mare quoque Etesii flabant Aquilones. Horum flatu*. Plinius 2, 47. *Post biduum iidem Aquilones constantius perflant, per dies XL, quos Etesias vocant*. Et clarum certe est, Aquilones propitios optabilesque iis, qui ex Italia Orientem adnavigant: qui ex eo Italiam, contra. Cæsar B. C. 3, 107. *Ipse enim necessario Etesiis tenebatur, qui Alexandria navigantibus sunt adversissimi venti*. LIPS. Vid. not. seq. ERN. Lectionem Budensis male reddidit Rhen. Ibi scil. non legitur *verum*, sed *Aerum*, quod nil aliud est quam Flor. *arum*, inserta litterula corruptum. De Etesiis præter notata ad A. 6, 33. vide Manutii Quæs. per epist. 2, 6. et Kircherum in mundo subterr. 4, 3.

*Inde adversum erat*] Sensum velle, *inde adversum iter*, Freinshemius putat. Crederem, si reliqua vulgata constarent. Sed nihil certius, quam ὑποβολιμαῖα et expungenda in vulgatis esse τὰ *ac flabant h.* in MSS. *flabra aquilonis* (quod Rhenano, Mercero, Acidalio, mihi denique, omnibus, opinor, alios ignorantibus in mentem venit) scribendum, *Mare quoque etesiarum flatu*: ita τὸ *erat* necessarium, τῷ *iter* locus nullus est. GRON. Add. Obs. 4, 2. p. 29, 30. Recepta in textum hæc correctio a J. F. Gronovio: quæ plane confirmatur scriptura MS. Flor. *mare quoque etEsi flabra aquilonis arum flatu*. Nam clarum est, *flabra aquilonis* notam marginalem, insertam esse a librariis, quod est in medio verbi *etesiarum*. Fuit in fine versus *etesi* in principio alterius *arum*: in margine *flabra aquilonis*. Bene autem monet Ryckius, *flabra aquilonis* esse e Lucretio 6, 730. quamquam etiam sunt 5, 741. De notis talibus insertis textui adde ad A. 16, 2. Ante Gronovium in editis erat: *Mare quoque etesiæ flabant. Harum flatu*, ut est etiam in Guelf.

XCIX. Tandem, inruptione hostium, atrocibus undique nuntiis exterritus, Cæcinam et Valentem expedire ad bellum jubet: præmissus Cæcina: Valentem, e gravi corporis morbo tum primum adsurgentem, infirmitas tardabat. Longe alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species: non vigor corporibus, non ardor animis: lentum et rarum agmen, fluxa arma, segnes equi: inpatiens solis, pulveris, tempestatum: quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior. Accedebat huc Cæcinæ ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia soluti in luxum: seu perfidiam meditantis infringere exercitus virtutem, inter artes erat. Credidere plerique, Flavii Sabini consiliis concussam Cæcinæ mentem, ministro sermonum Rubrio Gallo, "rata apud Vespasianum fore pacta transitionis:" simul odiorum invidiæque erga Fabium Valentem admonebatur, "ut inpar apud Vitellium, gratiam viresque apud novum Principem pararet."

C. Cæcina complexu Vitellii multo cum honore digressus, partem equitum ad occupandam Cremonam præmisit: mox vexilla quartæ, decimæ et sextædecimæ legionum; dein quinta

*Flabant* intelligebant, perflabant. Ed. pr. consentit Vaticano. Ern. Emendationis gloria acuto debetur Rhenani ingenio, etsi in textum recipere non sustinuerit. Ceterum ex h. l. probare nititur J. Fr. Gron. Obs. 4, 2. p. 30. omnes MS. Taciti codices ex eodem fluxisse. Cf. et Ern. in præf.

*Expedire*] Sic bene Acid. ut H. 1, 10 et 88. Recepere et Bip. pro vulgari *expediri*. Hoc tamen occurrit A. 14, 10.

*Et fluxa arma*] Copulam delevi cum Ryckio et Gronovio, quæ abest a Flor. (Bud.) Guelf. Agr. edd. pr. Puteol. Ber. ceterisque veteribus ante Lips. quas vidi. Mox edidi *perfidiam meditato*, ut placebat J. Gronovio. Nam *meditanti* est ex ingenio Rhenani. MSS. (Bud. etiam) et edd. vett. ante Rhenanum omnes *meditatio*. Ern. Agr. *meditantis*, quod bene respondet τῷ *inter artes erat*. Sic visum quoque Bip. Rhenani secunda habet *et fluxa*.

*Apud Vit.*] Sic Pich. e Flor. sic et Bud. et edd. vet. at Rhen. Lips. *ad Vitell.*

*Mox vexillarii quartædecimæ et sextædecimæ*] Libri scripti, *vexilla XIIII* et *XIII legionum*. Sed verius est, *XV*, (sic Savilius) aut, quod Mercero (et Brot.) placet, *quartæ*: nam de Britannicis mox sequitur, inter quas hæc *XIV* fuit. Ceterum, semel sciendum est, duplicia vexilla videri illo ævo fuisse. Prius, e veteranis: qui stipendiis peractis, id est vigesimo militiæ anno absoluto, sub vexillis habebantur, donec præmium et emerita acciperent: de quibus A. 1, 26. et alibi dixi. Alterum, ex electione, in necessitate aliqua aut bello: cum ipsæ legiones et aquilæ in castris aut provinciis relinquebantur, certa manu decerpta, qui sub vexillo mittebantur. Hi tales, vexillarii et e tali legione, dicuntur: ac nimisquam crebrum est in his libris. Testimoniis hæc firmare liceret: alias, aut ab alio fiet: nunc satis indicasse. Lips. Falso, ut docebimus. Sed MS. Flor. *vexilla in quatuordecim XIII legionum*. Sicque et ed. pr. unde J. Gron. corrigit *vexilla tertiæ, quartæ decimæ* et *s. legionum*: tertiam latuisse in præpositione *in*, et terminatione in *vexillarii*: sed ita tamen non eximitur scrupulus de quartadecima, quæ fuit Othoniana. MS. Guelf. pro XVI habet XVIII. Ern. Bip. e Flor. eruunt hanc: *vexilla quartæ, decimæ et sextædecimæ leg.* scil. sub *in* latere putant IV, quod notarius interpolando expresserit per *quatuor*, et sub XIII latere XVI, quod in vulgata extat. Bud. habet *vexilla in* XIIII *et* XVIII *leg.* Hanc XVIII legionem non admiserit Broterius, qui Variana clade periisse, neque deinceps memorari amplius docet, unde et apud nostrum H. 1, 18 et 55. et 4, 24. *duo et vicesimam* reponit. Ast, pace viri docti dictum sit, *duodevicesima* restituta vide-

et duoetvicesima secutæ: postremo agmine unaetvicesima Rapax et prima Italica incessere, cum vexillariis trium Britannicarum legionum et electis auxiliis. Profecto Cæcina, scripsit Fabius Valens exercitui, quem ipse ductaverat, " ut in itinere opperiretur; sic sibi cum Cæcina convenisse:" qui præsens, eoque validior, " inmutatum id consilium" finxit, " ut ingruenti bello tota mole occurreretur." Ita " accelerare" legiones " Cremonam," pars " Hostiliam petere" jussæ: ipse Ravennam devertit, prætexto classem adloquendi: mox Patavii secretum componendæ proditionis quæsitum. Namque Lucilius Bassus, post præfecturam alæ, Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio præpositus, quod non statim Præfecturam Prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur: nec sciri potest, traxeritne Cæcinam, an (quod evenit inter malos, ut et similes sunt) eadem illos pravitas inpulerit.

CI. Scriptores temporum, qui potiente rerum Flavia domo, monumenta belli hujusce composuerunt, " curam pacis et

tur postea. Saltem apud Grut. p. 1096, 6. *C. Marius Centurio leg. XVIII, a Trajano donis donatus occurrit*, et H. 1, 55. *duodevicesimam* omnino admittendam evincit Pichena. In loco nostro XVI omnino præferenda, quippe in vulgata totidem litteris expressa legitur. Scrupulum de *quartadecima* bene forsan solvunt Bip. sed sub *in* vel terminatione *rii* latere III potius arbitrarer, ni c. 96. a Vitellio defecisse narraretur. Itaque, dum quid melius, in Bip. emendatione adquiesco.

*Et duodevicesima*] Vatic. et ipsa res poscunt, *duoetvicesima*. Lips. Sic e Flor. rescripsit Pichena. Ed. pr. (et cod. Agr.) *duodecima et vicesima*. Ern. Bud. *duo et vicesima*.

*Cum vexillariis trium Britannicarum leg.*] Sic recte correxit Rhen. pro *hystris*. Ed. pr. *Istrium*: patet, *is* temere repetitum. Ern. Bud. *cum vexilliano hystrium*. Britannicæ quænam fuerint, videsis infra 3, 22.

*Quem i. ductaverat*] Vide de hac forma loquendi Cortium ad Sall. Jug. 70. Ern.

*Ipse Ravennam devertit*] Ita in MS. Flor. Bud. legitur: quod verum est, non *divertit*, ut putabat Rhenanus (et habent edd. vett.). Recepere Ryckius et J. Gron. Ern.

*Prætexto*] Sic Flor. Bud. unde edidit jam Rhenanus. Priores *prætextu*, ut est in Guelf. Agr. Mox *proditionis* omnes scr. et edd. Ern. Bud. *pretexto*: sed *x* et *s* sæpe in illo alternant. Mox Rhen. volebat *id secretum componendæ proditioni*. Bud. *ad s. c. proditionis*.

*Lucilius Bassus*] Frustra solicitant libri. Nam Vaticano est *Blæsus*: Farnesiano *Blœxus* (Bud. *Lucius Blœsus*). At Bassi cognomen firmat omnino priscum monumentum, quod Aquileiæ, cujus exemplar a Fulvio Ursino mihi traditum subjeci. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. PONT. MAX. TR. POT. II. IMP. VI. P. P. COS. III. DES. IIII. VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. CLASSE. RAVENATE. SVB. SEX. LVCILIO. BASSO. QVI. SENA. ET. VICENA. STIPENDIA. AVT. PLVRA. MERVERVNT. ET. SVNT. DEDVCTI. IN. PANONIAM. QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IS. DATA. AVT. SI. QVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. NON. APRIL. CAESARE. AVG. F. DOMITIANO. CN. PEDIO. CASTO. COS. ILATORI. VENETI. F. CENTVRIONI. AMAEZEIO. DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA. AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPITOLIO. AD. ARAM. GENTIS. IVLIAE. DE. FORAS. PODIO. SINISTERIORE. TAB. T. PAG. II. LOC. XXXXIIII. Lips. Extat ap. Gruter. p. 573. Ern.

amorem Reipublicæ" conruptas in adulationem " caussas," tradidere. Nobis, super insitam levitatem, et, prodito Galba, vilem mox fidem, æmulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteiretur, pervertisse ipsum videtur. Cæcina, legiones adsecutus, Centurionum militumque animos, obstinatos pro Vitellio, variis artibus subruebat: Basso eadem molienti minor difficultas erat, lubrica ad mutandam fidem classe, ob memoriam recentis pro Othone militiæ.

*Corruptas in adulationem caussas tradidere*] *Corruptas* Flor. ed. pr. quod etiam Rhen. edidit e Budensi lectione *corruptos*. Ceteri *corrupti*. Illud haud dubie exquisitius est. Mox *æmulatione etiam* Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhen. qui nescio an consulto omiserit *etiam*. Pichena restituit. ERN. Imo deest in Bud.

*Vilem mox fidem*] Reponunt Bip. *mox v. f.*, et provocant ad Flor. teste scil. Ryckio; ast contrarium docet J. Gron. Parum interest.

*Ne a. a. a. V. anteiretur*] Sic rescripsimus ex ed. pr. pro vulgato *anteirentur*: consentit manus sec. in Guelf. et deinde *videtur* pro *videntur*, ubi operæ dedere *videretur*, conformaturæ verbum hoc priori. Nempe de solo Cæcina esse sermonem, patet clare e verbis *prodito Galba*, quæ soli Cæcinæ conveniunt. Vid. Hist. 1, 53. tum e sequentibus, *æmulatione et invidia ne* etc. quod respicit dicta c. superiori in fin. et alibi. ERN. Bud. *anteirent—videntur*.

*Pervertisse ipsum Vitellium*] Vox Vitellii inepte repetita et inculcata, ut solet, ab interprete. Scribo, ea ejecta, *pervertisse ipsum videntur*. LIPS. Ed. pr. *prævenisse*, solenni confusione. Vid. Drakenb. ad Liv. 24, 5. ERN. Bene Lipsius glossema sustulit. In cod. Agr. ei voci puncta subjecta visuntur.

# C. CORNELII TACITI

# HISTORIARUM

## LIBER TERTIUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Flavianis de ratione belli deliberantibus moram alii, 2. festinationem Antonius Primus suadet 3. et obtinet. 4. Proxima Corn. Fusci auctoritas. 5. Principes Sarmatarum Iazygum in commilitium adsciti. Sido et Italicus Suevorum Reges tracti in partes. 6. 7. Antonio, Italiam invadenti, comes est Arrius Varus. Multas urbes occupant. 8. Verona fit belli sedes. Moras frustra aut sero nectunt Vespasianus et Mucianus. 9. Interim Duces mutuis epistolis bellum gerunt. 10. T. Ampius Flavianus, militi suspectus, ab Antonio servatur. 11. Hic alteram quoque seditionem, odio Aponii Saturnini ortam, comprimit. 12. Lucilius Bassus et 13. 14. Cæcina, a Vitellio deficientes, a militibus suis conjiciuntur in vincula. 15. Discordes Vitellianos ad Bedriacum adgredi statuit Antonius. 16. Aviditate navandæ operæ Arrius Varus rem in discrimen adducit; 17. eam Antonius constantia et virtute restituit, 18. victoria potitur. 19. Vespasiani, ea freti, Cremonam expugnare deposcunt. 20. Inconsultum eorum ardorem frustra retinet Antonius. 21. Sed adventantis hostis terror obstructas mentes consiliis Ducis aperit. 22—25. Prœlium atrox, anceps. Antonius egregii Ducis munia inplet, victoriam aufert. 26—33. Cremona obsessa, capta, cremata, 34. postea restituta. 35. Victæ legiones dispersæ.

36. Vitellius luxu torpet. 37. In urbem revectus Cæcinam condemnat; ei Rosium Regulum in unum diem Consulem sufficit. 38. 39. Junius Blæsus fraude L. Vitellii veneno tollitur. 40. 41. Fabius Valens libidine et cunctatione Vitellianorum res subruit et, 42. Flavianis Italiam occupantibus, 43. ad Stœchadas delatus, capitur. 44. Hispaniæ, Galliæ, Britannia, cuncta ad Vespasiani opes conversa. 45. Turbat tamen Britanniam Venutius: ibi varia sorte pugnatum. 46. Turbata quoque Germania. Mota et Dacorum gens, a Muciano ex Oriente reduce, repressa. 47. 48. Anicetus Polemonis libertus, Pontum infestans, capitur. Vespasianus Alexandriam pergit, ut urbem fame urgeat. 49. Antonius, post Cremonam superbior, 50. partem copiarum Veronæ relinquit, partem in Vitellianos expedit. 51. Nefarium facinus militis, ob occisum a se fratrem præmium petentis. 52. Festinationem Antonii apud Vespasianum criminatur Mucianus. 53. Is jactantius quam ad Principem litteras componit, Mucianum insectatus. Inde graves Ducum simultates.

ac Mœsicæ alæ perrupere hostem: nunc XVI alarum conjuncta signa pulsu sonituque et nube ipsa operient ac superfundent oblitos prœliorum equites equosque. Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero. Vos, quibus fortuna in integro est, legiones continete: mihi expeditæ cohortes sufficient. Jam reseratam Italiam, inpulsas Vitellii res audietis: juvabit sequi et vestigiis vincentis insistere."

III. Hæc atque talia, flagrans oculis, truci voce, quo latius audiretur, (etenim se Centuriones et quidam militum consilio miscuerant) ita effudit, ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et ceteri, " unum virum Ducemque," spreta " aliorum segnitia," laudibus ferrent. Hanc sui famam ea statim concione commoverat, qua, recitatis Vespasiani epistolis, non, ut plerique, incerta disseruit, huc illuc tracturus interpretatione, prout conduxisset; aperte descendisse in caussam videbatur: eoque gratior militibus erat, culpæ vel gloriæ socius.

IV. Proxima Cornelii Fusci Procuratoris auctoritas: is quoque, inclementer in Vitellium invehi solitus, nihil spei sibi inter adversa reliquerat. Titus Ampius Flavianus, natura ac

cessarium puto: nec illud certum, eas e civibus Rom. lectas fuisse. Vid. ad A. 4, 73. ERN.

*Idem suasor auctorque consilii ero*] i. e. quæ jam suasi, facere aggrediar. ERN.

*Quibus fortuna in integro est*] i. e. ut post c. 4. dicit, qui spem sibi inter adversa reliquerunt. ERN.

*Jam, reserata militia*] Non sperno: aptius tamen fortasse, certe clarius, *reserata Italia*. Atque id Taciti sive Antonii concionantis mentem propius tangit. LIPS. Pichena *reseratam Italiam*, quia in Flor. *reserata militiam* pro *reseratam* (v. H. 2, 89.) quod est in ed. pr. Id (probavit Freinsh.) recepit J. Fr. Gronovius. At J. Gronovius vult, *reseratam ibi viam:* quod vereor, ut multis placeat. Pichena verum vidit. *Reserare Italiam* etiam Cicero dixit Phil. 7, 1. ERN. Bud. *reserata militia*. Reg. Lall. *reseratam militiam*, unde Lall. forsan *reseratam militi viam*. Cum loco Cic. citato cf. H. 2, 17. Cod. Agr. *jam fractam militiam*.

*Hæc atque talia*] Sic Rhen. e Bud.

*Huc illuc tracturus interpretationem*] Acidalius malebat *interpretatione*. Verissime. Dicta huc illuc trahuntur, non interpretatio. Cicer. Acad. 4, 36. *hæc disputationibus huc et illuc trahuntur*. Et ut idem in Brut. 41. dixit *rem obscuram interpretando explanare*, sic alibi *interpretando huc illuc trahere*. ERN.

*Aperte descendisse*] Suspicari licet, *sed* absorptum esse syllaba finali præcedentis verbi, ut aliis locis observatum est: sed etiam alibi exempla ejus omissi consulto post *non modo* et similia. Itaque sine libris nil moveam. ERN.

*Eoque gratior militibus*] Sic edd. omnes et scripti (etiam Bud.) præter Flor. Agr. et ed. pr. in quibus *gravior*. Si additum esset *auctor* (ut c. 43.) probarem. Simpliciter *graviorem alicui* dici, intellecto *auctoris* verbo, non credo: sed *gratior* verum puto, quod et alibi in tali contextu scriptores de Ducibus dicunt. *Gravior* scripsit, qui id melius sequentibus, *proxima Corn. Fusci auctoritas*, convenire putabat, quasi non et grati gratiosique valeant. *Gratior et gravior* in libris scriptis confundi, notius est, quam ut aliis exemplis docere attineat. ERN. *Gravior* probat Gruterus. Bip. reponunt *auctorque gravior*, quia sequitur *proxima C. F. auctoritas*, putantque, finem vocis *videbatur* supprimendæ vocis *auctor* occasionem dedisse. Equidem in vulgata acquiesco.

*T. Ampius Flavianus*] Verum hoc nomen erui e libris, qui aut *Tam pius* aut *Tum pius* præferunt, cohæsu scilicet notæ. Ampia gens inter Romanos nota. Vulgo *Appium* hic legas, falso: quia non uni duplex prænomen esse potuit. LIPS. Sic et Flor. non modo hic, sed et libro superiori c. 86. MS. Ar. *cunctatior*. V. Burm. Suet. Cæs. 60. ERN.

senecta cunctator, suspiciones militum inritabat, tamquam adfinitatis cum Vitellio meminisset: idemque, quod, cœptante legionum motu, profugus, dein sponte remeaverat, perfidiæ locum quæsisse credebatur. Nam Flavianum, omissa Pannonia, ingressum Italiam, et discrimini exemptum, rerum novarum cupido Legati nomen resumere, et misceri civilibus armis, inpulerat: suadente Cornelio Fusco; non, quia industria Flaviani egebat, sed ut Consulare nomen surgentibus cum maxime partibus honesta specie prætenderetur.

V. Ceterum, ut transmittere in Italiam inpune et usui foret, scriptum Aponio Saturnino, "cum exercitu Mœsico celeraret." Ac, ne inermes provinciæ barbaris nationibus exponerentur, Principes Sarmatarum Iazygum, penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti: "plebem" quoque, "et vim equitum," qua sola valent, offerebant: remissum id munus, ne inter discordias externa molirentur, aut, majore ex diverso

*Idemque quod*] MS. Flor. (Bud.) ed. pr. *idque quod*. Defendit J. Gron. Mihi non persuadetur, *rem* dici posse *perfidiæ locum quæsisse*. Hominum hoc est, non rerum. Mox pro *resumere*, Guelf. *reassumere*, quod librarius e sui seculi more scripsit. Ern. Rhen. cum Put. Alc. *idemque*.

*Surgentibus cum maxime*] Sic MSS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) edd. pr. Ryck. J. Gron. Ceteri scr. (etiam Bud.) et edd. *tum maxime*, ut sæpe alibi in nostro. (Cf. 4, 27.) Mox *honesta specie* sane redundant, et salvo sensu abesse possent; neque tamen a Tacito esse negem. Ern.

*Ut transmitteret*] Clausula corrupta, manca, nec scio, an loco posita. Farnesianus: *ut transmitteretur in Italiam impunem eo visui foret scriptum Aponio, Satium revirescere crederetur*. Nec aliter Vatic. nisi quod, *usui*; et supra *Satium* adnotat *Sotium*. Ficulnum auxilium; certe mihi, qui sine libris non enato ex hac lacuna. Lips. Vere Lipsius conjecit, transpositionem factam, eaque fuit, ut alii, Pichena in primis, observavere, integræ paginæ. Pagina desinebat in *Satur* — proxima incipiebat a *nino cum*, unde factum *innocuum* in quibusdam libris. Sed interposita et prior descripta est altera, quæ incipiebat *revirescere* c. 7. desinebat in *ut inimici*, c. 9. Verum ordinem restituit Pichena. Ceterum, quia ea transpositio est in omnibus MSS. patet eos omnes ex uno libro fluxisse, quod etiam conjiciebat J. Fr. Gronovius Obs. 4, 2. p. 30. Ern. Pichenæ in loco restituendo facem prætulere Savilius et Mercerus.

*Et usui foret*] Sic bene Pichena. Vulgo *et eo usui foret*.

*Celeraret*] Bud. *celebraret*. Vulgo *celebrare*. Agr. *celerare*. Pichena recte *celeraret*.

*Ac ne*] Sic Pich. e Flor. Sic et Bud. Vulgo *at ne*.

*Inermes provinciæ*] Deductis sc. legionibus versus Italiam: unde periculum, ne barbari eam occasionem putarent infestandi provincias vicinas. Ern.

*Penes quos civitatis regimen*] Hæc verba insititia suspicatur Gruterus: saltem commode abesse poterant, redolentque glossatorem. Mox bene a Pichena interpunctum post *asciti*. Sic jam ed. pr. Ern. Scil. Gruterus inusitatum nostro putabat, *civitatem* pro gente integra poni; sed sic etiam *civitates Galliarum* habet A. 3, 40. 41.

*Plebem quoque et vim equitum*] Boxhornius *peditem quoque et vim equitum*. Hist. 1, 79. *Namque mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum vis velut extra ipsos: nihil ad pedestrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obstiterit*. Sed *plebem* ferri potest, quia opponitur *Principibus*. Pedites sumebantur e plebe: nobiles equis merebant: unde *pedites* pro plebe ap. Horat. A. P. 113. Ern.

*Remissum id munus* etc.] *Remissum* bene Rhenanus (e Bud.) dedit, ut est jam in ed. pr. Reliquæ ante Rhen. MS. Guelf. Reg. *omissum*. Ern.

*Ne inter discordias externa molirentur*] Sensus: ne adsuefierent, rerum externarum curam agere, πολυπραγμονεῖν in rebus ad suam civitatem nil pertinentibus, seque immiscere rebus Ro-

mercede, jus fasque exuerent. Trahuntur in partes Sido atque Italicus, Reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos; et gens fidei commissæ patientior: posita in latus auxilia, infesta Rhætia, cui Portius Septiminus Procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix, cum ala Auriana et VIII cohortibus ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Æni fluminis, quod Rhætos Noricosque interfluit, missus: nec, his aut illis prœlium tentantibus, fortuna partium alibi transacta.

VI. Antonio, vexillarios e cohortibus et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti, comes fuit Arrius Varus,

manis, et partibus alterutris accedere, ubi discordiæ et bella civilia nascerentur. Hæc ratio ad universam rem pertinet, oppido prudens illa, et magna cum Imperii Rom. calamitate posteris temporibus aut non intellecta, aut neglecta. Sequitur alia, ad causam præsentem proprie pertinens: *ne, majore ex diversa mercede, jus fasque exuerent:* h. e. si vel maxime utile videri possit, Sarmatas in partes vocari, tamen eam rem periculosam esse. Nam verendum, ne barbari desererent se, fide fracta, si a contraria, i. e. Vitelliana parte, major præmii spes ostenderetur. Solere enim barbaros venalem fidem habere, ut experientia posteri temporis docuit. *Aut*, quod Pichena (e Flor.) edidit, est et in (Bud. et) ed. pr. quæ et habet *everterent*, pro *exuerent*. ERN. Pro *aut* vulgo legitur *ac*. Bud. habet *exuerent*, sic Put. Alc. Rhen.

*Quis*] Flor. et Agr. sic; Bud. et vulg. *quibus*.

*Et gens fidei commissæ*] Mei codices *commissior*, *patientior*. An *fide cognitior*? an impar medicina nostra huic vulneri? Palmerius legit: *fidei commissior: patenti ora, opposita in latus auxilia:* nescio, an favente Æsculapio. LIPS. *Commissior patientior posita* etiam Flor. ed. pr. Unde Pichena conjiciebat *f. commissæ patiens; opposita*, ut terminatio *or* nata sit ex *op*? *Commissior* autem J. Gronovius non male putat factum e *commissique*. Nam, *fidem commissam* Latine dici posse, vix credo. Ceterum vulgatum est etiam in Guelf. ERN. Bud. vulgatum tenet. Boxhornius delebat *commissæ*, factum, ut putabat, ex superscripto τῷ *patientior quam ista* scil. Sarmatarum. Scheffer in Misc. Obs. vol. 8. p. 293. legi vult *quam jussorum patientior*. Bip. dant *fidei commixtione* i. e. ob fidem socialem *patientior*. Eodem sensu Salinerius *commissæ* exponit per junctæ.

*Infesta Rhætia*] Videtur scribendum: *opposita in latus auxilia infestæ Rhætiæ*. Ut infra: *L. Vitellium fratrem cum sex cohortibus et quingentis equitibus ingruenti per Campaniam bello opposuit*. GRON. Hæc bene dicerentur, si modo τὸ *opposita* certum esset. Nunc MSS. Flor. Guelf. edd. omnes ante Rhenanum *posita*, qui utrum e codice, an ex ingenio, dederit *opposita*, nescio. Silentium ejus facit, ut suspicer, esse ab operis, cum ne copulas quidem *ac*, *et*, *atque*, tacitus permutet. Atque hinc in omnes post editos venit. Itaque melius duxi *posita* restituere (quod et Bud. habet). Sensus est: In latere collocata sunt auxilia, quod infesta erat Rhætia, propter Procuratorem Vitellianum: quamquam etiam non absurda interpunctio Guelf. Puteol. Beroaldi *auxilia. Infesta Rhætia:* sed illa (et Rhen.) melior. Mox cum Ryckio (e Flor.) et J. Gronovio edidi *Septiminus*, quod et Guelf. et ed. pr. habent. Rhenanus induxit *Septimius* (e Bud. *Septumius*). *Septimini* in inscriptionibus occurrunt. ERN. Pro *posita* Bip. recepere *imposita*.

*Cum ala Tauriana*] Itane? atqui ala Tauriana, sive Taurina, adjuncta legioni Italicæ in Vitellii partibus erat: nec de transfugio aut discessu ejus usquam didicimus. Ut justa caussa sit, cur Vaticanam et Flor. lectionem recipiam, *ala Auriana*. Nomina enim fere equitum alis a Præfectis: Taurianæ, Frontonianæ, Valeriæ, Silanæ, Aurianæ et hæc ipsa Auriana perseveravit ad labens Imperium, legasque in Notitia Imperii sub dispositione Ducis Armeniæ: *Ala Auriana, Dascusæ*. LIPS. Consentit Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. Put. Ber. Alc. *Tauriana* primus (ex ing.) edidit Rhenanus, sive potius Frobenius et ejus operæ. At contra bene mox Rhenanus (ex ing.) edidit *Æni* pro *Rheni*, quod est in omnibus MSS. (et Bud.) et edd. ante Rhen. Male *nunc illis aut his*. ERN. Emendavit Pichena e Flor. Alterum habet Bud.

strenuus bello: quam gloriam et Dux Corbulo et prosperæ in Armenia res addiderant. Idem, "secretis apud Neronem rumoribus," ferebatur, "Corbulonis virtutes criminatus:" unde, infami gratia primum pilum adepto, læta ad præsens male parta, mox in perniciem vertere. Sed Primus ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, et Opitergii et Altini lætis animis accipiuntur: relictum Altini præsidium adversus classem Ravennatem, nondum defectione ejus audita: inde Patavium et Ateste partibus adjunxere: illic cognitum, "tris Vitellianas cohortes et alam, cui Sebonianæ nomen, ad Forum Allieni, ponte juncto, consedisse:" placuit occasio invadendi incuriosos; nam id quoque nuntiabatur: luce prima inermos

*Strenuus bello, quam gloriam*] Locus, quem fœdatum arbitror non vane. Nam scripti mei *strenuus bello magis quam gloria: et Dux Corbulo.* Divinabam olim, *strenuus bello, quam gloria: ei Dux Corbulo et prosperæ in Armenia res:* omissa voce, *addiderant*, quam additam censebam a glossographo sententiæ fulciendæ. Genus quidem hoc loquendi per Tacito crebrum A. 4, 61. *Agrippa claris majoribus, quam vetustis.* A. 1, 58. *Pacem quam bellum probabam:* et sæpius. Plautus ipse non refugit, Rudente 4, 4, 70. *Eo tacent, quia tacita bona est mulier semper, quam loquens.* Iterum Menæchmis 5, 1, 26. *Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam.* Nec quidquam in his mutandum: intelligitur enim magis, potius: uti Græcis crebro τὸ μᾶλλον. Iterum Plautus Rud. 3, 3, 22. *Certum est moriri, quam hunc pati lenonem in me grassari.* Livius 7, 8. *Multiplex, quam pro numero, damnum est.* Laberius: *Consistes ægre, et, quam descendas, decides.* Curtius 7, 7. *Nec me ars mea, quam benivolentia perturbat.* Noto pluribus, ut illustrem genus dicendi, quod obscurum visum multis et in Tacito durum. (Cf. Perizon. ad Sanctii Min. 4, 7, 4.) At de loco hoc ipso nunc quidem hæreo. Parum aptæ sententiæ videtur, *strenuus gloria;* nec antithesis clara. Rodolphus adnotarat in suo codice, *strenuus bello magis quam bonus.* (Ryckius potius ibi esse ait: *str. b. m. q. honestus.*) Certe valde mihi placeat legi, *strenuus bello, quam bonus, gloriam ei Dux Corbulo, etc.* Et vereor, uti Rodolphus in libro aliquo reppererit, non ausus sequi. Lips. Edidi *et Dux* e Flor. Guelf. edd. vett. omnibus, cui et Lipsiani MSS. (et Bud.) consentiunt. Ed. pr. consentit in h. l. MSS. Lipsii. Ern. Lipsius, Pichena, alii *et* mutavere in *ei*. Bip. *quam* in *cui*, pro quo olim scriptum *quoi*. Mihi vulgatum, subaudito *ei*, majorem vim habere videtur.

*Rumoribus*] Sic Bud. ut 15, 46. Vulgo *sermonibus*, glossema. *Secreto rumori* noster opponit *clarum* 15, 48. Est et A. 2, 55. *occultus rumor.*

*Varus*] Bud. *Varius*, paullo ante *Varrus*. Sic et alii codices variant.

*Occupantes Aquileiæ proxima quæque*] Budensis codex et Romana ed. *occupata Aquileia, in proxima quæque.* Haud displicet: possit et legi, *in proximo quoque.* Lips. Verum omnino, *occupata Aquileia, in proxima.* Ea urbe in potestatem redacta, vicini portas eis aperuere. Hoc est: *accipiuntur in proxima.* Sic Virgilius Æn. 4, 214. *et dominum Æneam in Regna recepit.* Gron. Recepit Ryckius, quem cum J. Gronovio imitati sumus. Quod Lipsius et Ryckius dicunt in MS. Bud. et ed. Rom. (ita primam vocat) esse *in proxima;* falsum est. *In* ab utroque abest, ut a Flor. id absorpsit terminatio præcedentis verbi. Guelf. vulgatum habet. Ern. Unde Ern. norit, in Bud. sic esse, non video. Rhenanus tacet. Bud. sic: *occ. Aq. proxima quoque.* Priscam lectionem cum Bip. restituendam censeo.

*Defectione*] Cf. H. 2, 100. 101.

*Scribonianæ nomen*] Aliquot libri (in his Bud. Agr.) *Sebonianæ.* Lips. Sic et Flor. et primis syllabis ed. pr. In MS. Guelf. *cri* est a sec. manu: quid ante fuerit, assequi oculis non licuit. Sed spatium inter *s* et *b* majus est, quam ut una tantum litera ibi fuerit. J. Gronovius conjiciebat *Senonianæ* i. e. e Senonibus lectæ. Post *Allieni* edidit Ryckius e MS. Agr. quæ scriptura et in antiquis monimentis occurrit. Conjiciunt esse *Ferrariam.* Ern. Bud. et vulg. *Alieni;* rectius *Allieni. Scribonianæ* primus Puteolanus dedit. Præstat in re dubia codices sequi. Vide et Bip.

*Inermos plerosque oppressere*] Sic Pichena ex Flor. vulgo *inermes.* Ea forma et alibi apud nostrum. Ern. Cf. A. 1, 6.

plerosque oppressere. Prædictum, "ut, paucis interfectis, ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent:" et fuere, qui se statim dederent: plures, abrupto ponte, instanti hosti viam abstulerunt.

VII. Vulgata victoria, post principia belli secundum Flavianos, duæ legiones, septima Galbiana, tertiadecima Gemina, cum Vedio Aquila, Legato, Pataviam alacres veniunt: ibi pauci dies ad requiem sumpti: et Minucius Justus, Præfectus castrorum legionis septimæ, quia adductius, quam civili bello, imperitabat, subtractus militum iræ, ad Vespasianum missus est. Desiderata diu res, interpretatione gloriæ, in majus accipitur, postquam "Galbæ imagines, discordia temporum subversas, in omnibus municipiis recoli" jussit Antonius: decorum pro caussa ratus, si placere Galbæ Principatus et partes revirescere crederentur.

*Post principia belli*] Abest particula *post* a Budensi: eoque Rhenanus *principio belli* rescribit, me favente. LIPS. *Post* abest etiam a Flor. (sed ut vestigia illius in scriptura verbi *principia* appareant) Guelf. in quo tamen adscripsit man. sec. At est in cod. Agr. ed. pr. sqq. Sed J. Gronovius e cod. Flor. eruit *per principia*. Id sane valde arridet et intelligi potest. Vulgatum sensum commodum non habet; nec ullo modo incorruptum credere possum. Credo, in margine notatum fuisse: *Principia belli secundum Flavianos*, aut saltem *principia belli*: qualia multa esse solent in MSS. Vid. ad A. 16, 2. et mox c. 8. extr. c. 20. med. Nam illa verba *post pr. b. s. F.* commode abesse posse, immo supervacua esse, nemo negaverit. Et forte, qui adscripsit, in animo habuit locum Livii 21, 29. ubi, post primam pugnam equestrem inter Pœnos et Romanos, Livius subjicit: *Hoc principium simulque omen belli etc.* Ibidemque c. 9. in principio orationis Hannonis, in MS. Voss. in textum venere verba; *Oratio Hannonis*: ubi v. J. F. Gron. Apud Cic. pro Rosc. A. c. 11. in margine fuit: *supplicium parricidarum*. Id in textum venit. ERN. Bip. verba interpolationis suspecta non male sic exponunt: eum belli hæc initia Flavianis secunda in famam victoriæ auctiorem vulgata essent. Et ita jam interpretes alii.

*Duæ legiones*] Bud. male *date*: quod Rhenani ingenium frustra exercuit.

*Quia audacius quam*] Sperno illud *audacius*: nec proteryo militi umquam ea in Duce displicuerit, sed rigor petius et severitas. Itaque bene Vaticanus *adductius*: cui verbo ea vis. Tacitus A. 14, 4. *Pluribus sermonibus, modo familiaritate juvenili Nero, et rursus adductius, quasi seria consociaret.* Idem 12, 7. *Adductum quasi et virile servitium*: ita enim ibi malo cum codice Budensi, quam *addictum*. Suetonius c. 68. sensu simili Tiberium incessisse scripsit, *vultu adducto, plerumque tacitum*: id est, gravi, serio et severo. Ita Seneca de Benef. 1, 1. *frontem adducere et tristitia* usurpat: et Capitolinus de Ælio Vero c. 10. scribit, *fuisse fronte in supercilia adducta venerabilem*. Caussa aperta huic significationi, a gestu. Qui enim alacres, comes, fronte etiam fere sunt exporrecta, et diffusa; qui tristes, severi, eadem contracta et adducta. Non alia mente Propertius subductum vultum pro gravi dixit 2, 8, 13. *Nunc volo subducto gravior procedere vultu*. LIPS. Consentit Flor. unde recepit Pichena. Ceteri scr. (etiam Bud.) et edd. *audacius*. Dein *quam civili bello*, pro quam pro civili bello aut quam in civili bello solet. ERN. *Vultui adducto* opponitur *diffusus*. V. Ovid. Met. 14, 272. Ex Ponto 4, 4, 9. Seneca ep. 106. Cf. Trilleri Obs. crit. 3, 12.

*Subtractus m. iræ* etc.] Hic si nihil aliud vitii est, certe copula *et* post *iræ* excidit. ERN. Mihi bene abesse videtur.

*Interp. gloriæ in m.*] Bud. *int. gloriæque m.* Gron. forsan legendum putat *int. gloriaque in m.* ut *invidia et æmulatione* pro *invidia æmulationis*.

*Si placeret Galbæ principatus*] Mala diducta sententia et scripta. Puto: *si, placere Galbæ principatum et partes, præsumpsissent*. Putavit, inquit, Antonius e re futurum, si homines animo præsumerent, Galbæ Principatum et optimatum partes Vespasiano placere. LIPS. *Placere G. principatus—crederentur*. Flor. Recte. *Placere* et *principatus* etiam Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. cete-

VIII. Quæsitum inde, "quæ sedes bello legeretur?" Verona potior visa, "patentibus circum campis ad pugnam equestrem," qua prævalebant: simul, "coloniam copiis validam auferre Vitellio, in rem famamque" videbatur. Possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus, "illic Cæcinam genitum, et patriam hostium Duci ereptam." In Veronensibus pretium fuit: exemplo opibusque partes juvere. Et interjectus exercitus per Rhætiam Juliasque Alpes; ac, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat: quæ ignara Vespasiano, aut vetita: quippe "Aquileiæ sisti bellum exspectarique Mucianum" jubebat, adjiciebatque imperio consilium, "quando Ægyptus, claustra annonæ, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subigi." Eadem Mucianus crebris epistolis monebat, "incruentam et sine luctu victoriam," et alia hujuscemodi prætexendo; sed gloriæ avidus atque omne belli decus sibi retinens. Ceterum ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res adferebantur.

IX. Igitur repentino incursu Antonius stationes hostium inrumpit, tentatisque levi prœlio animis, ex æquo discessum.

rum *placeret* usque ad Pichenam. *Crederet* omnes. Mox *reviviscere* Guelf. quod etiam An. 4, 12. pro *revirescere* irrepserat in edd. ERN. Bud. *si placeret G. Pr. et p. revirescere credebatur:* sed postrema duo verba loco alieno, de quo ad c. 5.

*Quæsitum inde quæ*] Varie olim peccatum in libris: sæpe etiam in transpositu foliorum aut trajectu. Quod hic factum mihi liquet. Quomodo autem id alii critici non advertere ante me? mirum. Nam historiam saltem lege non ignave: videbis, imo tanges. En, hic deliberatur de sede belli in Italia, et Verona eligitur. Atqui nondum in Italiam copiæ ullæ transmissæ. Pagina demum sequenti narratur, *Antonio rapienti partem equitum ad invadendam Italiam Arrius Varus comes fuisse, et Aquileiam et proxima quæque occupasse.* Veronamne igitur venire potuerunt, a tergo his relictis? Sed et tota narratio incomposita, dissona: cui verum veteremque ordinem dare, haud nostrum: in meliorem tamen paullo aptioremque sic rediqi censeam, ut dedi in Excursu A. LIPS. Omnia nunc in ordinem per Pichenam redacta. ERN.

*Vicentia*] Vicetiam appellant Plinii meliores libri 3, 19. (23.) et Strabo l. 5. p. 214. Οὐικέτιαν. Etiam lapis (apud Grut. p. 198.) INTER ATESTINOS ET VEICETINOS FINES TERMINOSQ. POSUIT. LIPS. Bene. Sic Flor. unde edidit Pich. Edd. ante Rhen. *Vincentia.* ERN. Bud. *Vicentia.* Ptol. Οὐικεντα. Strabo l. c. Οὐικέτια, unde Casaubonus Οὐικέτια. Cf. et Grut. p. 326, 8. 1093, 8.

*Et interceptus*] Vatic. et Farnes. *interjectus exercitus Rhætiam Juliasque.* Ego ne hæc quidem integra puto aut satis composita. Legam tamen: *interjectus exercitus Rhæticas Juliasque Alpes, ne pervium illa Germanicis exercitibus foret, obsepserat.* LIPS. *Interjectus* etiam Flor. ed. pr. Ceteri (et Bud.) *interceptus:* item *per Rhætiam:* at Flor. ed. pr. *pretiam:* in quo clarum est latere *per Rhætiam*, quod bene restituit Jac. Gronovius, cum Pichena *per* delevisset, referens ad *obsepserat.* Idem contra libros *ac* delevit. ERN. Agr. *interjectus —obsederat.* Bip. Pichenam sequuntur, et audacter conjecturam proponunt, quæ mihi minus adridet. *Illa* est pro *illac* ut A. 2, 17.

*Consilia post res afferebantur*] In MS. Budensi erat *post tres menses:* quod, clarum rursus est, e margine venisse in textum, in quo aliquis scripserat tempus, post quod nuncii fere ex oriente in illas regiones venire possent. V. ad A. 16, 2. et supra c. 7. ERN.

Mox Cæcina inter Hostiliam, vicum Veronensium et paludes Tartari fluminis, castra permuniit; tutus loco, cum terga flumine, latera objectu paludis tegerentur: quod si adfuisset fides, aut opprimi universis Vitellianorum viribus duæ legiones, nondum conjuncto Mœsico exercitu, potuere, aut retro actæ, deserta Italia, turpem fugam conscivissent. Sed Cæcina, per varias moras, prima hostibus prodidit tempora belli, dum, quos armis pellere promptum erat, epistolis increpat, donec per nuntios pacta perfidiæ firmaret. Interim Aponius Saturninus cum legione septima Claudiana advenit: legioni Tribunus Vipstanus Messalla præerat, claris majoribus, egregius ipse, et qui solus ad id bellum artes bonas adtulisset. Has ad copias, nequaquam Vitellianis pares (quippe tres adhuc legiones erant) misit epistolas Cæcina, " temeritatem victa arma tractantium" incusans: simul " virtus Germanici exercitus" laudibus adtollebatur; Vitellii modica et vulgari mentione, nulla in Vespasianum contumelia: nihil prorsus, quod aut conrumperet hostem, aut terreret. Flavianarum partium Duces, omissa prioris fortunæ defensione, pro Vespasiano magnifice, pro caussa fidenter, de exercitu securi, in Vitellium ut inimici, præsumpsere: facta Tribunis Centurionibusque " retinendi, quæ Vitellius indulsisset," spe: atque ipsum Cæcinam non obscure ad transitionem hortabantur. Recitatæ pro concione epistolæ addidere fiduciam, quod submisse Cæcina, velut offendere Vespasianum timens, ipsorum Duces contemptim, tamquam insultantes Vitellio, scripsissent.

*Castra permuniit*] In MS. Oxon. excidit *castra*. ERN.

*Prima hostibus prodidit*] Lipsius *vendidit* malebat. Vulgatum verum. Commisit Cæcina, ut prima tempora belli præterirent, nulla re tentata, quod hostibus utile fuit. ERN.

*Vipsanius Messala*] Est iste ipse, cui partes sermonis præcipuæ tribuuntur in libello De caussis corruptæ eloquentiæ. Amicum Tacito fuisse, ex elogiis his satis constat. LIPS. Immo *Vipstanus* legendum, ut voluit Rupertus (ep. 48.) et jam edidere hic, ut alibi, Ryckius, J. Gron. et sic fuit in Guelf. a prima manu: sec. fecit *Vipsanus*, ut (Bud. et) vett. edd. habent, præter primam, in qua est *Vipsanius*, ut in edd. Lipsii sqq. ERN. Vide dicta ad A. 14, 1.

*Tractantium*] Acid. volebat *retractantium*.

*De exitu securi*] Manuscripti *de exercitu*. Quod edidi, magis placet. LIPS. Etiam Flor. (Bud.) Agr. Guelf. et edd. vett. usque ad Lipsium. Unde defendit Ryckius, putatque respici ad *victa arma*. Mihi *exitu* verum videtur. *Exercitu* quomodo ortum sit, videtur ed. pr. indicare, in qua omissa verba *securi in V. ut inimici*, sequiturque *Mœsico celebrare*, ut verbum hoc confusioni deberi videatur, quæ hic omnes libros invasit, ut vidimus. ERN. Restituo cum Bip. lectionem codicum. Quamvis nuper victi, jam erant securi.

*Præsumpsere*] i. e. ausi sunt opinari, scribere de Vitellio contumeliose ante victoriam, antequam de exitu belli constaret, cujus scilicet erant securi. Non enim *præsumere* est simpliciter opinari, ut putat Ryckius, sed habet significationem fiduciæ, arrogantiæ alieno tempore, sive ante tempus. Sic ap. Quintil. 11, 1, 27. *præsumere partes judicis* est, arrogare tibi hoc, ut judices de caussa ante, quam judices sententiam dixerint: item in aliis locis. Frustra Freinsh. tentat *rescripsere*. Mox *Centurionibusque* etiam Guelf. ed. pr. ut Flor. (Agr.) ERN. Bud. ed. Put. Alc. *facta a Trib.* Illud *a* bene sustulit Rhen. Paullo ante *in Vitellium* Pich. e Flor. Vulgo præpositio deest. Bud. *ut Vit.* male.

X. Adventu deinde duarum legionum, e quibus tertiam Dillius Aponianus, octavam Numisius Lupus ducebant, ostentare vires, et militari vallo Veronam circumdare placuit. Forte Galbianæ legioni in adversa fronte valli opus cesserat, et visi procul sociorum equites, vanam formidinem, ut hostes, fecere. Rapiuntur arma et ut proditionis ira militum in T. Ampium Flavianum incubuit, nullo criminis argumento, sed jam pridem invisus, turbine quodam ad exitium poscebatur; "propinquum Vitellii, proditorem Othonis, interceptorem donativi" clamitabant. Nec defensioni locus, quamquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus atque ora singultu quatiens: id ipsum apud infensos incitamentum erat, tamquam nimius pavor conscientiam argueret. Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui cœptaret: fremitu et clamore ceteros adspernantur: uni Antonio apertæ militum aures; namque et facundia aderat, mulcendique vulgum artes et auctoritas. Ubi crudescere seditio, et a conviciis et probris ad tela et manus transibant, "injici catenas" Flaviano jubet. Sensit ludibrium miles, disjectisque, qui tribunal tuebantur, extrema vis parabatur. Opposuit sinum Antonius, stricto ferro, "aut militum se manibus, aut suis, moriturum" obtestans: ut quemque notum et aliquo militari decore insignem adspexerat, ad ferendam opem nomine ciens: mox conversus ad signa, et bellorum Deos, "hostium potius exercitibus illum furorem, illam discordiam injicerent," orabat: donec fatisceret seditio, et, extremo jam die, sua quis-

*Aponianus*] Sic Rhen. Ast codd. Flor. Bud. Agr. et edd. vett. *Apontanus*.

*Et ut proditionis ira*] Videtur vox abesse legendumque: *proditionis auctorem*, vel, *compertum*: nisi tamen compendio fuit, *et ut proditione, ira militum*: id est, ut in proditione, quasi ea esset. LIPS. *Ira ut proditionis* est ira, quasi ob proditionem: ut Livio 4, 50. 5, 33. *ira quæstionis, ira corruptæ uxoris*, et similia. *Ira militum*, ut *ira Deum*. Jam *militum ira proditionis* dictum, ut Ciceroni de N. D. 2, 63. *Canum adulatio dominorum*. Ita videtur satis excusari omnium librorum scriptura. GRON. Recte. Faernus, Freinsh. Acid. malebant: *metu proditionis*. ERN. Bip. *proditionis* scil. nomine.

*Aponius*] Sic MSS. et edd. vett. ante Rhen. omnes: estque *Aponius Saturninus*, de quo c. 9. Male delevit Rhenanus (duce Bud.): male *Aponianus* edidit Pichena, de Dillio intelligens. Bene restituit Ryckius. Mox *namque* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. Rhen. pr. etc. restituit J. Gronov. ERN.

*Aspernantur*] Scribendum videtur *aspernabantur*. Nam et præcedit hoc tempus et sequitur. ERN.

*Ubi crudescere*] Sic scr. et edd. omnes præter J. Fr. Gronovii, in qua *candescere*, vitio operarum: mox *ac probris* MS. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. ERN. Rhen. e Bud. *et probris*.

*Sensit*] Bud. *Sentit*.

*Aliquo militari decore insignem*] Vox *decore* e Flor. edita per Pichenam pro *honore*. Consentit (Bud.) Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Rhen. sqq. *Honore* primum Spirensis, (sic et Agr.) post nescio quis iterum edidit, unde Lipsius sumsit. *Decus* intelligit facinus præclarum et præmium ob facinus. ERN.

*Et bellorum Deos*] Mihi verbum *bellorum* suspectum est, et a glossa natum videtur. Satis est *Deos orabat*: non opus addere *bellorum*, nec sic Latini in tali re genus Deorum exprimunt: denique, si tamen id attributum necessarium foret, intelligeretur per se. ERN.

*Sua quisque in tentoria dilaberentur*] Sic e Flor. edidit Pichena, pro *dilaberetur*. Consentit ed. pr. ERN. Bud. ut vulgo *dilaberetur*.

que in tentoria dilaberentur. Profectus eadem nocte Flavianus, obviis Vespasiani litteris, discrimini exemptus est.

XI. Legiones, veluti tabe infectæ, Aponium Saturninum, Mœsici exercitus Legatum, eo atrocius adgrediuntur, quod non, ut prius, labore et opere fessæ, sed medio diei exarserant: vulgatis epistolis, quas Saturninus ad Vitellium scripsisse credebatur. Ut olim virtutis modestiæque, tunc procacitatis et petulantiæ, certamen erat, ne minus violenter Aponium, quam Flavianum, ad supplicium deposcerent. Quippe Mœsicæ legiones, " adjutam a se Pannonicorum ultionem," referentes, et Pannonici, velut absolverentur aliorum seditione, iterare culpam gaudebant.' In hortos, in quibus devertebatur Saturninus, pergunt, nec tam Primus et Aponianus et Messalla, quamquam omni modo nisi, eripuere Saturninum, quam obscuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus: mox, omissis lictoribus, Patavium concessit. Digressu Consularium uni Antonio vis ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus conlegis, et obversis militum studiis: nec deerant, qui crederent, utramque seditionem fraude Antonii cœptam, ut solus bello frueretur.

XII. Ne in Vitellii quidem partibus quietæ mentes, exitiosiore discordia, non suspicionibus vulgi, sed perfidia Ducum, turbabantur. Lucilius Bassus, classis Ravennatis Præfectus,

*Profectus eadem nocte Flavianus*] Frustra Tacitum hic stolidum fingit ὁ ἐπιτιμητὴς Savilius (velut literæ ex machina, re nondum ad Vespasianum delata, venissent). Non poterat deterreri miles, quin Flavianum proditorem crederet: nec quidquam verisimilius, quam fuisse, qui hoc nomine illum ad comitatum deferrent. Antonius Primus insontem esse non dubitabat. Ab hoc igitur furentibus ereptus dimissusque, vel eodem auctore, vel ultro, suscepit iter ad Principem, ut ei se coram purgaret. Sed homo *natura ac senecta contator*, ut describitur c. 4. non rapientibus veredis, sed per commodum suum in viam se dedit. Citius igitur literæ, tum quibus accusabatur, tum quibus excusabatur, ad Vespasianum pervenerunt. Et, utrisque perpensis, Princeps eum statim absolvit periculoque exemit, scriptis et ipse literis, quæ Flaviano adhuc profectionem continuante in via occurrerunt. GRON.

*Eo ferocius adgred.*] Acid. *adgred. eo fer.* et sic Bud.

*Quippe Mœsicæ legiones*] Sic e Flor. edidit Pichena. Consentit Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. qui edidit *Mœsici*. In ed. pr. est *ad vitam* pro *adjutam* solenni hujus libri aberratione in ea syllaba. ERN. Rhen. dedit *Mœsici*, quia in Bud. *Mœsice* omisso *legiones*, et mox sequitur *Pannonici*.

*Primus et Apon.*] Sic Pich. e Flor. In Bud. et edd. quibusdam conjunctio deficit; Puteol. habet.

*Balnearum fornacibus*] MS. Reg. Ed. pr. *balneorum*. MS. Harl. Bodl. etc. Puteol. Ber. Alc. *fornicibus*, ut Muretus volebat. Mox *jus et potestas* est in MS. Harl. Bodl. Vulgatum melius videtur. ERN. Bud. *balnearum fornacibus*. Ryckius de hypocausto capit, quod et fornax, unde *fornacator* et *fornacarius*. In Bud. *jus* an *vis*, dubium.

*Obversis militum studiis*] Flor. *militibus*: forte *militaribus* Pichena: J. Gron. *militis*. ERN. *Obversis* in Antonium ut c. 83. *Milite ad sanguinem obverso*.

*Ne—quidem*] Bud. *Nec—quidem*.

*Bassus Præfectus*] Hic quoque morosior, quam par est, Savilius, vir doctissimus. Non retinuit, quia raro hactenus proditoribus creditur, ut relinquatur eis facultas pœnitentiæ, et nocendi eisdem viribus, quibus profuere. Sed et ad securitatem ejus pertinuit discedere a

ambiguos militum animos, quod magna pars Dalmatæ Pannoniique erant, quæ provinciæ Vespasiano tenebantur, partibus ejus adgregaverat. Nox proditioni electa, ut, ceteris ignaris, soli in principia defectores coirent. Bassus pudore, seu metu, quisnam exitus foret, intra domum opperiebatur. Trierarchi magno tumultu Vitellii imagines invadunt, et, paucis resistentium obtruncatis, ceterum vulgus, rerum novarum studio, in Vespasianum inclinabat. Tum progressus Lucilius auctorem se palam præbet: classis Cornelium Fuscum Præfectum sibi destinat, qui propere adcucurrit. Bassus honorata custodia Liburnicis navibus Hadriam pervectus, a Præfecto alæ Mennio Rufino, præsidium illic agitante, vincitur. Sed exsoluta statim vincula, interventu Hormi, Cæsaris liberti: is quoque inter Duces habebatur.

XIII. At Cæcina, defectione classis vulgata, primores Centurionum et paucos militum, ceteris per militiæ munera dispersis, secretiora castrorum adfectans, in principia vocat. Ibi

classe, in qua essent, quibus invitis partes mutaverat. Ob quam caussam et præsidium est additum abeunti: quod quorum hominum, quibus nominibus fuerit, quid intererat sciri? Nam lectos fuisse e præsentibus, quibus et ipse et qui his eum commiserant, fiderent, nemo ambigit. Hadriam vero, vel quia eum ipse locum elegit, vel quia commodissimus erat e vicinis. Menius, nisi cum Vespasiano faceret, qui liberto ejus Bassum solvi jubenti paruit? Vinxit interim, quia ei diffidebat, aut diffidere se fingebat privato odio. Præerat autem præsidiariis illius oppidi, ut multi aliis aliorum; neque alia de caussa, quam ut illud ab hostium impetu tueretur: et tum utique; ne quæras, quando? Mandato cujus, nisi Ducum Flavianorum, qui præsidium ibi collocandum judicarunt? Quid actum postea de illo, tacuit, quia aut nihil in eo singularis exempli statutum est, aut id Tacitus in alium locum reservavit, ac tradere in parte historiarum amissa commodius potuit. Denique quis hanc scrutariam ab historico, et tam gravi, requirat? GRON.

*Cornelium Tuscum*] Lege *Fuscum*. Ille est, qui superiore libro c. 86. nominatur. *Sed Cornelius Fuscus Procurator* (Dalmatiæ) *aderat vigens ætate, claris natalibus*. Et hac in bello civili opera, nisi fallor, bene penitus in Vespasiani domum insinuavit, et a Domitiano Præfectus Prætorio factus. Periit in Dacis, infelici pugna. Suetonius Domit. c. 6. Dio 68, 9. Victor. Juvenalis de eodem 4, 111. *Et qui vulturibus servabat viscera Dacis*. LIPS. *Fuscum* ed. pr. Mox *adcucurrit* Flor. edd. pr. Pichen. s. Ceteri scr. et edd. *accurrit*. ERN. Bud. *adcurrit*. Victor male citatur. Credo, Eutropium 7, 24. in animo habuisse Lipsium. Bud. *Tuscum*.

*Propere*] Sic Rhen. e Bud. vulgo *prope*.

*Hadriam pervectus*] MSS. Reg. et alius ap. Broterium: item ed. pr. habent primo *Atriam* non *Hadriam*. Quod non est de nihilo. Nempe est hæc urbs Tusciæ cum portu, quæ ap. Plinium, 3, 16 (20). *Atria* scribitur. Itaque Broterius hanc scripturam recepit: quod non reprehendam. Sed, quia tamen est idem nomen, quod tantum emollitum est paullatim, atque etiam Strabo Adriam appellat, reliqui scripturam molliorem. Post *pervectus* e MS. Flor. edidit Pichena. Consentiunt Guelf. edd. Put. Ber. Alc. ceteræ (Bud. Rhen.) *provectus*. Illud verum: de caussa totius rei vide Gronovii notam præcedentem. ERN. Bud. *Adriam*.

*A Præf. alæ Mennio R.*] MS. Flor. (Bud. a l. m.) *vivennio*, unde J. Gronovius conjiciebat *M'*. (i. e. *Manio*.) *Ennio R.* Vid. ad A. 1, 38. MSS. Vatic. Agr. ed. pr. *Juveniorum*: quod nonnulli (in his Grut.) suspicantur alæ nomen fuisse: nisi inverse scriptum pro *viv.* ut sæpe in ed. pr. et aliis, atque hinc illud *juveniorum* natum. MSS. quidam habent *Memmio*. ERN.

*Cæsaris liberti*] Vespasiani. Cf. H. 2, 80.

*Secreta castrorum*] Eo refero, quod dimisisset plerosque militum, paucis istis retentis. Itaque secretum et solitudo in castris. Alioqui, si de principiis capias, obstat Romanus ritus, quia illa pars

"Vespasiani virtutem viresque partium" extollit: "transfugisse classem: in arcto commeatum: adversus Gallias Hispaniasque: nihil in urbe fidum:" atque omnia de Vitellio in deterius. Mox incipientibus, qui conscii aderant, ceteros, re nova adtonitos, in verba Vespasiani adigit: simul Vitellii imagines dereptæ, et missi, qui Antonio nuntiarent. Sed, ubi totis castris in fama proditio, recurrens in principia miles, præscriptum Vespasiani nomen, projectas Vitellii effigies adspexit, vastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt: "Huc cecidisse Germanici exercitus gloriam, ut sine prœlio, sine vulnere, vinctas manus et capta traderent arma? (Quas enim ex diverso legiones? nempe victas: et abesse unicum Othoniani exercitus robur, primanos quartadecimanosque:

frequentissima, et ibi ambulare et obversari assidue soliti. Facit etiam, quod illos reliquos in principia vocavit: non loci igitur illius secretum affectans, sed castrorum. Flor. (et Bud.) etiam *secretorum* habet: ex quo bene *secretum*. Lips. Sic Pichenæ placet et e Bud. Rhenano: sic MS. Agr. unde recepit Ryckius. Vulgatum quoque rectum est: et potest *orum* natum esse, ut alibi, e terminatione vocis sequentis. Ern. Bene Pichena et Bip. *secretiora*, scil. consilia. Bahrdt recte reddit *Lagerheimlichkeiten*. Sic e præced. *soli defectores in castra coiere*.

*Arcem commeatuum*] Bene emendavi jam olim in Antiquis 2, 16. Præter exempla ejus sermonis, quæ tunc adduxi, velim addi novitium a Livio 3, 57. qui castellum etiam in hac metaphora ponit: *Respicerent tribunal homines, castellum omnium scelerum*. Lips. Immo male. Nam classis illa Ravennas *arx commeatuum* dici non potest, ut bene monet J. Gron. ne Misenensis quidem. Tum MS. Flor. *in arce commeatum*, ut ed. pr. Guelf. autem, Harl. Oxon. edd. Puteol. Ber. Alc. *in arcto commeatum*. Itaque sic edidi et veterem lectionem restitui. Secutus est Broterius (et Lall.) Rhenanus (e Bud.) male edidit *inopia commeatuum* et seqq. usque ad Lips. Ern. Lipsii conjectura inde, quod Vat. et Farn. *marcem*. Sic et Agr. *in arcem*.

*Imagines dereptæ*] Sic edidi, Latinitate postulante, pro *direptæ*. Imagines detraxere de signis, quæ mox repositæ. Id autem est *deripere*, non *diripere*. Imitatus est Broterius. Ern.

*In fama proditio*] Alii libri *infamia prodita*: (sic Agr.) nec sperno. Ita narrat, ut statim movisse miles se videatur. At Hegesippus (quem suadeo in tota hac historia legas) 4, 30. noctem interponit: et mane demum *surgentes evaginatis gladiis insiluisse super Cæcinam* facit. Lips. Firmatur *in fama proditio* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. Beroald. sqq. Estque hic modus loquendi Tacito usitatus (Cf. H. 2, 73. Agr. 46.) et contextui conveniens. Fama rei exciti milites integri in principia currunt. Ed. pr. *infamia prodidit* MS. Mirandulanus *rei fama didita*, quod elegans est, sed interpolatoris manum sapit. Ceterum non negem, aliquam corruptelæ alicujus suspicionem esse ex eo, quod non satis cohærent membra. Nam structura orationis desiderat, ut aut *et* sit ante *recurrens*, aut ablativi consequentiæ ab initio. Ern. Grutero placebat *infamia prodita* vel *didita*.

*Præscriptum Vesp. nomen*] V. Lips. ad c. 31. Ern.

*Cuncta simul erumpunt*] Acidalius eleganter conjicit *cuncti*, adde c. 14. init. Mox pro *cecidisse* Heinsius malebat *recidisse*, de quo vid. ad A. 3, 59. Sed illud quoque bonum puto, estque in libris omnibus. Mox pro *vinctas* ante Rhen. editi habent *junctas*, inversis primis literis, ut sæpe. Ern. *Cuncti* probat Broterius, Bip. *cuncta* quarto casu positum putant, ut apud Cic. ad Att. 16, 3. *Ne in me stomachum erumpant*: et ap. Terent. Eun. 3, 5, 2. *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium?* Mox Brot. quoque mallet *recidisse*.

*Germanici exercitus*] Sic Rhen. e Bud. prius legebatur *Germani*.

*Othoniani exercitus*] MS. Bud. *Germanici*. Ed. pr. utramque lectionem miscet: *Othomanici*. V. ad 5, 23. Vulgatum verum est. Mox *tamen iisdem illis campis* MSS. et edd. ante Rhen. qui dedit (e Bud.) *tum iisdem campis illis*. Vetus reddidit Ryckius. Ern. Rhen. re-

quos tamen, iisdem illis campis, fuderint straverintque) ut armatorum millia, velut grex venalium, exsuli Antonio donum darentur. Octo nimirum legiones unius classis accessionem fore. Id Basso, id Cæcinæ visum: postquam domos, hortos, opes, Principi abstulerint, etiam Principi auferri militem: integros incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, militibus quid dicturos, reposcentibus aut prospera, aut adversa?"

XIV. Hæc singuli, hæc universi, ut quemque dolor inpulerat, vociferantes, initio a quinta legione orto, repositis Vitellii imaginibus, vincla Cæcinæ injiciunt: Fabium Fabullum, quintæ legionis Legatum, et Cassium Longum, Præfectum castrorum, Duces deligunt: forte oblatos trium Liburnicarum milites, ignaros et insontes, trucidant: relictis castris, abrupto ponte, Hostiliam rursus, inde Cremonam pergunt, ut legionibus, primæ Italicæ et unietvicesimæ Rapaci, jungerentur,

stituit *Othoniani*, conjicit autem legendum *Britannici*.

*Ut tot armatorum millia*] Primum Acidalius punctum esse vult post *straverintque*. Frustra. Nam et alibi Tacitus hac brevitate utitur. Sensus est: quos tamen vicerint, at vicisse videri hanc tantum ob causam, ut exsuli Antonio dono darentur. Porro *tot* abest a MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. unde delevere Ryckius et J. Gron. At habet MS. Guelf. edd. præter primam omnes: et quia sensus videtur desiderare, servavi. *Armatorum millia* pro permultis dici posse credo Ryckio, ut *remediorum millia* ap. Plinium 23, 10 (42). et scio: sed hic sensus satis frigidus sit in oratione, quæ augere rem invidiose conetur. Sic Propertius 1, 5, 10. *curarum millia quanta*, pro *quot*. ERN. Adstipulor plane Bipontinis, qui *Quas—straverintque* uncis includunt, quo *ut armatorum m.* respondeat priori *ut*. Jam Puteol. post *straverintque* punctum habet positum; non ergo Acidalius primus ita. Hic, deleto seq. *ut*; post *darentur* interrogandi signum locari jubebat. *Tot* primus intrusit Put. perperam. *Mille, millia* bene infinite ponitur.

*Exsuli Antonio*] Cur iste exsul, aut quando? Puto, sub Nerone lege Cornelia de Testamentis, falsi damnatum, cum tabulas subditicias, fraude et præmio inductus, obsignasset. Vide A. 14, 40. Actis a. 815. LIPS.

*Etiam militibus*] Cum Ferretto omnino lego, *etiam milites auferre*. LIPS. Et ego Ferretto subscribo, quicquid argutetur Salinerius. Sed superest in τῷ *licet* aliquid scabri, quod muto in *deditos*; ut sit: *etiam milites auferri deditos, integros, incruentosque, Flavianis quoque partibus viles, quid dicturos* etc. qui dediti sint nullo discrimine facto, nullo sanguine aut sudore; et ob id etiam aspernabiles iis, quibus accesserint; nec habentes, quod respondeant interrogantibus, vel, ubi nunc ad Bedriacum victoria? vel, τί παθόντες, et quas ad incitas redacti ad tam deforme subsidium salutis descenderint. GRON. De priori idem Vertranio et Grotio visum. Aliter videtur J. Gronovio, qui ista ridenda judicat, et mutat *licet* in *sic et*. Videtur sane invertenda oratione acumen quæsisse Tacitus: opes Principi abstulere: jam Principem auferunt militibus. Broterius necessarium putat legere ex Agric. MS. *etiam militibus Principem auferre, Principi militem, integros* etc. eaque plane Corneliana putat. Pro *licet* Flor. (Bud.) ed. pr. *litem*. In *licet* vitium esse non dubito. ERN. *Militibus* omissum a librario e margine in alienum locum irrepsisse, et Flor. *litem* ex voce *militem* esse residuum, acute conjectant Bip. quorum emendatam lectionem meam facio. *Reposcentibus*, rationem reddere postulantibus aut prosperorum aut adversorum. Sic Liv. 39, 37. *rationem reposcere*.

*Fabium Fabullum*] Sic e MS. Flor. edidere Ryckius et J. Gronovius: alii omnes (etiam Bud.) *Fabulum*. Deinde *uni et vicesimæ* Flor. Agr. Guelf. (nisi quod *unite vices*: vitio scripturæ) (Bud.) ed. pr. Rhen. sqq. Ceteræ vett. *unævic.* Bernecc. Gron. patris *unaetv.* vitiose. ERN. Catullus 13. *Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me.*

*Relictis castris*] Cf. c. 9.

quas Cæcina, ad obtinendam Cremonam, cum parte equitum præmiserat.

XV. Ubi hæc comperta Antonio, discordes animis, discretos viribus hostium exercitus adgredi statuit, antequam Ducibus auctoritas, militi obsequium, et junctis legionibus fiducia rediret: namque Fabium Valentem, profectum ab urbe, acceleraturumque cognita Cæcinæ proditione, conjectabat: et fidus Vitellio Fabius, nec militiæ ignarus. Simul ingens Germanorum vis per Rhætiam timebatur: et Britannia, Galliaque et Hispania, auxilia Vitellius acciverat, inmensam belli luem, ni Antonius, id ipsum metuens, festinato prœlio victoriam præcepisset. Universo cum exercitu, secundis a Verona castris, Bedriacum venit: postero die, legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonensem agrum missæ, ut, specie parandarum copiarum, civili præda miles inbueretur. Ipse, cum quatuor millibus equitum, ad octavum a Bedriaco progressus, quo licentius popularentur: exploratores (ut mos est) longius curabant.

XVI. Quinta ferme hora diei erat, cum citus eques, "adventare hostes, prægredi paucos, motum fremitumque late audiri," nuntiavit. Dum Antonius, "quidnam agendum," consultat, aviditate navandæ operæ Arrius Varus cum promptissimis equitum prorupit, inpulitque Vitellianos, modica cæde: nam, plurium adcursu versa fortuna, et acerrimus quisque sequentium fugæ ultimus erat: nec sponte Antonii properatum, et fore, quæ acciderant, rebatur. Hortatus suos, "ut magno animo capesserent pugnam," diductis in latera turmis, vacuum medio relinquit iter, quo Varum equitesque ejus reciperet: jussæ armari legiones: datum per agros signum, ut, qua cuique proximum, omissa præda, prœlio occurrerent. Pavidus interim Varus, turbæ suorum miscetur,

*Anteq. Ducibus*] Bud. *Duci.*

*Et Britannia*] Agr. *Ex Br.*

*Immensam belli luem*] Tentant *luem* Rhenanus, Faernus et alii, sine necessitate, præsertim cum id omnes scr. et edd. præferant: nisi quod nonnulli *lucem* vitiosa scriptura, ut Guelf. ed. pr. Budensis plane non habet hic substantivum. *Lues belli* est pernicies, malum. V. dicta ad A. 2, 47. ERN. Rhen. volebat *vim.* Faernus, Mur. Acid. *molem.* H. 1, 89. *longa bello materia.*

*Civili præda miles inbueretur*] i. e. inciperet gustare dulcedinem prædæ, quamvis civilis, eaque captus fieret bellandi et vincendi cupidior. Mox *quo licentius popularentur* est, ut non modo per absentiam suam nemo esset, quem vererentur, qui impedire posset, sed etiam ne hostis populantes invaderet. ERN.

*Prægredi*] Bud. *progredi.*

*Acerrimus q. s. fugæ ultimus erat*] Ita vero decet fortes viros. An vero ea laus huic loco consentiens? Immo dicere voluit *acerrimus sequentium* paullo ante, *primus* nunc *fugæ erat*: quæ sententia et alibi occurrit. Mox *et* ante *fore* abest ed. pr. ERN. Bud. habet.

*Vacuum medio relinquit iter*] Sic MSS. Flor. Agr. Guelf. ed. pr. *In medio* edidit Rhen. (e Bud.) et seqq. usque ad Ryckium. *Vacuo medio* Puteol. Ber. Alc. Omnium lectionum idem sensus, bona Latinitas. Sed prima vera: hæ correctorum. Adde infra c. 19. ERN. Bud. *reliquit.*

*Prælio occurrerent*] Sic MSS. nisi quod Flor. et Agr. (et Bud.) singularem numerum præferunt: non bene. V. paullo ante ad c. 10. extr. At edd. omnes præter pr. *occurrerent. Occurrere*

intulitque formidinem: pulsi cum sauciis integri, suometipsi metu et angustiis viarum conflictabantur.

XVII. Nullum, in illa trepidatione, Antonius constantis Ducis, aut fortissimi militis, officium omisit: occursare paventibus; retinere cedentes: ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis: eo postremo ardoris provectus est, ut vexillarium fugientem hasta transverberaret: mox raptum vexillum in hostem vertit; quo pudore haud plures, quam centum equites, restitere. Juvit locus, arctiore illic via, et fracto interfluentis rivi ponte, qui incerto alveo, et præcipitibus ripis, fugam inpediebat: ea necessitas, seu fortuna, lapsas jam partes restituit. Firmati inter se, densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos: atque illi consternantur. Antonius instare perculsis, sternere obvios. Simul ceteri, ut cuique ingenium, spoliare, capere, arma equosque abripere: et exciti prospero clamore, qui modo per agros fuga palabantur, victoriæ se miscebant.

XVIII. Ad quartum a Cremona lapidem fulsere legionum signa, Rapacis atque Italicæ, læto inter initia equitum suorum prœlio, illuc usque provecta. Sed, ubi Fortuna contra fuit, non laxare ordines, non recipere turbatos, non obviam ire, ultroque adgredi hostem, tantum per spatium cursu et pugnando fessum. Forte victi, haud perinde rebus prosperis Ducem desideraverant, atque in adversis deesse intelligebant. Nutantem aciem victor equitatus incursat: et Vipstanus Messalla, Tribunus, cum Mœsicis auxiliaribus adsequitur, quos militiæ

*prælio*, bene dictum: male tentat Acidalius *accurrerent*. Vid. præter J. Gronovium, dicta ad Sueton. Calig. 39. ERN. *Occurrere*, se sistere, ut *occurrere ad vadimonium*. *Occurrere prælio* Liv. habet 10, 43.

*Occursare—retinere*] Sic Flor. Oxon. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi. *Occurrere* Rhen. (e Bud.) sqq. usque ad Lipsium, qui edidit *occursat, retinet*, ut est in ed. pr. MS. Agr. edd. Lips. sqq. usque ad J. Gronovium qui *occursare, retinere* restituit. Paullo post edidi *transverberaret* quod omnes edd. ante Lipsium dedere: habetque MS. (Bud. et) Agr. In Guelf. est *transverberasset*, quod eodem vergit. Lipsius primus *transverberarit* edidit. ERN.

*Atque illi consternantur*] Haud scio, an sit animadversum τὸ *atque* hic poni exquisita illa significatione pro *statim*: de quo Gellius 10, 29. nos ad Livii 26, 36. GRON. MSS. Flor. Guelf. *illic*: vitiose, ut *consternuntur*, quod scr. (in his Agr.) et edd. quidam habent. ERN. Bud. *fusos* pro *effusos*. Dein *illic consternantur*. *Atque* dicto sensu est apud Virg. Georg. 1, 203.

*Equosque abripere: et exciti*] Copulas e MS. Flor. addidit Pichena. Primam etiam edd. ante Rhen. et Guelf. alteram et ed. pr. ERN. In Bud. utraque copula deficit. Sic et Rhen.

*Forte victi*] Rodolphus *victuri*. Mentem video: et tamen subvereor, ut parum plena ista, et huic narrationi quædam desint. LIPS. *Victuri* est in MS. Agricolæ, placetque Acidalio et Ryckio, sed ut *forte victuri* jungatur præcedentibus. Freinshemius malebat *forte acti*, i. e. temere et sine consilio et imperio: quod non displicet. Nondum sane victi erant, sed nutabant tantum. Itaque *victi* verum esse non potest. ERN. Bud. *forte victi* i. e. Fortuna, quæ ipsis contra fuit, ut modo dictum. *Campi dominam Fortem* Cic. vocat in Pis. 2. Sic Bip. Freinshemii conjecturam probat Lall.

legionariis, quamquam raptim ductos, æquabant. Ita mixtus eques pedesque rupere legionum agmen. Et propinqua Cremonensium mœnia, quanto plus spei ad effugium, tanto minorem ad resistendum animum, dabant.

XIX. Nec Antonius ultra institit, memor laboris ac vulnerum, quibus tam anceps prœlii fortuna, quamvis prospero fine, equites equosque adflictaverat. Inumbrante vespera universum Flaviani exercitus robur advenit. Utque cumulos super et recentia cæde vestigia incessere, quasi debellatum foret, " pergere Cremonam, et victos in deditionem accipere, aut expugnare," deposcunt. Hæc in medio, pulchra dictu. Illa sibi quisque, " Posse coloniam plano sitam inpetu capi. Idem audaciæ per tenebras inrumpentibus, et majorem rapiendi licentiam: quod si lucem opperiantur, jam pacem, jam preces, et, pro labore ac vulneribus, clementiam et gloriam, inania, laturos; sed opes Cremonensium in sinu Præfectorum Legatorumque fore. Expugnatæ urbis prædam ad militem,

*Raptim ductos*] An ideo miratur æquari, quia raptim et celeriter ducti? non eo facit, nisi si forte absque justis, ut in festinatione, armis. An verius scribi, *raptim dilectos?* et quod subitarius fuerit hic miles, sed sub bono Duce mox bonus. LIPS. Nihil huc opus dilectus mentione. Cur enim raptim delecti essent? Et, si nunc demum raptim dilecti, unde iis gloria, aut quomodo legionarios æquare dicuntur? Immo jam raptim in prœlium ducti sunt, et nihilominus paria legionariis fecere. Caussa, quod jam exerciti militiis. Et quia hic quæritur, non qua gloria fuerint, sed quid jam egerint; multi porro libri boni, ut Flor. Bud. Oxon. Agr. ed. pr. *æquabant;* non dubitavi cum J. Gronovio edere lectionem Flor. et Bud. a quibus *gloria* aberat, quod a glossatore parum acuto natum videtur. *Militiæ* accipe numero plurali. Pichena male *militibus* ex ingenio dedit. Vulgata est et in Guelf. edd. Puteol. Beroald. Rhen. sqq. usque ad Pichenam. Sed Broterius ex aliis libris dedit *militiæ gloria—æquabat;* atque defendit. ERN. Bud. *militiæ.* Plur. numero accipiendum, nullus dubito. Sic Tibullus 1, 3, 82. *lentas militias* dixit, Suet. etiam Claud. 25. *equestres militias* habet. Bernegg. recepit *militibus*, Freinsh. vulgatum probat. Bip. quoque Pichenam sequuntur, attamen *militiæ* ad *ductos* referri posse autumant, quasi *in militiam.* Ernesti verum vidit. Rhenanus *militiæ* adverbialiter dictum credebat pro *in militia.*

*Eques pedesque*] Sic Bud. mollius: vulgo *pedes equesque.* Mox Agr. *irrupere.*

*Tanto minorem*] Omnes edd. vett. habent *tanto.* In ed. Lipsii excidit *tanto*, casu, an quia Tacitus alibi omittit hæc comparationis verba. ERN. *Tanto* deest in Bud. Omisit et Rhen. Mox Bud. *insistit.*

*Anceps prœlii fortuna*] Ita Flor. (Bud.) et alii veteres (in his Farnes.) ut Lipsius testatur: velut ed. pr. Alii *belli*, Etiam supra hæc verba confusa vidimus. ERN.

*Hæc in medio, p. d.*] Sic interpungendum. *In medio* pro in medium, palam. Palam ista dicebant; quippe fortitudinis speciem habebant: sed animis agitabant turpia, fœda. Mox *plano sitam* MSS. (Bud. etiam) edd. pr. Rhen. sqq. ut supra c. 16. *vacuum medio relinquit iter*, et infra bis c. 38. 48. *situs* occurrit cum ablativo sine *in:* quod hic addunt edd. Puteol. Ber. Alc. Deinde *sed majorem* frustra corrigunt Rhen. (ex ing.) Danesius, Ursinus, ut jam alibi monitum. V. ad 5, 3. ERN. *In plano* occurrit infra 5, 23. Mox Bud. *opperiatur.*

*Clementiam et gloriam, inania, laturos*] Sic interpungendus locus: ut *inania* explicent, qualem putent clementiæ gloriam. Si quid tentandum, malim *clementiæ et gloriæ inania*, qui est modus loquendi Tacito frequens, quam *clementiæ gloriam inanem* cum Ursino et Mureto. ERN. Nil mutandum. Hendiadys nostro est familiaris.

*Sed opes*] Sic et Bud. at Rhen. malit *et*, frustra.

dedítæ ad Duces, pertinere." Spernuntur Centuriones Tribunique, ac, ne vox cujusquam audiatur, quatiunt arma, rupturi imperium, ni ducantur.

XX. Tum Antonius, inserens se manipulis, ubi adspectu et auctoritate silentium fecerat: "non se decus, neque pretium eripere tam bene meritis," adfirmabat; "sed divisa inter exercitum Ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire; Duces providendo, consultando, cunctatione sæpius, quam temeritate, prodesse. Ut pro virili portione, armis ac manu, victoriam juverit, ratione et consilio, propriis Ducis artibus, profuturum. Neque enim ambigua esse, quæ occurrant: noctem et ignotæ situm urbis, intus hostes et cuncta insidiis opportuna: non, si pateant portæ, nisi explorato, nisi die, intrandum. An oppugnationem inchoaturos, adempto omni prospectu, quis æquus locus, quanta altitudo mœnium? tormentisne et telis, an operibus et vineis, adgredienda urbs

*Deditæ ad Duces pertinere*] Hoc jus militare ferebat. Bene Rhenanus comparat locum Livii, unde hæc sumta videantur, e 37, 32. *captas, non deditas, diripi urbes, et in his tamen arbitrium esse Imperatoris, non militum.* ERN.

*Rupturi imperium*] Sic Flor. (Bud.) Oxon. Guelf. Agr. ed. pr. quod restituit Ryckius, opportune laudans locum ex A. 13, 36. *rupto imperio congressus cum hoste funditur.* Ceteri *rapturi. Rapere imperium* est alteri ereptum sibi vindicare. At illi sine imperio ire volebant. ERN.

*Neque enim ambigua* etc.] Alias *nox* dicitur *ambigua*, et alia, quæ non explorata et periculosa sunt. Hic sensus est: quem enim non videre et intelligere, quæ immineant pericula ausuris oppugnationem. MSS. porro Flor. Agr. ed. pr. *nocte*, quod frustra defendit Ryckius. Add. ad c. 2. extr. Ceterum ante oculos Tacitus habuit Livii locum 5, 39. de Gallis ad urbem Romam: *noctem veriti et ignotæ situm urbis* etc. quo etiam vulgatum *noctem* firmatur. ERN.

*Non si pateant*] Rodolphi lectio valde mihi arridet, nescio an a libris: *non, si pateant portæ, non die, nisi explorato intrandum.* LIPS. Recepit hanc lectionem Ryckius e MS. Agricolæ. Adjuvat ed. pr. in qua eadem lectio, sed mutato ordine, *nisi explorato, non die.* Contra disputat Gronovius. Breviter expediemus. Sensus hujus lectionis est: Non est ingredienda urbs, ne patentibus quidem portis, ne interdiu quidem, nisi explorato. Sensus sane commodus, et imitationi loci Liviani valde conveniens: nam ibi Galli, non patentibus portis, non die, nisi explorato, ingrediuntur. Atque ita existit etiam argumentatio a minori ad majus. Si ne die quidem, ne patentibus quidem portis ingrediendum; quanto minus noctu, non explorato, oppugnanda urbs! Vulgatæ lectionis autem hic sensus: ne intranda quidem urbs prius, quam lux orta, exploratores missi sint, etiam si paterent portæ. Quem sensum caussæ præsenti et præcedentibus aptiorem esse puto: ut verba *nisi explorato, nisi die*, respondeant verbis *noctem et ignotæ situm urbis.* Atque etiam sequentia referuntur huc, ut appareat, cur *non, nisi die*, aliquid tentandum. Itaque non ausus sum Ryckium imitari. ERN. Vulgatum habent Bud. et Reg. Lall.

*An operibus et vineis aggredienda*] Fœdum glossema in Flor. (et Reg. Lall.) codice insertum fuit: quod ipse librarius forte agnovit, ideoque circumscripsit. Fuit autem hujusmodi: *an operibus et vineis (machinamenti genus ad expugnandos muros, in modum turrium factum) aggredienda urbs foret:* idemque expressum in ed. pr. sed sine circumscriptione, et additum *his* post *factum.* Vid. ad c. 7. init. Mox *dolabrasque* MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. Pichena sqq. *Que* delevit Rhenanus, ERN. Duce Bud. Habet hic et spuria verba, sed Rhen. propria manu margini adlevit: *a margine relatum in textum: glossa est.* Sensere et Put. Alc. et omisere. Post *factum* Bud. habet *ubi. Dolabræ* formam exhibet columna Trajana n. 299.

foret?" Mox conversus ad singulos, "num secures, dolabrasque et cetera expugnandis urbibus, secum adtulissent?" rogitabat. Et, cum abnuerent, "gladiisne," inquit, "et pilis perfringere ac subruere muros ullæ manus possunt? Si aggerem struere, si pluteis cratibusve protegi necesse fuerit, ut vulgus inprovidum, inriti stabimus, altitudinem turrium, et aliena munimenta mirantes? Quin potius mora noctis unius, advectis tormentis machinisque, vim victoriamque nobiscum ferimus?" Simul lixas calonesque, cum recentissimis equitum, Bedriacum mittit, copias, ceteraque usui adlaturos.

XXI. Id vero ægre tolerante milite, prope seditionem ventum, cum progressi equites sub ipsa mœnia, vagos ex Cremonensibus conripiunt: quorum indicio noscitur: "sex Vitellianas legiones omnemque exercitum, qui Hostiliæ egerat, eo ipso die triginta millia passuum emensum, comperta suorum clade, in prœlium accingi ac jam adfore." Is terror obstructas mentes consiliis Ducis aperuit. Sistere tertiam decimam legionem, in ipso viæ Postumiæ aggere, jubet, cui juncta a lævo septima Galbiana, patenti campo stetit, dein septima Claudiana, agresti fossa (ita locus erat) præmunita; dextro, octava per apertum limitem, mox tertia, densis arbustis intersepta: hic aquilarum signorumque ordo: milites mixti per tenebras, ut fors tulerat: Prætorianum vexillum proximum

*Expugnandis urbibus*] MS. Agr. *oppugnandis*, frequenti variatione librorum: huic loco utrumque aptum. Igitur libri sequendi. ERN. Bud. *expugnandis*.

*Aliena munimenta*] Quæ sunt *munimenta*, quæ cum admiratione spectentur, quia *aliena* sunt? i. e. hostilia. ERN.

*Advectis tormentis machinisque vim v.*] MS. Bud. tantum habebat *tormentisque*: Guelf. *machinis*, sine copula: ed. pr. *inde* pro *vim*, vitiose. ERN.

*Ceteraque usui*] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. At Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. *ceteraque, quæ usui forent*: quod sane præ illo manum male sedulam redolet. ERN.

*Cum progressi*] Ed. pr. *ventum. Tum progressi*: solenni mutatione τοῦ *cum* in *tum*: nam illud haud dubie h. l. elegantius. Eadem cum Beroald. Alc. *e Cremon.* ERN. Bud. *cum—ex Crem.*

*Sistere tertiam decimam legionem*] Hæc est scriptura MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum omnium. Quo magis cum J. Gronovio sic edendum curavi: mox iterum mentio tertiædecimæ in vulgatis: duas tertiasdecimas fuisse in illa acie, ut placet Gronovio, non credo. Cognomine altera distingueretur ab altera. Sed alterutro in loco vitiosa scriptura; sive *tertiadecima*, sive *tertia* scribatur. *Tertiam*, quod in Rhenani ed. primum expressum, in ceteras venit, nec e libro, nec ex ingenio Rhenani esse potest, cum nihil in notis dixerit, non sane tacite talem mutationem inducturus sit. Sed, quoniam post *tertiani* commemorantur, necesse est, alterutro loco *tertiam* legionem esse. Broterius secundo loco dedit *tertia*: Mœsica sc. firmante c. 24. Itaque eum secutus sum. ERN. Bud. hic *tertiam decimam* et mox *tertia decima* habet. Ryckius et Lall. priori loco *tertia*. Pichenæ opinionem sequitur Ern. Sic et Bip.

*Octava per apertum limitem*] Intell. viæ Postumiæ. Liv. 22, 15. *ne immunito viæ Appiæ limite Pœnus pervenire in agrum Rom. posset*, et pluribus aliis locis Livius, Virgilius, de via dicunt. Tacitus ipse mox c. 25. *per limitem viæ sparguntur. Apertus limes viæ Postumiæ* opponitur *ipsi aggeri viæ*. Male Ryckius de finibus agrorum accipi vult, quos via Postumia aperuerit: quod ne quidem intelligi potest. Ed. pr. habet *militem* solenni confusione, de qua vid. Drakenb. ad Liv. 22, 12. ERN.

tertianis; cohortes auxiliorum in cornibus; latera ac terga equite circumdata: Sido atque Italicus, Suevi, cum delectis popularium, primori in acie versabantur.

XXII. At Vitellianus exercitus, (cui adquiescere Cremonæ, et, reciperatis cibo somnoque viribus, confectum algore atque inedia hostem, postera die profligare ac proruere ratio fuit) indigus rectoris, inops consilii, tertia ferme noctis hora, paratis jam dispositisque Flavianis inpingitur. Ordinem agminis, disjecti per iram ac tenebras, adseverare non ausim: quamquam alii tradiderint, "quartam Macedonicam dextro suorum cornu: quintam, et quintamdecimam, cum vexillis nonæ secundæque et vicesimæ Britannicarum legionum, mediam aciem; sextadecimanos duoetvicesimanosque et primanos lævum cornu complesse." Rapaces atque Italici omnibus se manipulis miscuerant. Eques auxiliaque sibi ipsi locum legere. Prœlium tota nocte varium, anceps, atrox; his, rursus illis, exitiabile. Nihil animus, aut manus, ne oculi quidem provisu juvabant: eadem utraque acie arma: crebris interrogationibus notum pugnæ signum: permixta vexilla, ut quisque globus, capta ex hostibus, huc vel illuc raptabat. Urgebatur maxime septima legio, nuper a Galba conscripta. Occisi sex primorum ordinum Centuriones: abrepta quædam signa: ipsam aquilam

*Proruere, ratio fuit*] Notavi in Antiquis 2, 16. videri inducta voce legendum *ac proruere fuit*, id est, licuit. Sed vereor, ut ego quoque interdum (cur negem aut purgem communem criticorum hanc noxam?) inter sectores, non medicos. Nunc sane vocem eam tolero. LIPS. Sensus: qui postera die profligare hostem et proruere debebat, si rationem, consilium sequi, prudenter agere vellet. Mox *inops*, quod e Flor. pro *vacuus* Pichena edidit, etiam in ed. pr. reperi: at *paratis jam dispositisque*, pro *par. jamque disp.* etiam Guelf. ERN. Noster etiam A. 3, 21. *dum ea ratio barbaro fuit.* Non ergo tantum toleranda vox. Mox Bud. *inops consilio*, ut Cic. Bruto 70. *inops verbis.* Dein idem *par. jamque disp.* alterum Pich. e Flor. dedit.

*Dextro suorum cornu*] Int. stetisse, si vera lectio. At Faernus *dextrum* legebat; quod placet: nam et mox est *primanos lævum cornu complesse:* nisi forte verbum latet in *suorum;* quod sane contra consuetudinem hic ponitur; nec memini uspiam in tali narratione addi. ERN. Legendum *dextrum*, admodum verisimile.

*Cum vexillis*] *Vexilla* pro *vexillariis* passim apud nostrum. Cf. Pich. ad A. 1, 38.

*Duoctvicesimanosque*] MS. Guelf. et vet. cod. Ursin. edd. ante Rhen. *duodevices;* solita confusione: ed. pr. (et cod. Agr.) *duovices.* Mox *eques* bene e Flor. et Agr. edidit Ryckius. Consentit Guelf. sed sic jam olim editum in edd. pr. Put. Ber. Rhen. (e Bud.) Ald. Gryph. Correctorum vitio irrepsit *equites* primum in ed. Rhen. sec. Dein *rursusque* Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *rursus* consuetudini Taciti congruens magis: *his, rursus illis*, (sic Rh. e Bud.) pro modo his, modo illis. V. ad c. 83. init. ERN. Bud. *duoetvic. Rursus* Rhen. e Bud. Prœlii istius nocturni mentionem facere Curtium 10, 9. Rutgersius arbitratur Var. Lect. 1, 19.

*Eadem utraque acie*] Sic Flor. Agr. edd. pr. Ryck. J. Gron. In MSS. Bud. Guelf. *eademque acie:* quod et in sec. ed. Rhen. reperi. Exciderat *utra*, quod in MS. Guelf. man. sec. adscripsit. Sed addidere *utraque;* hinc lectio vulgatis *eademque utraque.* Copulam hic alienam esse, sequentia docent. ERN. Quod hic de secunda Rhenani dicitur, falsum est: vulgatum servat.

*Notum pugnæ signum*] i. e. tessera, ut supra dictum. Add. Lips. de M. R. 4. ult. ERN.

Atilius Verus, primipili Centurio, multa cum hostium strage, et ad extremum moriens, servaverat.

XXIII. Sustinuit labantem aciem Antonius, accitis Prætorianis: qui, ubi excepere pugnam, pellunt hostem, dein pelluntur. Namque Vitelliani tormenta in aggerem viæ contulerant, ut tela vacuo atque aperto excuterentur, dispersa primo, et arbustis, sine hostium noxa, inlisa. Magnitudine eximia quintædecimæ legionis balista, ingentibus saxis hostilem aciem proruebat, lateque cladem intulissent, ni duo milites, præclarum facinus ausi, adreptis e strage scutis ignorati, vincla ac libramenta tormentorum abscidissent: statim confossi sunt, eoque intercidere nomina: de facto haud ambigitur. Neutro inclinaverat fortuna, donec adulta nocte, luna surgens ostenderet acies falleretque. Sed Flavianis æquior a tergo: hinc majores equorum virorumque umbræ, et falso, ut in corpora,

*Primipili Centurio*] Nam in ejus Centurionis custodia aquila. Ego de Milit. Rom. 2, 8. Lips. Hoc quoque loco utitur Fabrettus ad Col. Traj. c. 7. p. 188. ut probabile reddat, Primipilares Centuriones fuisse eosdem Aquiliferos. Ern. Cf. Veget. 2, 8.

*Labantem aciem*] Sic pro *labentem* legendum conjecit Pichena. Id habet MS. (Bud.) Agric. Guelf. a man. sec. edd. pr. Beroald. Alc. Rhen. pr. sqq. usque ad Rhen. sec. Igitur cum Ryckio Tacito reddidi. *Labare* dicitur exercitus, non *labi*. V. præter Pichenam, J. Fr. Gron. et Drak. ad Liv. præf. qui et aliis locis ad Livium de his verbis, eorumque in tali contextu confusione, egere, ut alios taceam. Ern. Respice ad A. 2, 26. ubi *labare hostes*. Sic et H. 1, 26. 5, 18. et Germ. 8.

*Ut tela vacuo atque aperto*] Intell. *in*. V. ad c. 16. 19. *Vacuum atque apertum* opponit locis arbusto obsitis. Ern.

*Quartadecimæ legionis*] Qui potest? Nam quartadecima legio pro Othone steterat, et post Bedriacense prœlium statim a Vitellio in Britanniam remissa. Sed nec mentio ejus in hac pugna, immo bello. Reponam fidenter, *quintadecimæ*, quæ inter Vitellianas paullo ante censa. Lips. Recepit Pichena cum seqq. Ern. Bud. peccat cum vulgato.

*Intulissent*] Scil. milites. Sic bene Bip. qui et ante *late* punctum minus locant. Balista a tormentis distinguitur. Mox Bud. *ereptis*.

*Libramenta tormentorum*] Atqui unius tormenti, sive balistæ, mentio est. Ergo, *tormento tum abscid.* aut ante *balistæ* legendum, et *proruebant*. Lips.

*Ignorati* conjungendum cum *arreptis e strage scutis*. Nam hæc fecere, ut non agnoscerentur, ut Vitelliani viderentur. Ed. pr. vitiose *ignoranti* et *confessi*. Ern.

*Neutro inclinaverat fortuna*] Sic Flor. (Bud.) edd. pr. Rhen. sqq. At Guelf. edd. Put. Ber. Alc. *neutro inclinata fortuna*. Ern.

*Falso, ut in corpora, ictu*] Ita e libris restituimus: nec sententiam difficile capi e similibus auctorum locis. Nam hæc fraus sive error alias quoque objectus hosti. Plutarchus in Pomp. 32. in pugna Pompeii cum Mithridate: Ἐπῆσαν μὲν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ νώτου τὴν σελήνην ἔχοντες. Πεπισμένου δὲ περὶ τὰς θύσεις τοῦ φωτὸς, αἱ σκιαὶ, πολὺ τῶν σωμάτων ἔμπροσθεν προϊοῦσαι, τοῖς πολεμίοις ἐπέβαλον, οὐ δυναμένοις τὸ διάστημα συνιδεῖν ἀκριβῶς· ἀλλ', ὡς ἐν χερσὶν ἤδη γεγονόταν, τοὺς ὑσσοὺς ἀφίεντες μάτην, οὐδενὸς ἐφίκοντο. Florus paullo aliter narrat, nec rem cepisse visus est, de illapsa pugna 3, 5. *Nocturna ea dimicatio fuit, et luna in partibus: quippe quasi commilitans, cum a tergo hostibus, a facie Romanis, se prœbuisset, Pontici per errorem, longius cadentes umbras suas, quasi hostium corpora petebant*. Si tamen ea lectio recta, nec interpolata ab imperitis. Nam certe Orosius 6, 4. etiam et Frontinus 2, 1, 12. Romanis in hac pugna Lunam fuisse a tergo fatentur: et Dio 36, 32. clare κατόπιν. Itaque emendem in Floro: *cum a tergo Romanis, a facie hostibus se prœbuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras* (voculam illam, *suas*, expungimus) *quasi hostium corpora petebant*. Sane ratio ipsa ita vult: nec tam bardum ego Florum umquam censeam, ut hoc non ceperit. Lips.

ictu, tela hostium citra cadebant: Vitelliani adverso lumine conlucentes, velut ex occulto jaculantibus, incauti offerebantur.

XXIV. Igitur Antonius, ubi noscere suos noscique poterat, alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens, "cur rursum sumpsissent arma?" Pannonicas legiones interrogabat: "illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiæ, ubi reciperare gloriam possent." Tum ad Mœsicos conversus, "principes auctoresque belli" ciebat: "frustra minis et verbis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerarent." Hæc, ut quosque accesserat: plura ad tertianos, veterum recentiumque admonens: ut "sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent." Mox infensius Prætorianis: "Vos," inquit, "nisi vincitis, pagani, quis alius Imperator, quæ castra alia excipient? Illic signa armaque vestra sunt, et mors victis: nam ignominiam consumpsistis." Undique clamor: et orientem solem (ita in Syria mos est) tertiani salutavere.

Nempe ante erat *in corpore*, ut habet (Bud.) Guelf. Acidalius etiam malebat *jactu*. Etiam de telis missilibus *ictus* dicitur, sed tum, cum jactu teli attingitur corpus: quoad mittuntur, *jactus* dicitur. Clare sic distinguit Livius 30, 10. *Ex rostratis Pœni vana pleraque, utpote supino* jactu, *tela in superiorem locum mittebant: gravior ac pondere ipso libratior superne ex onerariis* ictus *erat*. Itaque *jactu* h. l. placet. Confundi ista verba notum est. V. Drakenb. ad Liv. 26, 40. ubi pariter pro *ictus* mavult *jactus*. ERN.

*Ex occulto jaculantibus incauti offerebantur*] Ed. pr. non agnoscit vocem *incauti*, et, cum præcesserit *ex occulto*, satis intelligi putat Gruterus. ERN.

*Cur rari sumsissent*] Ex historia et sententia, *cur resumsissent*. Nam Pannonici semel victi, arma tamen iterum sumserant. LIPS. Ferrettus alias: *cur rursus sums*. Hoc magis placet. Certe *rari* vitiosum est, quicquid nugetur Salinerius. MS. Agr. *cur nam*. ERN. Hoc Ryckio placet. Bip. Ferretto accedunt legentes *rursum*: finalem syllabam absumpsit initialis sequens. Verum puto.

*Non tolerent*] Scr. *tolerarent*: nam præcedit *provocatos* et *possent*. ERN. Bud. *tolerent*.

*Parthos...Armenios...Sarmatas*] V. Dio 49. Supra A. 15, 26. H. 1, 79.

*Mox infensus Prætorianis*] Puto *infensius*: hoc est verbis asperioribus. Non enim his magis quam aliis infestus erat; sed hos compellabat inclementius. GRON. Verissime. Tertianis plura, his asperiora dixit. ERN. Laudant Ryck. Lall. Recipio cum Bip.

*Nam ignominiam consumsistis*] Assidet acuto huic dicto illud Curtianum 6, 8. *Scit, eos qui misericordiam consumserunt, amplius sperare non posse.* LIPS. Sensus: nam ignominiam jam tantam contraxistis, ut ea non amplius timenda sit, nemo in vos uti possit, qui affligere velit, sed nihil aliud nisi mors restet. ERN. Lux huic loco ex H. 2, 44 et 67.

*Solem (ita in Syria mos est)*] Nam hæc legio e Syria deducta, in qua sub Corbulone militaverat. At de more ipso Herodianus 4, 30. de Parthis, qui pugnam inituri orto jam sole: Ἀσπασάμενοι δὲ τὸν ἥλιον, inquit, ὡς ἔθος αὐτοῖς, οἱ βάρβαροι μεγίστῃ κλαγγῇ βοήσαντες, ἐπίδραμον τοῖς Ῥωμαίοις. Sed observo amplius: non solum Syros aut Orientales Soli cultum hunc detulisse, sed gentium plerasque. Plato De Legib. 10. p. 887. Ἀνατέλλοντός τε ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προσκυλίσεις ἅμα καὶ προσκυνήσεις Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πάντων. Ipsis Romanis receptum, in precando verti ad Orientem. Hyginus de Limitibus: *Antiqui architecti in Occidentem templa recte spectare scripserunt. Postea placuit omnem religionem eo convertere, ex qua parte cœli terra illuminabatur.* Isidorus 15, 4. templa ita structa ait, *ut qui consuleret ac de-*

XXV. Vagus inde, an consilio Ducis subditus rumor, "advenisse Mucianum; exercitus invicem salutasse:" gradum inferunt, quasi recentibus auxiliis aucti; rariore jam Vitellianorum acie, ut quos, nullo rectore, suus quemque inpetus vel pavor contraheret diduceretve. Postquam inpulsos sensit Antonius, denso agmine obturbabat: laxati ordines abrumpuntur: nec restitui quivere, inpedientibus vehiculis tormentisque. Per limitem viæ sparguntur, consectandi festinatione, victores. Eo notabilior cædes fuit, quia filius patrem interfecit: rem nominaque, auctore Vipstano Messalla, tradam. Julius Mansuetus, ex Hispania, Rapaci legioni additus, inpubem filium domi liquerat: is mox adultus, inter septimanos a Galba conscriptus, oblatum forte patrem et vulnere stratum, dum semianimem scrutatur, agnitus agnoscensque et exsanguem amplexus, voce flebili precabatur "piatos patris Manes,

*precaretur, rectum aspiceret Orientem.* Latinus Pacatus in Paneg. ad Theodosium c. 3. *Nam ut, divinis rebus operantes, in eam cæli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est.* Nec Christiani abhorruerunt. Tertullianus Apolog. c. 16. *Alii plane humanius et verisimilius, Solem credunt Deum nostrum...Suspicio inde, quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari. Sed plerique vestrum, adfectatione aliquando et cœlestia adorandi, ad Solis ortum labia vibratis.* LIPS.

*Tertiani salutaverc*] Legionem hanc Gallicam cognominatam scribit Dio 65, 14. et c. 13. ridiculas exercituum salutationes fingit. Mox Bud. *inferre.*

*Vagus inde, consilio*] Romanus codex *vagus inde, an consilio:* quod valde amplector. Ambigit videlicet, fortuitu natus inter milites is rumor, an arte Ducis sparsus. LIPS. Consentit MS. Flor. unde recepit Pichena. Rom. Cod. int. ed. pr. ERN. *An* deest in Bud. ed. Put. Alc. Rhen.

*Contraheret, diduceretve*] Sententia et ἀναπόδεικτος sic visa postulare: vulgo *ducerctve.* LIPS. Bip. posuere *deduceretve*, i. e. averteret, subduceret.

*Postquam pulsos sensit*] Nondum sane *pulsos.* Legendum *perculsos*, recte judicat Acidalius. Verbum *sensit* indicat, referri hæc ad præcedentia, quæ *perculsos* desiderant, sicut verbum *sensit* ipsum. Res ita evidens est, ut recipere non dubitarim. Similiter ap. Livium 28, 33. *perculsi* pro *pulsi* e conjectura Rhenani, receptum, contra scriptos: et pluribus locis in libris vett. hæc verba confusa supra 2, 14. in simili re: *additus perculsis terror, invecta in terga pugnantium classe.* Et sic centies. Mox *obturbabat* MS. Flor. (Bud.) Reg. Agr. edd. pr. J. Gron. ceteræ *obturbat.* ERN. Rectius Bip. *inpulsos.* Primam syllabam ultima præcedentis vocis littera abstulit.

*Impuberem filium*] MSS. Flor. Harl. (Bud.) Oxon. Guelf. etc. *impubem.* Consensus MSS. facit, ut cum J. Gronovio sic ediderim, quem v. ad h. l. Pichenam ad 4, 14. inprimis Drakenb. ad Liv. 2, 13. ubi copiose de hac forma agit, etiam hoc loco laudato. ERN.

*Precabatur placatos patris Manes*] Frustra hæsere viri docti in hoc loco, eumque variis modis tentarunt. Sensus est: *precabatur Manes patris, ut sibi placati essent, neve* etc. Porro *placatos* vera lectio, quæ est in Flor. Bud. Guelf. edd. Puteol. Beroaldi sqq. ante Lipsium, qui edidit *piatos*, ex ed. superiori, nescio qua; quod omnes secuti sunt. Pichena quidem testis, in MS. se reperisse *piatos*, et id exhibet ed. pr. verum ea lectio nata est e *platos* quod et in Flor. fuit scriptum ab initio pro *placatos.* Vid. Pich. Latinitas quidem non patitur, ut dicamus *precari Manes* vel *Deos piatos;* sed *placatos*, i. e. non iratos. At *piati* fiunt Manes sacrificiis et aliis, quæ religio sanxit. Itaque non dubitavi *placatos* præferre. Broterius conjicit: *v. fi. Deos pr. ne piatos p. m.* quia MSS. quidam habent, *ne piatos.* Mox bene Pichena edidit *aversarentur* e Flor. pro *adversarentur*, quod est in ceteris scr. (Bud. etiam) et ante Pichenam editis: unde firmantur supra dicta ad H. 1, 38. ERN. Adde 2, 51. Unde *piatos* sumserit Lipsius, non indicat. Pichena ad cod. MS. provocat; Ryckius ad Agr. et *piatos* explicat per *impiatos*, ut apud

neve se ut parricidam aversarentur: publicum id facinus; et unum militem quotam civilium armorum partem?" simul adtollere corpus, aperire humum, supremo erga parentem officio fungi. Advertere proximi, deinde plures: hinc per omnem aciem miraculum et questus et sævissimi belli exsecratio: nec eo segnius propinquos, adfines, fratres trucidatos spoliant: factum esse scelus loquuntur faciuntque.

XXVI. Ut Cremonam venere, novum immensumque opus occurrit. Othoniano bello, Germanicus miles mœnibus Cremonensium castra sua, castris vallum circumjecerat: eaque munimenta rursus auxerat: quorum adspectu hæsere victores, incertis Ducibus, quid juberent: incipere oppugnationem, fesso per diem noctemque exercitu, arduum, et, nullo juxta subsidio, anceps: sin Bedriacum redirent, intolerandus tam longi itineris labor, et victoria ad inritum revolvebatur. Munire castra? id quoque, propinquis hostibus, formidolosum, ne dispersos, et opus molientes subita eruptione turbarent: quæ super cuncta terrebat ipsorum miles, periculi quam moræ patientior: quippe ingrata, quæ tuta; ex temeritate spes: omnisque cædes et vulnera et sanguis aviditate prædæ pensabantur.

XXVII. Huc inclinavit Antonius, "cingique vallum corona" jussit: primo sagittis saxisque eminus certabant, majore Flavianorum pernicie, in quos tela desuper librabantur: mox vallum portasque legionibus adtribuit, ut discretus labor fortes ignavosque distingueret, atque ipsa contentione decoris accenderentur. Proxima Bedriacensi viæ tertiani septimanique sumpsere: dexteriora valli octava ac septima Claudiana: tertiadecimanos ad Brixianam portam inpetus tulit. Paullum

Nonium 4, 363. quo sensu in Virg. 6, 569. *piacula* sumuntur. Bip. *piatos* recepere; malint tamen *impiatos*, et *deprecabantur* scil. culpam. Ryckii rationem amplector; explicatio Ernesti non mihi satisfacit; probant tamen Brot. et Lall.

*Publicum id facinus* etc.] Sensus est: ne sibi potius imputent hoc facinus, quam universis civilibus armis, universo exercitui, bellum civile ausso: cujus se minimam partem esse, nec totam culpam ferre debere. Acidalius putabat hæc verba esse alieno loco, et post *belli exsecratio* ponenda. Ern.

*Trucidatos spoliant*] (Sic Bud.) Flor. *trucidati*: quod J. Gronovius factum putat ex *trucidant*: bene, ut opinor; quia sequitur *faciunt scelus*. Ern.

*Adfinis*] Ita Bud. qui frequenter sic adcusandi casum effert.

*Othoniano bello*] Cf. 2, 22.

*Fesso p. d. n. exercitu*] MS. Agr. *fessos exercitus*: quod et ipsum rectum. Sed vulgatum melius et verius: etsi Flor. etiam et ed. pr. *fessos*, sed mox *exercitum*. Mox *munire castra* per interrogationem dicta, ad variandam orationem: nam alias non convenit *id quoque*, quod est respondentis. Ern. Bud. *fessos p. d. n. exercitu*. Bip. *fessos* ad *incipere* referunt et verba *per d. n. exercitum* in parenthesi ponunt. Mox post *munire castra* interrogandi signum non probant. Paullo post Bud. *ruptione*.

*Ex temeritate spes*] Copula *et* ante *ex*, auctore Flor. recte deleta J. Gronovio. Nam in contrariis copulæ nullus, certe non elegans, usus. Consentit ed. pr. In MS. Guelf. (Bud.) edd. Puteol. et seqq. ante Lipsium, *et temeritate*: ubi *et* vitiose pro *ex*, ut aliis locis: hinc vulgata *et ex* nata, a Lipsio temere recepta ex libro, quem ad editionem suam accommodavit. Ern. Bud. quoque mox *et prox. agnis* pro *e prox. a.*

inde moræ, dum e proximis agris ligones, dolabras, et alii falces, scalasque convectant: tum, elatis super capita scutis, densa testudine succedunt. Romanæ utrimque artes: pondera saxorum Vitelliani provolvunt; disjectam fluitantemque testudinem lanceis contisque scrutantur: donec, soluta compage scutorum, exsangues aut laceros prosternerent multa cum strage.

XXVIII. Incesserat cunctatio, ni Duces fesso militi, et velut inritas exhortationes abnuenti, Cremonam monstrassent. Hormine ad ingenium, ut Messalla tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim: nisi, quod neque Antonius, neque Hormus, a fama vitaque sua, quamvis pessimo flagitio, degeneravere. Non jam sanguis, neque vulnera morabantur, quin subruerent vallum, quaterentque portas; innixi humeris et super iteratam testudinem scandentes, prensarent hostium tela brachiaque: integri cum sauciis, semineces cum exspirantibus, volvuntur, varia pereuntium forma et omni imagine mortium.

XXIX. Acerrimum septimæ tertiæque legionum certamen: et Dux Antonius, cum delectis auxiliaribus, eodem incubuerat. Obstinatos inter se cum sustinere Vitelliani nequirent, et superjacta tela testudine laberentur; ipsam postremo balistam in subeuntes propulere: quæ, ut ad præsens disjecit obruitque, quos inciderat, ita pinnas ac summa valli ruina sua traxit:

*Multa cum strage, incesserat*] Id est, quia multa strages, timidior et cunctantior jam miles. LIPS. Male. Distinctio vitiosa in libris edd. ante Pichenam fuit: qui e Flor. sic, ut nunc est, interpunxit. Consentit ed. pr. ERN. Lips. loco *cunctatio* perperam conjectat *tentatio*.

*Hormine id ingenium*] i. e. inventum, ut ap. Plin. Pan. c. 49. *exquisita ingenio cœnarum*: ubi v. Schwarzius, et ad c. 25. Pro *semineces* (quod in Bud.) MS. Reg. Agr. et ed. pr. *semianimes*. Paullo ante edidi *prensarent* e MS. Guelf. ed. pr. pro *prchens*. ERN. Bud. quoque *prensarent*. Bip. recte *ad ingenium*. Mox c. Agr. et Reg. Lall. *ut Messallæ traditum*.

*Et omni imagine mortium*] Poetas imitatus, *imaginem* pro genere dixit et exemplo. ERN. Cf. Virg. Æn. 2, 369. Mox Bud. *tertie decime septimeque*.

*Superjacta tela*] Sic bene Flor. et Bud. pro vulg. *superjecta*. Vide infra 5, 6. et Sall. Fr. c. 12. Cod. Agr. non male *superjactata*.

*Balistam*] Muretus *molem*, forsan e codice. Et cod. Agr. *molem valli*, glossema.

*Disjecit obruitque, quos inciderat*] Primum de balista non satis commode *obruit* dicitur: sed de majoribus molibus, velut A. 4, 62. de amphitheatro, quod dicitur *operuisse* homines ruina: valdeque vereor, ne Tacitus scripserit *obtrivitque*, quod convenit tali machinæ. Et inane erat *obruit* addere, quod ex *inciderat* intelligi potest. Vestigia ejus lectionis in corruptissima ed. pr. scriptura: *disjecta breviterque*. Atque etiam alibi librarii sic permutarunt ista verba. Sic ap. Liv. 3, 56. pro *obtrivisset*, in scr. et edd. repertum *obruisset*, ubi v. Drakenb. Certe Tacitus, si *obruit* scripsisset, non addidisset, *in quos inciderat*: nam hoc jam est in verbo *obruit*; sed *oppugnatores*, *subeuntes*, aut simile quid: ut adeo nullo modo de veritate correctionis nostræ dubitari queat. Porro *quos* habent Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. omnes, pro *in quos*: ne quis hæreat: nam et sic alii dixerunt: quamquam non negandum, librarios sæpe in hujus verbi constructione præpositionem temere omisisse, ubi iis docti viri non paruere. Vid. Drakenb. eundem ad Liv. 2, 30. ubi hunc locum Taciti afferre non neglexit; ut, si liber bonus juvaret, libenter *quis* scriptum a Tacito statuerem; præsertim cum illum modum loquendi alibi in Ta-

simul juncta turris ictibus saxorum cessit: qua septimani dum nituntur cuneis, tertianus securibus gladiisque portam perfregit. Primum inrupisse C. Volusium, tertiæ legionis militem, inter omnes auctores constat: is in vallum egressus, deturbatis qui restiterant, conspicuus manu ac voce "capta castra" conclamavit: ceteri, trepidis jam Vitellianis, seque e vallo præcipitantibus, perrupere: completur cæde, quantum inter castra murosque vacui fuit.

XXX. At rursus nova laborum facies: ardua urbis mœnia, saxeæ turres, ferrati portarum obices, vibrans tela miles, frequens obstrictusque Vitellianis partibus Cremonensis populus, magna pars Italiæ, stato in eosdem dies mercatu congregata: quod defensoribus auxilium ob multitudinem, oppugnantibus incitamentum ob prædam, erat. "Rapi ignes" Antonius, "inferrique amœnissimis extra urbem ædificiis" jubet; si damno rerum suarum Cremonenses ad mutandam fidem traherentur: propinqua muris tecta, et altitudinem mœnium egressa, fortissimo quoque militum complet: illi trabibus tegulisque et facibus propugnatores deturbant.

XXXI. Jam legiones in testudinem glomerabantur, et alii

cito non observarim, et scriptores tantum inferioris ætatis pro ea ratione laudentur. ERN.

*Nituntur cuneis*] Hoc est *cuneatim irrumpere*. Cf. A. 1, 51. H. 2, 42. 5, 16. 18. Mox Bud. *concessit*: et dein *rupisse*.

*Securibus gladiisque portam perfregit*] Non spernam ego elegantem conjecturam Heinsii, ni fallor, apud Ryckium, corrigentis *securibus dolabrisque*. Nam gladiorum in portis perfringendis nullus usus. Intelligendæ autem dolabræ, quales illæ apud Curtium 5, 6. quibus *vasa cædebant milites*, 8, 4. *sternerent arbores*. ERN.

*In vallum egressus*] Eodem modo usus est verbo *egrediendi* infra c. 71. *in quarum tectum egressi*. ERN.

*Deturbatis, qui restiterant*] *Restiterant* edd. vett. ante Rhenanum: favet Flor. in quo *resisterant*. Idque restituit Pichena. MS. (Bud.) Guelf. edd. Rhen. sqq. *resisterent*. Illud melius esse totus contextus clamat. ERN.

*Capta castra conclamavit*] Verbum *conclamare* de uno dictum et ab aliis, nominatim Virgilio Æn. 9, 375. *Haud temere est virum, conclamat ab agmine Volscens*. Valer. Fl. 3, 259. *Conclamat ab aggere Tiphys*: quamquam etiam in illo loco libri quidam *aggere*: quæ si vera lectio, eum locum Tacitus in mente habuisse videri potest. ERN.

*Completur cæde*] Quis vero numerus cæsorum in his prœliis? Tacuit noster, expressit Hegesippus 4, 30. *Exstincta triginta millia et ducenti viri de exercitu Vitellii. Primusque* (*id enim Antonio cognomentum erat*) *quattuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit*. LIPS.

*Ac rursus nova lab. facies*] Primo haud dubie scribendum, *at rursus*: quod facile quivis attendens et comparans antecedentia, sentiet. Reperit et Brot. in MS. et recepit *at*. Deinde respexit ad illud Æneæ ap. Virgil. Æn. 6, 103. *Non ulla laborum, o virgo, nova mi facies*, etc. ut jam notavit Acidalius. ERN. Bud. *ac*.

*Illi trabibus* etc.] Primum, etsi bene fero *illi*, sc. milites; tamen aures meæ potius desiderant *hinc* vel *illinc*, inde, ex istis ædificiis, mittunt, quibus deturbent propugnatores. Deinde *trabibus* haud dubie vitiosum: nam trabes quomodo tam longe milites jaculentur sine tormentis, quæ ibi nulla fuere. Id vidit Heinsius, qui apud Ryckium corrigebat *lateribus*. Sed, quia tegulæ quoque generis lateritii, malim fere *lapidibus*, ut infra c. 71. *saxis tegulisque* e tectis obruunt Vitellianos. Probat Mullerus. ERN. *Trabibus* bene habet. Tectorum ipsorum tegulas et trabes de culmine domuum dejiciebant in hostes. Sic tormentis non erat opus, ut et Bip. monent.

*In testudinem glomerabantur*] Sic bene e Flor. edidit Pichena pro *glome-*

tela saxaque incutiebant, cum languescere paullatim Vitellianorum animi. Ut quis ordine anteibat, cedere fortunæ: ne, Cremona quoque excisa, nulla ultra venia, omnisque ira victoris, non in vulgus inops, sed in Tribunos Centurionesque, ubi pretium cædis erat, reverteretur. Gregarius miles, futuri socors et ignobilitate tutior, perstabat: vagi per vias, in domibus abditi, pacem ne tum quidem orabant, cum bellum posuissent. Primores castrorum nomen atque imagines Vitellii amoliuntur: catenas Cæcinæ (nam etiam tum vinctus erat) exsolvunt, orantque, " ut caussæ suæ deprecator adsistat:" adspernantem tumentemque lacrymis fatigant (extremum malorum) tot fortissimi viri, proditoris opem invocantes: mox velamenta et infulas pro muris ostentant. Cum Antonius " inhiberi tela" jussisset, signa aquilasque extulere: mœstum inermium agmen, dejectis in terram oculis, sequebatur. Circumstiterant victores, et primo ingerebant probra, intentabant ictus: mox, ut præberi ora contumeliis, et, posita omni ferocia,

*rantur:* nam sequitur *incutiebant.* Consentiunt MSS. (Bud.) Guelf. Bodl. Mox *languéscère* idem ex eodem libro pro *languere* (Bud. *languere*). Ed. pr. *languescerent;* quod non spernam: infinitivum copula *et*, sive addita temere ante *ut*, sive intellecta, peperisse videtur. Sed infinitivus quoque rectus. Dein cum Ryckio et Gronovio deleto *et*, dedi *ut quisque o. a.* et ei rei interpunctionem accommodavi. Consentiunt MS. Agr. ed. pr. nisi quod habent *quis*, pro *quisque.* Denique *reverteretur*, pro simplici *verteretur*, dictum, quod rescribi volebant Muretus et Ursinus (et Acidal.). Vid. ad Sueton. Aug. c. 77. ERN. Flor. etiam et Bud. habent *ut quis*, et sic noster passim, ut A. 2, 24. 73. 83. 4, 23. 36. Ergo restitui cum Bip. et J. Gron. Dein *reverteretur*, rectius.

*Nomen atque imagines*] Nomen ejus in signis. Mos enim ille, ut Imperatoris sui nomen tum vexillis inscriberent, tum scutis. Quod etiam in libera Rep. video factitatum. Dio de Crasso in Parthos movente 40, 18. Σημεῖον δέ τι τῶν μεγάλων τοῖς ἱστίοις ἐοικότων, καὶ φοινικᾶ γράμματα ἐπ' αὐτοῦ πρὸς δήλωσιν τοῦ τε στρατοῦ καὶ τοῦ στρατηγοῦ σφῶν τοῦ αὐτοκράτορος ἐχόντων. Thebaidis scriptor etiam Græcis attribuit, sed mentem habens in militia Romana:—*aurea clarum nota Nomen Ducum vexilla præscriptum ferunt:* facitque litteras aureas, quas Dio puniceas. Huc Suetonii illud pertinet Vespas. 6. *Nomen ejus vexillis omnibus sine mora inscripserunt.* Item Prudentii de Constantino, in Symm. 1, 488. *Christus purpureum, gemmato textus in auro, Signabat labarum: clypeorum insignia Christus Scripserat.* Qui bene addit de clypeis, sive scutis: nam et illic, ut dixi, inscribebant. Quinctilianus pro Milite c. 12. *Inscriptum in scuto C. Marii nomen.* Dio 42, 15. Marcellum ait *nomen Pompeii, cum id scutis suis milites inscriberent, delesse:* uti scilicet fautorem se Cæsari ostenderet. Idem 50, 5. notat, Romanos milites *Cleopatræ nomen scutis inscripsisse*, quasi Imperatoris. D. Ambrosius (sive quis alius ille scriptor) ad hunc ritum respexit Oratione funebri de Valentiniano § 58. *Valentinianus habens in se imaginem Christi...Nec injuriam putaveris: charactere Domini inscribuntur et servuli, et nomine Imperatoris signantur milites:* nisi tamen ad puncturas et stigmata militum hoc refers; quod non sperno. LIPS. De nominibus adde nostrum H. 2, 85. 3, 13. ERN.

*Tum vinctus*] Bud. *tunc vinctus.*

*Extremum malorum* etc.] Interpunctio hæc debetur Pichenæ, qui sic loco succurrit, adjutus MS. Flor. Pro *tot* MS. Guelf. Bud. ed. Rhen. et sqq. ante Lipsium *ac.* ERN. Priora verba intercludo cum Bip. et præcedens punctum tollo. Mox Freinsh. malebat *jussit et:* non opus.

*Circumstiterant*] MS. Guelf. a manu sec. ed. pr. *circumsteterant.* V. ad 4, 69. Mox eadem ed. pr. *intendebant.* ERN. Bud. et ed. Put. Alc. Rh. *circumstiterant.*

*Mox, ut præberi ora c.*] Non est verbum, unde pendeat *præberi:* sequitur enim *et patiebantur.* Pronum foret con-

cuncta victi patiebantur, subit recordatio, illos esse, qui nuper Bedriaci victoriæ temperassent. Sed, ubi Cæcina, prætexta lictoribusque insignis, dimota turba, Consul incessit, exarsere victores: "superbiam, sævitiamque," (adeo invisa scelera sunt) etiam "perfidiam," objectabant. Obstitit Antonius, datisque defensoribus, ad Vespasianum dimisit.

XXXII. Plebs interim Cremonensium inter armatos conflictabatur: nec procul cæde aberant, cum precibus Ducum mitigatus est miles. Et vocatos ad concionem Antonius adloquitur, magnifice victores, victos clementer: de Cremona in neutrum. Exercitus, præter insitam prædandi cupidinem, vetere odio, ad excidium Cremonensium incubuit: juvisse partes Vitellianas, Othonis quoque bello, credebantur: mox tertiadecimanos, ad exstruendum amphitheatrum relictos, ut sunt procacia urbanæ plebis ingenia, petulantibus jurgiis inluserant. Auxit invidiam editum illic a Cæcina gladiatorum spectaculum: eademque rursus belli sedes: et præbiti in acie Vitellianis cibi: cæsæ quædam feminæ, studio partium ad prœlium progressæ: tempus quoque mercatus, ditem alioqui coloniam, majorum opum specie complebat. Ceteri Duces in obscuro: Antonium fortuna famaque omnium oculis exposuerat: is balneas, abluendo cruori, propere petit: excepta vox

jicere *præbuere*. Sed non necessarium aliquid tentari. Similiter A. 12, 51. *post ubi quati uterus, et viscera vibrantur*. Arbitror, esse ἀνακόλουθον, constructionis, idque sic resolvendum, velut h. l. ut præberi ora c. et cuncta victos pati videbant: in illo 12, 51. ubi *quati uterum et viscera vibrari* sentit. Mox *ferocia* melius quam *fiducia*; quod est in MS. Guelf. ed. Puteol. Ber. Alc. ERN. Bud. *ferocia*. Recepit Rhen.

*Subit recordatio*] *Recordatio* est in ed. pr. Rhen. sqq. omnibus, et, ut e silentio Pichenæ et J. Gron. colligere licet, in MS. Flor. In Bud. legitur *ratio*, ut in Guelf. unde Rhenanus colligebat *miseratio: subit miseratio: illos esse* etc. Sic interpungendum, ut mox *exarsere victores: superbiam* etc. Nempe conversio tanta rerum misericordiam movit, ut alibi. Mihi hoc melius placet. In his miseratio orta: in Cæcina indignatio. Omninoque melius cohærens oratio esset. ERN. Bud. *ratio* verius videtur Bipontinis.

*Victoriæ temperassent*] Sic in libris meis omnibus reperi: in nullo *obtemperassent*, ut ex h. l. laudat Ciaccon. ad Cæs. B. G. 1, 33. Apud Sallustium autem Cat. 11. in hac formula *victoriæ temperare* est illa confusio. V. Cort. De formula ipsa Oudend. ibi laudat Gronov. ad Liv. 1, 29. ERN.

*Consul incessit*] Guelf. et alii *incessisset*, male; item mox, *objectant*, quod non spernam. Sic ante: *subit recordatio*. ERN. Bud. *incessit*.

*Plebs*] Sic Flor. Bud. Agr. Pichena aliunde *plebes*.

*De Cremona in neutrum*] Id est, in neutram partem aliquid pronunciavit; neque ad salutem, neque ad perniciem. ERN.

*Editum illic a Cæcina* etc.] Præpositio *a* et mox copula *que* est in libris omnibus meis præter ed. Rhen. et eum secutas ad Pichenam. Paullo post *majore* MS. Bodl. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. recepit Broterius. ERN. Præpositionem se delevisse Rhen. ait, quia deest in Bud. et putabat subaudiri; verum in editione ejus sec. legitur. Contra Bud. habet *eademque*, Rhen. *eadem*. Bud. et Rhen. *majorum*. Bud. *ad bellum*; Rhen. *ad prœlium*. Bud. *alioqui*.

*Is balneas abluendo cruori*] Pichena e Flor. dedit *balineas*; sed, quia supra c. 11. *balnearum* editum est, hic eandem scripturam servandam putavi. *Abluendo cruore* habent edd. ante Rhen. omnes. Idque recte dicitur, et exquisitius antiquiusque, quam *cruori*, ut jam ad Annales dictum. Itaque id secutus essem, nisi libri Florentini auctoritas obstaret, cui Guelf. consentit. Mox pro *incalescerent* MSS. Oxon. Harl. *inardescerent*.

est, cum teporem incusaret, "statim futurum, ut incalesceret." Vernile dictum omnem invidiam in eum vertit, tamquam "signum incendendæ Cremonæ dedisset," quæ jam flagrabat.

XXXIII. Quadraginta armatorum millia inrupere, calonum lixarumque amplior numerus, et in libidinem ac sævitiam conruptior. Non dignitas, non ætas protegebat, quo minus stupra cædibus, cædes stupris, miscerentur. Grandævos senes, exacta ætate feminas, viles ad prædam, in ludibrium trahebant. Ubi adulta virgo, aut quis forma conspicuus, incidisset, vi manibusque rapientium divulsus, ipsos postremo direptores in mutuam perniciem agebat: dum pecuniam, vel gravia auro templorum dona, sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur. Quidam obvia adspernati, verberibus tormentisque dominorum abdita scrutari, defossa eruere. Faces in manibus: quas, ubi prædam egesserant, in vacuas domos et inania templa per lasciviam jaculabantur: utque exercitu, vario linguis, moribus, cui cives, socii, externi interessent, diversæ cupidines, et aliud cuique fas, nec quidquam inlicitum. Per quatriduum Cremona suffecit. Cum omnia sacra profanaque in igne considerent, solum Mephitis templum stetit ante mœnia, loco, seu Numine defensum.

Illud verum, et melius, ut quivis sentit. Ipse tepida aqua non incalescebat, quam suppeditaverant: minatur, fore, ut illi incalescerent, sed alio modo. ERN. Rhen. e Bud. *cruori.*

*Viles ad prædam*] Turnebo ne accedamus rescribenti *miles ad prædam.* Taciti enimvero mens, eos ipsos, qui aut ætate aut imbecillitate non erant ullius æris, raptos tamen per sævitiam et ad illusum. Curtius non absimiliter in direptione Persepolis 5, 6. *Neque avaritia solum, sed etiam crudelitas, in capta urbe grassata est: auro argentoque onusti, vilia captivorum corpora trucidabant.* LIPS.

*Aut quis forma conspicuus*] An *aut puer forma conspicuus.* GRON. In tali contextu non videtur necessarium substantivum poni. Genus enim et mentio facta virginis facit, ut sponte intelligatur pueri nomen. Solenne hoc Græcis inprimis. Sic apud Homer. Il. A. initio, ψυχαῖς ἰφθίμων opponuntur αὐτοὶ pro σώμασιν: et sic centies. ERN.

*Ipsos postremo direptores*] Talis illa in capta urbe descriptio Quinctiliani 8, 3. *Et conata retinere infantem suum mater, et, sicubi majus lucrum, pugna inter victores.* LIPS.

*Majore a. v. truncabantur*] Abscisis manibus, ut omitterent occupata: sed, ni fallor, huic rei non satis convenit *majore aliorum vi:* forte fuit *obtruncabantur* (ut voluit Heins.) vel *trucidabantur.* Etiam supra dixit in perniciem actos milites, dum de virginibus aut pueris formosis pugnarent. ERN.

*Vi tormentisque dominorum abdita scrutari*] Sic 2, 13. matrem per cruciatus interrogant milites ubi filium occuleret. Frustra itaque Ursinus et Muretus corrigunt *domorum.* ERN.

*Utque exercitu, vario*] i. e. atque ut fit in exercitu tali etc. Præpositio omissa (v. ad c. 19.) fecit, ut quidam *exercitui* fecerint, ut est in Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Mox melius puto *inessent.* ERN. Bud. Rhen. *exercitu.*

*In igne considerent*] Heinsius ex Ovidio corrigebat *ignem.* Sic etiam Virgil. Æn. 2, 624. unde scil. sumsit suum, ut alia, Ovidius: *omne mihi visum est considere in ignes Ilium.* Atqui Tacitus libenter imitatur Virgilium: etiam ap. Virgilium MS. Hamburg. *in igne* vitiose dedit. Itaque valde arridet ista correctio *in ignem* vel *in ignes.* ERN. Heinsius de Virgilio cogitabat; nam apud Ovidium tale nihil. *In igne* Bip. subaudiunt *cineribus obruto.* Sed Statius etiam Theb. 3, 184. *in cinerem consedit.*

*Mephitis*] Dea tetri odoris, de qua Serv. ad Æn. 7, 84. ERN.

XXXIV. Hic exitus Cremonæ, anno CCCXXXVI a primordio sui. Condita erat Ti. Sempronio et Cornelio Consulibus, ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos, trans Padum agentes, et si qua alia vis per Alpes rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, annexu connubiisque gentium, adolevit floruitque, bellis externis intacta, civilibus infelix. Antonius, pudore flagitii, crebrescente invidia, edixit, " ne quis Cremonenses captivos detineret:" inritamque prædam militibus effecerat consensus Italiæ, emptionem talium mancipiorum adspernantis. Occidi cœpere: quod ubi enotuit, a propinquis adfinibusque occulte redemptabantur: mox rediit Cremonam reliquus populus: reposita fora templaque munificentia municipum: et Vespasianus hortabatur.

*Hic exitus Cremonæ*] Sic edidi ex ed. pr. cui consentit MS. Agr. quamquam *Cremonæ* a man. sec. additum. *Habuit* abest a MS. Flor. Bud. in quibus quia est *Cremonam*, addidere *habuit*, e formula Tacito solenni. *Cremonam* servari, sine *habuit*, ut vult J. Gronovius, intellecto *mansit*, duabus de caussis fieri non placet: primum, quia ista ellipsis inusitata, quod et de *habuit* dicendum: dein, quia verbum *manere* fere de futuris rebus dicitur, et, si de præteritis dicitur, *manserat* esse debet, non *mansit*. Accusativi et genitivi primæ declinationis sæpe in libris confusi. Ern. Reg. Lall. quoque habet *Hic ex. Cremonæ*. Recepere Lall. Brot. Bip. Gruterus etiam.

*Ti. Sempronio*] Id est, Tiberio. Male enim vulgo *Tito*: ex Livio 21, 6. et Fastis. Lips. *P.* abest ante *Cornelio* a Flor. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. unde delevi. Sic A. 14, 1. *C. Vipstano, Fonteio Coss.* ut monet J. Gron. Ern.

*Per Alpes rueret*] A Beato hoc est (e Bud.); antea *irrueret*. Legam *ingrueret*. Lips. *Rueret* est etiam in Flor. ed. pr. quod nequaquam tentandum. Horat. C. 4, 2. *Monte decurrens velut amnis—fervit, immensusque ruit Pindarus ore*. Similiter *irrucre* pro *ruere* tentabat Heins. A. 2, 17. Ern.

*Annexu connubiisque gentium*] *Annexu* est conjunctione quacunque, quales commercia, connubia, concilia communia; cui subjicitur species conjunctionis. Pro *gentium* Spanhem. de V. et P. N. t. 2. p. 619. malebat *adjacentium*, quod *gentium* nimis vagum et indefinitum videbatur. Neque aut satisfaciunt dicta Ryckio, aut convenit exemplum ab eo prolatum e Liv. 8, 14. *ceteris Latinis populis connubia commerciaque et concilia inter se ademerunt*: nam ibi omnia definita. Sed malim tamen intelligere *aliarum*; quod verbum a Græcis sæpissime, ab imitatoribus eorum interdum, omitti, dudum observatum est. Ern. Agr. *connexu*. Rhen. malebat *adhæsu*. Bip. conjiciunt *agri annexi*. *Ubere agri* plane ut Virg. Æn. 3, 164. *ubere glebæ*. Mox Bud. *civilibusque*.

*Pudore flagitii*] Ita mei libri. Budensis *pistore*: vulgati pessime *post rem flagitii*. Lips. Etiam Flor. Guelf. ed. pr. *pudore*. Ern. Ex ingenio conjiciebat *pudore* Rhenanus: Pichena restituit e Flor. Acidalius e *post rem* conjectabat *postremi*.

*Cremonenses captivos*] Cod. Agr. et Reg. Lall. *Cremonensem captivum*.

*Occidi cœpere*] Sic Rhenanus dedit e vestigiis MS. Bud. in quo erat *cecidi*. At *occidi* jam editum erat in ed. pr. quod est etiam in Flor. Ceteri ante Rhen. *cædi*, ut est in Guelf. *Mox redemtabantur*, quod e Flor. edidit (Pichena et) Ryckius, etiam est in MSS. Agr. Guelf. In margine autem pro var. lect. est *redimebantur*. Gaudere Tacitum frequentativis, supra jam observatum, et lectio quemque docet. Ern. Bud. *redimebantur*. Sic Put. Alc. Rh.

*Magnificentia municipum*] Placet magis, quod in Rom. codice est, (i. ed. pr.) *munificentia*. Lips. Sic et MS. Reg. idque melius puto: et recepissem in contextum, nisi *magnificentia* quoque uteunque ferri posset, intellecta magnitudine animi, quæ in munificentia vel maxime cernitur, ut mox c. 37. Verba

XXXV. Ceterum adsidere sepultæ urbis ruinis, noxia tabo humus haud diu permisit: ad tertium lapidem progressi, vagos paventesque Vitellianos, sua quemque apud signa, componunt. Et victæ legiones, ne, manente adhuc civili bello, ambigue agerent, per Illyricum dispersæ. In Britanniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Julium Calenum, Tribunum, in Germaniam Alpinum Montanum, Præfectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Æduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere. Simul transitus Alpium præsidiis occupati: suspecta Germania, tamquam in auxilium Vitellii accingeretur.

XXXVI. At Vitellius, profecto Cæcina, cum Fabium Valentem, paucis post diebus, ad bellum inpulisset, curis luxum obtendebat: non parare arma, non adloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, jacent torpentque, præterita, instantia, futura, pari oblivione dimiserat. Atque illum, in nemore Aricino desidem

illa permutantur et A. 12, 3. ubi *magnificentia* verum. Recepere Brot. et Allem. ERN. Hic e cod. Reg. Sequor cum Bip. Bud. *magnificentia* et prius *templa quoque*.

*Noxia tabo humus*] MS. Agr. *tabe*; quod non displicere videtur Ryckio, laudanti A. 2, 69. Mihi quoque placeret, si libri plures consentirent. Nam non uno sane loco pro *tabe* datum *tabum* a librariis, ignorantibus, etiam *tabem* sic dici. Vid. ad l. c. sed nec infercienda ubique sine idoneis auctoribus *tabes*. *Tabo* h. l. defendit etiam et illustrat J. Gronov. ad Melam 3, 8. supra 2, 70. *infesta tabo humus*. ERN. Bud. *tabo*.

*Trevir*] Bud. lepide *triumvir*.

*Ad h. impulisset*] Non credo sic Tacitum dedisse. *Ad bellum impellere* est suadere bellum, auctorem alicui esse belli: quod ab h. l. alienum. Princeps imperat Ducibus suis, quod fieri velit. *Expulisset* verum credo. Invitus homo socors et voluptarius exibat, aut moras nectebat. Suet. Cal. 1. Tiberius Germanicum dicitur *expulisse ad componendum Orientis statum*. Cicero *extrudere* sic dixit in ep. 7, 6. Probat Mullerus. ERN. Bip. contra comparant A. 4, 41. *ad vitam procul Roma impelleret*.

*Non in ore vulgi*] Vera nostra conjectura. Nam in libris omnibus *more vulgi*: quod sane haud convenit. At *in ore agere*, est Latinis coram et in conspectu esse, sese offerre. Sallustianum est, et ab eo penu Tacito promptum. In oratione Cottæ ad Quirites: *A prima adolescentia, in ore vestro privatus et in Magistratibus egi*. Fragmento alio: *In ore agens gentibus, populo, civitati*. Tacitus iterum c. 77. *Julianus ad L. Vitellium perductus, verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur*. Dicendi hoc genus restituendum Plinio censeo in Paneg. 69. *Sunt in honore hominum et in honore famæ magna nomina, ex tenebris oblivionis, indulgentia Cæsaris*. Et lego: *Sunt in ore hominum et in ore famæ*. LIPS. *In ore* etiam Flor. (Bud.) Agr. ERN. *In ore vulgi* etiam Cic. Verr. 1, 46. Cf. noster ad H. 2, 73. Fragmentum alterum Lipsio cit. ductum est e Donato ad Ter. Adelphos 1, 2, 13.

*In nemore Aricino*] Inter Lanuvium et nemus Aricinum superesse rudera villæ Vitellii arbitratur Corradinus Lat. vet. t. 2. p. 193.

*Atque illum—proditio Lucilii B.—perculit*] Nuncii non *percellunt*, sed *percutiunt*, ut alio loco jam docuimus. Itaque legendum *percussit*. *Perculit* esset *perdidit*: quod alienum est. *Repente exterruit*, desideratur: quod est *percussit*. Cicero quidem ep. 5, 7. *veteres inimicos, novos amicos, literis tuis perculsos*: sed sequitur *et de magna spe deturbatos jacere*: quod huic loco dissimile est. Infra c. 56. *ad omnes nuncios vultu quoque et incessu trepidus* dicitur fuisse: hoc est *percussi*, non *perculsi*. Contra Cicero in ep. 9, 25. *atrocissimis percussus est literis*, non *perculsus*. V.

et marcentem, proditio Lucilii Bassi, ac defectio classis Ravennatis perculit. Nec multo post de Cæcina adfertur mixtus gaudio dolor: et descivisse, et ab exercitu vinctum: plus apud socordem animum lætitia, quam cura valuit: multa cum exsultatione in urbem revectus, frequenti concione, "pietatem militum" laudibus cumulat. "P. Sabinum, Prætorii Præfectum, ob amicitiam Cæcinæ, vinciri" jubet, substituto in locum ejus Alpheno Varo.

XXXVII. Mox Senatum, composita in magnificentiam oratione, adlocutus, exquisitis Patrum adulationibus adtollitur. Initium atrocis in Cæcinam sententiæ a L. Vitellio factum: dein ceteri, composita indignatione, "quod Consul Rempublicam, Dux Imperatorem, tantis opibus, tot honoribus cumulatus, amicum prodidisset," velut pro Vitellio conquerentes, suum dolorem proferebant. Nulla in oratione cujusquam erga Flavianos Duces obtrectatio: "errorem inprudentiamque exercituum" culpantes, Vespasiani nomen suspensi et vitabundi circumibant. Nec defuit, qui unum Consulatus diem (is enim in locum Cæcinæ supererat) magno cum inrisu tribuentis accipientisque, eblandiretur: pridie Kal. Novembris Rosius Regulus iniit, ejuravitque. Adnotabant periti "numquam antea, non abrogato Magistratu, neque lege lata, alium

et ad 2, 54. Itaque vix ante dubitavi, in tanta evidentia, corrigere. E Broterio post didici, MS. Reg. habere *percutit*: quod firmat rationem nostram, et lenior correctio est, quæ et sequenti *affertur* melius consentit: id adeo recepi. ERN. Bip. bene notant, omnino homines pavore, metu, dolore, nuntiis etc. percelli. Sic ipse noster A. 1, 28. 42. Nolim ergo a vulg. recedere: restitui *perculit*: pro quo Bud. *pertulit*. Ern. receperat *percutit*.

*P. Sabinum Prætorii Præfectum*] Vid. Lips. ad 2, 92. ERN.

*Suum dolorem proferebant*] h. e. quem ex injuriis Cæcinæ privatim publiceque ceperant. Eum cum alias pressissent, nunc, sub illa specie, edebant. Igitur graviter invecti in Cæcinam: non Vitellii, sed suis injuriis incensi. Sic Livius 7, 21. *curæ privatæ in certaminibus publicis erumpebant*: quod fortasse Tacitus imitatus est. ERN. Cf. A. 15, 73.

*Is enim in locum Cæcinæ supererat*] Proprie dies ille non supererat in locum Cæcinæ, sed e consulatu Cæcinæ. Unde pronum suspicari, verba *in locum Cæcinæ*, esse loco mota, et post *diem* ponenda, sive, post *supererat*. Placet Mullero. Vulgatum sic explicandum: is enim dies supererat volenti succedere in locum Cæc. s. si quis sufficiendus Cæcinæ foret. ERN.

*Cum irrisu tribuentis acc.*] Hoc ordine scr. et edd. ante Rhen. omnes exhibent verba: nisi quod Flor. *tradentis* habet: Rhenanus *acc. tribuentisque* tacite (e Bud.) edidit, quod omnes servarunt. Illud autem bene, quod *eblandiretur* dedit, quamquam conjectura tantum, pro *blandiretur*. Primam literam absorpsit finalis τοῦ *que*, ut sæpe in hoc et similibus verbis. ERN. Bip. e Flor. *tradentisque accipientisque*. Sed ista geminatio conjunctionis vix nostro est in usu: *tradentis, tribuentis*, perinde est. Mox Bud. *iniit, ejuravit*.

*Rosius*] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. edd. pr. Puteol. unde restitui. Primus Beroaldus edidit *Rossius*, non e libris scriptis, (nam hos libros non e MSS. edidit) sed casu ac vitio operarum, quod ab Alciato et Rhenano servatum est temere. *Rosii* et *Rossii* occurrunt in antiquis monumentis: sed libri audiendi. Illud autem nollem factum a Ryckio, ut e MS. Agr. ederet *Roscius*, quæ scriptura librario debetur, vel nomen minus notum in notius convertente, vel pronunciationem suæ ætatis sequente, ut in *scævus, scævire*, et aliis alii pro *sævus, sævire*. Glandorpius laudat ille quidem hinc *Roscius Regulus*, sed non e libris, verum e conjectura, ut in aliis. Vid. ad Ann. 11, 35. ERN.

*Nunquam antea*] Vertranius corrige-

suffectum:" nam Consul uno die et ante fuerat Caninius Rebilus, C. Cæsare Dictatore, cum belli civilis præmia festinarentur.

XXXVIII. Nota per eos dies Junii Blæsi mors et famosa fuit: de qua sic accepimus. Gravi corporis morbo æger Vitellius, Servilianis hortis, turrim vicino sitam conlucere, per noctem, crebris luminibus animadvertit. Sciscitanti caussam, " apud Cæcinam Tuscum epulari multos, præcipuum honore Junium Blæsum," nuntiatur: cetera in majus, de " adparatu et solutis in lasciviam animis:" nec defuere, qui ipsum Tuscum et alios, sed criminosius Blæsum, incusarent, " quod, ægro Principe, lætos dies ageret." Ubi asperatum Vitellium, et posse Blæsum perverti, satis patuit iis, qui Principum offensas acriter speculantur, datæ L. Vitellio delationis partes. Ille infensus Blæso æmulatione prava, quod eum, omni dedecore maculosum, egregia fama anteibat, cubiculum Imperatoris reserat, filium ejus sinu complexus, et genibus accidens: caussam confusionis quærenti, " non se proprio metu, nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris, preces lacrimasque adtulisse. Frustra Vespasianum timeri, quem tot Germanicæ legiones, tot provinciæ virtute ac fide, tantum denique terrarum ac maris inmensis spatiis, arceat. In urbe ac sinu cavendum hostem, Junios Antoniosque avos jactantem, qui se stirpe Imperatoria, comem ac magnificum militibus, ostentet. Versas illuc omnium mentes, dum Vitellius, amicorum inimicorumque negligens, foveat æmulum, Principis labores e convivio pro-

bat *nonnunquam*: quod subjecta ratio desiderat. An hoc voluit dare scriptor libri Guelf. in quo est *nonquam*? sane et alibi ille *o* pro *u* scripsit, ut in *contatio*; sed nusquam in hoc verbo, si recte memini. ERN. Nil mutandum. Agitur hic de casu, qui prorsus extra ordinem fuit. Sic et Bip. sentiunt.

*Caninius Rebilus*] De hoc v. Dio 43, 46. Occurrit et in nummo apud Occonem. Ciceronis in eum irrisio legitur in hujus ad Fam. ep. 7, 30. Mox pro *festinarentur* Bud. *dictarentur*, unde Rhen. volebat *ista darentur*.

*Turrim vicino sitam*] De hoc genere turrium v. dicta ad Sueton. Ner. 38. ubi *turris Mæcenatiana*. Mox MS. Bud. habebat *advertit*. ERN. Probat Muretus. Rhen. vulgatum tenet.

*Ubi asperatum*] Sic MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. idque restituit bene Rhenanus. Puteol. nescio an consulto, edidit *aspernatum*; vitiose: quod tamen servatum a Ber. et Alc. In iisdem edd. mox male *illic* pro *ille* (hoc Rhen. e Bud.). Paullo post interpunctionem correxi. Nam major erat post *reserat*, et minor post *accidens*. Atqui ista jungenda cum *reserat*. Post *confusio* est consternatio, pavor, qui indicatur irrumpendo in cubiculum, et reliquo L. Vitellii mimo: eoque sensu et noster alibi et alii dixere. ERN. Bud. *effusionis*: Rhen. vulg. servat.

*Junios Antoniosque*] Proinde stirpis suæ originem ab Octavia, Augusti sorore, repetere poterat.

*Amicorum inimicorumque negligens*] Hoc est, amicos et inimicos non discernens, ut bene Pichena. Deinde orationis forma videtur desiderare *foveat*: et sic antiquiores dixissent. Sed Tacito solenne est, τῷ *dum* jungere indicativum præsentis, in oratione etiam obliqua, et quocumque tempore præcedente. Sic infra c. 70. *togatum se et unum e Senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium— judicatur*, et sic pluribus locis reperies. Denique *labores Principis* intell. morbum, quo laborabat. ERN. Sic jam Rhen.

*Foveat*] Hoc sermonis series requirit. Vulgo *fovet*. Bip. *foveret*.

spectantem. Reddendam pro intempestiva lætitia mœstam et funebrem noctem, qua sciat et sentiat, vivere Vitellium et imperare, et, si quid fato accidat, filium habere."

XXXIX. Trepidanti inter scelus metumque, ne dilata Blæsi mors maturam perniciem, palam jussa atrocem invidiam, ferret, placuit veneno grassari. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blæsum visendo: quin et audita est sævissima Vitellii vox, qua "se" (ipsa enim verba referam) "pavisse oculos, spectata inimici morte," jactavit. Blæso, super claritatem natalium et elegantiam morum, fidei obstinatio fuit. Integris quoque rebus, a Cæcina et primoribus partium, jam Vitellium adspernantibus, ambitus, abnuere perseveravit: sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non Principatus adpetens, parum effugerat, ne dignus crederetur.

XL. Fabius interim Valens, multo ac molli concubinarum spadonumque agmine, segnius quam ad bellum incedens, "proditam a Lucilio Basso Ravennatem classem," pernicibus nuntiis accepit. Et, si cœptum iter properasset, nutantem Cæcinam prævenire, aut, ante discrimen pugnæ, adsequi legiones potuisset. Nec deerant, qui monerent, "ut cum fidissimis per occultos tramites, vitata Ravenna, Hostiliam Cremonamve pergeret." Aliis placebat, "accitis ex urbe Præ-

*Si quid fato accidat*] Non sufficiebat Tacito, ut aliis, ut verboso scilicet Ciceroni, Livio, *si quid accidat?* An additum fingit a Vitellio, ne ambiguitas offenderet, aut malum omen faceret? Nam etiam de morte a manu hostili, *si quid accidat*, dici solet. Ita videtur. ERN.

*Maturam perniciem*] MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. male *pœnitentiam*. Ed. pr. post vitiose *visa*, pro *jussa*. ERN. *Perniciem* Rhen. e Bud. dedit. Sic et Flor. et Agr. Dein Bud. *jussa*.

*Veneno grassari*] Ego huc referam, in silentio interpretum, Suetonii hæc de Vitellio 14. *Nobiles viros, condiscipulos suos, tantum non ad societatem Imperii omnibus blanditiis allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum veneno, manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione.* Priora Dolabellam notant; hæc de veneno, Junium Blæsum. LIPS.

*Nobili gaudio*] Nescio, an *notabili gaudio*. LIPS. Sic placebat et Faerno, Ursino. Vulgatum certe vitiosum. Nam *nimium gaudium* hic exprimendum erat, quod *nobile gaudium* non dicitur: nec tamen *notabili* satis placet. Curt. 9, 7. extr. *postquam, falso insimulatum eum, nimium invidorum gaudium ostendit. Notabilis constantia* occurrit infra c. 54. sed aliter. Broterio placet *ignobili g.* ERN. *Nobili*, noscibili, manifesto, ut apud Liv. 39, 9. *nobile scortum*. Sic fere idem quod *notabili:* hoc recepere Bip.

*Qua se (ipsa enim verba referam) pavisse oculos*] Sic MSS. Agr. Flor. ed. pr. quod secutus sum, ut multo mollius. Ceteri libri (in his Bud.) *se* habent post parenthesin. ERN. Paullo aliter ista apud Suet. Vit. 14.

*Sanctus, inturbidus*] Ed. pr. *factus:* et sic correctum in MS. Guelf. quid ante fuerit, non potui assequi. Ea verba in MSS. confundi alii docuere. Vid. Drakenb. ad Liv. 10, 9. Possis tamen conjicere *factis inturbidus*, ut alibi *ingenio, moribus turbidus*. ERN.

*Adeo non pr. appetens, ut parum effugeret*] Pro *effugeret* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. *abfuerit*. MS. autem Flor. sic habet: *appetens. Parum effugerat, n. d. c.* quod merito placet J. Gronovio. Corruptela orta est ex eo, quod non intelligerent librarii, *adeo non* eleganter dici pro *nedum:* ut jam ad A. 3, 34. notavimus. In vulgata vix commodus sensus. An enim principatu non appetendo consequimur, ut digni Principatu videamur? Itaque Florentinam interpunctionem recepi. ERN. Bud. vulg. habet. Agr. *effugerit*. Gronovio accedunt Brot. Lall. Bip.

toriis cohortibus valida manu perrumpere." Ipse, inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumpsit: mox utrumque consilium adspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.

XLI. Missis ad Vitellium litteris, auxilium postulat. Venere tres cohortes cum ala Britannica: neque ad fallendum aptus numerus, neque ad penetrandum. Sed Valens ne in tanto quidem discrimine infamia caruit, quo minus rapere inlicitas voluptates, adulteriisque ac stupris polluere hospitum domus, crederetur: aderant vis et pecunia et ruentis fortunæ novissima libido. Adventu demum peditum equitumque pravitas consilii patuit, quia nec vadere per hostes tam parva manu poterat, etiam si fidissima foret, nec integram fidem adtulerant. Pudor tamen et præsentis Ducis reverentia morabatur, haud diuturna vincula apud avidos periculorum et dedecoris securos. Eo metu, cohortes Ariminum præmittit, alam "tueri terga" jubet: ipse, paucis, quos adversa non mutaverant, comitantibus, flexit in Umbriam, atque inde Etruriam: ubi, cognito pugnæ Cremonensis eventu, non ignavum, et si provenisset, atrox consilium iniit, ut, adreptis navibus, in quamcunque partem Narbonensis provinciæ

*Ne in tanto quidem d.*] Hunc verborum ordinem, item mox *rapere illic. v.* libri antiquiores scr. et edd. Rhenanus ex uno Bud. invertit. ERN. Dedit scil. *illic. r. v.*

*Ruentis fortunæ novissima libido*] Videbat, finem adesse explendarum libidinum, cum rueret fortuna. Itaque utendum facultate, dum maneat. In tali tempore solet etiam incitari cupiditas et vis. (Cf. H. 2, 47.) Sic bene et Pichena et Ryckius. Post, nescio quomodo, mihi magis placet *tam parva manus* (Placet et Lallemando). Pro *morabatur* vitiose ed. pr. *hortabatur*: quod pro var. lect. est in marg. MS. Guelf. ERN.

*Apud avidos periculorum*] Sic omnes libri. *Avidi periculorum* sunt, qui pericula subire non verentur, bello, prœliis etc. ubi spes commodi luceat, quales nobis Tacitus milites Rom. non uno loco describit. At hic periculum ostendebatur, id quod liquido patet, si a partibus Vitellii manerent, quarum fortuna rueret, nullum, aut leve, si ad victores transirent. Itaque non male, puto, Faerno suspectam fuisse lectionem vulgatam, correctamque *pavidos periculorum*. ERN. Sic et Lall. Contra Grut. et Bip. pro vulg. stant. Cf. c. 26. qui locus hunc explicat.

*Decoris securos*] Bono sensu: in Flor. tamen, *dedecoris*, fortasse et meliore. LIPS. *Dedecoris* etiam MS. (Agr.) Guelf. et alii ap. Broterium, ed. pr. ceteræque ante Rhenanum, qui *decoris* (e Bud.) invexit. Bene restituit Pichena. ERN. Ita Antonius c. 24. *ignominiam consumsistis*. Mur. et Acid. quoque *dedecoris* præferunt.

*Eo metu et paucis* etc.] *Et* habent MS. Guelf. (Bud.) ed. pr. Puteol. Post omissam (ab Alc.) restituit Rhen. non probante Mureto. Ceterum verum vidisse arbitror, cum verba *paucis, quos adversa non mutaverant, comitantibus*, post *ipse* ponenda judicavit. Sunt hic sane alieno loco. Quos enim putemus esse eos, qui comitati cohortes sint? Immo Ducis comites amici, quos secum eduxerat urbe Roma. Ab horum plerisque desertus erat. Post *in* ante *Etruriam* cum Ryckio et J. Gron. delevi, additum a Rhenano contra libros. ERN. Immo e Bud. Verba *paucis—com.* loco mota non Muretus vidit, sed Acid. qui, sæpe in transponendo nimium audax, hic rem acu tetigit meo arbitratu. Omissa scil. olim verba e margine, cui fuere adlita, in alienam sedem librarii incuria intrusit. Bahrdtius demum verbis *cognito—eventu* postponenda putabat.

egressus, Gallias et exercitus et Germaniæ gentes novumque bellum cieret.

XLII. Digresso Valente, trepidos, qui Ariminum tenebant, Cornelius Fuscus, admoto exercitu, et missis per proxima litorum Liburnicis, terra marique circumvenit. Occupantur plana Umbriæ et qua Picenus ager Adria adluitur: omnisque Italia, inter Vespasianum ac Vitellium, Apennini jugis dividebatur. Fabius Valens, e sinu Pisano, sævitia maris, aut adversante vento, Portum Herculis Monœci depellitur: haud procul inde agebat Marius Maturus, Alpium maritimarum Procurator, fidus Vitellio, cujus sacramentum, cunctis circa hostilibus, nondum exuerat. Is Valentem comiter exceptum, "ne Galliam Narbonensem temere ingrederetur," monendo terruit: simul ceterorum fides metu infracta: namque circumjectas civitates Procurator Valerius Paullinus, strenuus militiæ, et Vespasiano ante fortunam amicus, in verba ejus adegerat.

XLIII. Concitisque omnibus, qui exauctorati a Vitellio bellum sponte sumebant, Forojuliensem coloniam, claustra maris, præsidio tuebatur: eo gravior auctor, quod Paullino patria Forum Julii, et honos apud Prætorianos, quorum quondam Tribunus fuerat. Ipsique pagani, favore municipali et futuræ potentiæ spe, juvare partes adnitebantur: quæ ubi paratu firma, et aucta rumore, apud varios Vitel-

*Gallias et Germaniæ gentes*] Vocem apte inserit Vatic. codex: *Gallias et exercitus et Germ. gentes.* Nam in Gallia exercitus, VIII legiones. LIPS. Habent etiam Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhenanum: qui (duce Bud.) delevit. Restituit Pichena. ERN.

*Sævitia maris*] Romana editio *segnitia maris*; quod auribus meis blanditur: significatque, nullo, vel adverso vento, usum. LIPS. *Segnitia* etiam MSS. Flor. Agr. recteque receptum est a Pichena. Ceteri libri (Bud. quoque) *sævitia*. Ea vero est in vento adversante: segnitia est, cum stat mare, nimiaque tranquillitate non dat facultatem navigandi. ERN. Verum malacia navem non *depellit*, sed inmotam tenet; ad quod non attendere, quorum auribus blanditur *segnitia*. Restituo proinde *sævitia*. Mox Bud. *haud adv. vento*, quod Rhen. se scribere ait, verum non scripsit. Paullo ante Bud. *Apenninis jugis.*

*Portum Herculis Monœci*] Hodie *Monaco.* ERN.

*Alp. mar. Procurator*] Bud. *speculator.*

*Nondum exuerat*] Sic Flor. bene, mox enim exuit. Bud. et vulgo *non.*

*Metu intacta*] Pichena censet *infracta*: at mihi pro sententia nunc videbatur, *intentata.* Destitit Valens ab aliis tentandis, metu, ne temere se crederet et interciperetur. Quod si eamdem sententiam e voce *intacta* elicis, haud immutem. LIPS. Nempe in MS. Flor. est *inracta*: unde Pichena suum *infracta* elicuit: quod Freinsh. ceterique post eum secuti sunt. Recte. Sic plane MS. Oxon. Mox itidem bene *namque circumjectas* pro *nam* dedere e Flor. et Agr. Ryckius et J. Gronov. Consentit ed. pr. quæ post male *circumvectas* exhibet. Verba hæc et alibi confusa. ERN. Bud. *intacta.* Palmerius dabat *intuta.* Dein Bud. *nam.*

*Procurator*] Galliæ Narbonensis Procuratorem fuisse suspicatur Savilius: in qua Forum Julii, colonia. Mox bene a Ryckio editum *claustra* pro *claustraque*, e MSS. Flor. Bud. Agr. quibus consentit ed. pr. Additur enim ἐξηγητικῶς. ERN. *Forum Julii* dictum colonia Pacensis et classica. Plin. 3, 4 (5). Ibi navale Augusti. Strabo 4. p. 184.

*Sponte sumebant*] *Sponte* deest in Bud.

*Eo gravior auctor*] Cf. supra c. 3 et 12.

*Quæ ubi paratu firma*] *Paratu* libri

lianorum animos increbuere, Fabius Valens cum quatuor speculatoribus et tribus amicis, totidem Centurionibus, ad naves regreditur: Maturo ceterisque remanere, et in verba Vespasiani adigi, volentibus fuit. Ceterum, ut mare tutius Valenti, quam litora, aut urbes; ita futuri ambiguus, et magis, quid vitaret, quam cui fideret, certus, adversa tempestate Stœchadas, Massiliensium insulas, adfertur: ibi eum missæ a Paullino Liburnicæ oppressere.

XLIV. Capto Valente, cuncta ad victoris opes conversa, initio per Hispaniam a prima Adjutrice legione orto, quæ, memoria Othonis infensa Vitellio, decimam quoque ac sextam traxit. Nec Galliæ cunctabantur. Et Britanniam inclitus erga Vespasianum favor, quod illic secundæ legioni a Claudio præpositus et bello clarus egerat, non sine motu adjunxit ceterarum, in quibus plerique Centuriones ac milites a Vitellio provecti, expertum jam Principem anxii mutabant.

XLV. Ea discordia, et crebris belli civilis rumoribus, Britanni sustulere animos, auctore Venutio: qui, super insitam ferociam et Romani nominis odium, propriis in Cartis-

omnes præter MS. Bud. et ed. pr. in quis est *parta*. Rhenanus inde conjicit *pacta firma*, frustra. Elegantia perit, si *paratu* mutatur. Respondent enim sibi apte, ut *firma* et *aucta*, sic *paratu* et *rumore*. Mox edidi *totidem*, quod in MSS. Flor. Bud. ed. pr. Ceteri scripti et edd. ante Rhen. item Ryck. (ex Agr.) *totidemque*. ERN.

*Regreditur mature: ceterisque*] Prora lego: *regreditur. Maturo ceterisque*. Intelligit enim Marium Maturum Procuratorem Alpium, qui, discessu Valentis velut exsolutus, transiit in Flavianas partes. Posteriora recte olim (e Bud.) Rhenanus emendavit, (ut 1, 59. Agr. 18.) cum vulgo esset, *volentibus liberum fuit*, insititia voce: aut, ut in quibusdam, *auctor fuit*. Qui scilicet glossographi ignorarunt genus dicendi a fonte Græco; quod peritum illum sagacemque Germanum non fugit. Ingenii enim et industriæ laudem Rhenano libens do; et scio inter primores eum suæ gentis. At carpsi olim liberius. Non ego, sed ætas (etsi revera multa in Rhenani judiciis, quæ probet nemo judex e selectis). Nunc abiit ille fervor: et obtendere manum ad magnorum virorum culpas possim, quam diducere et explicare. Revera autem quantula hæc sunt, de quibus litigamus? litteræ, syllabæ, voculæ. Ridere mihi lubet, cum virorum gravium et grandium velitationes, immo pugnas video in his nugis: et metuo, ut excitent me ad alteram Satyram. Nunc cum Aristophane (Ran. 858.) satis mihi inclamasse:

—Λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει
Ἄνδρας ποιητὰς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας.

LIPS. Lipsium secutus est ejusque correctionem recepit Pichena. Consentit MS. Agr. nisi quod in fine habet *volentibus auctor fuit*: quod pro var. lect. in margine Guelf. reperi, et in ed. pr. sed *auctor* insertum est ab iis, qui modum loquendi non capiebant. ERN. Bud. *mature* et dein *adigi volentibus fuit*. Sed Put. *adigi liberum fuit*. Alc. *adigi volentibus liberum fuit*.

*Stœchadas — adfertur*] Legitimum verbum erat *defertur*: nec *adferri* hoc sensu dictum reperi. Broterius malit *fertur*. ERN.

*Inclitus e. V. favor*] Gruterus valde probat lectionem ed. pr. *inditus*, quæ et in MS. Reg. est. In quo aliter sentio: si *insitus* esset, i. e. vetus, constans, præferrem: at non *inditus*, quod commode hic locum non habet, ut opinor. Eam autem vocem in libris substitui alteri *inclitus*, et alibi observatum. V. Drakenb. ad Liv. 6, 11. 42. *Inclitus favor* est insignis, multis rebus cognitus. ERN. In Bud. dubie *inditus*, an *inclitus*.

*Non sine motu adjunxit cæterarum*] Scil. legionum, ut bene Ferretus. Frustra Faernus *cohortium* addi volebat (et legebat *junxit*) e vet. cod. nescio quo. ERN.

*Venusio*] Sic codices. Sed v. A. 12, 40. ubi *Venutio* præfertur.

manduam Reginam stimulis accendebatur. Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate: et auxerat potentiam, postquam, capto per dolum Rege Caractaco, instruxisse triumphum Claudii Cæsaris videbatur. Inde opes, et rerum secundarum luxus: spreto Venutio (is fuit maritus) armigerum ejus, Vellocatum, in matrimonium regnumque accepit. Concussa statim flagitio domus. Pro marito studia civitatis; pro adultero libido Reginæ et sævitia. Igitur Venutius accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione, in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Tum petita a Romanis præsidia: et cohortes alæque nostræ, variis prœliis, exemere tamen periculo Reginam. Regnum Venutio, bellum nobis, relictum.

XLVI. Turbata per eosdem dies Germania, et socordia Ducum, et seditione legionum. Externa vi, perfidia sociali, prope adflicta Romana res. Id bellum cum caussis et eventibus (etenim longius provectum est) mox memorabimus. Mota et Dacorum gens, numquam fida, tunc sine metu, abducto e Mœsia exercitu. Sed prima rerum quieti speculabantur: ubi flagrare Italiam bello, cuncta invicem hostilia, accepere, expugnatis cohortium alarumque hibernis utraque Danubii ripa potiebantur. Jamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset, Cremonensis victoriæ gnarus, ac ne externa moles utrimque ingrueret, si Dacus Germanusque diversi inrupissent. Adfuit, ut sæpe alias, Fortuna Populi Rom. quæ Mucianum viresque Orientis illuc tulit: et quod Cremonæ interim transegimus. Fonteius Agrippa ex Asia (pro Consule eam provinciam annuo imperio tenuerat) Mœsiæ præpositus est: additis copiis e Vitelliano exercitu, quem spargi per provincias, et externo bello inligari, pars consilii pacisque erat.

*Auxerat potentiam*] Fallor, aut Tacitus scripsit, *potentia*. Quis enim alias iste, qui auxit? At genus illud dicendi perelegans, *auxit potentia*, id est, aucta est, significatione occulta quadam patiendi. Cato in hoc ipso verbo ap. Gell. 18, 12. *Eodem nomine complures ex agris accessitavere, eo res eorum auxit.* Velleius *sedandi* verbum sic usurpat 2, 101. *Postquam tempestas sedavit, Adherbal taurum immolat.* Plautus Mil. 2, 6, 100. *leniendi: Dum hæ consilescunt turbæ atque iræ leniunt.* Et plures ejusmodi Latinæ linguæ delicias gustare tibi fas apud Agellium l. c. Non dissimile, quod in Thucydidæo charactere observat Dionysius p. 133. sæpe τὰ παθητικὰ ῥήματα, δραστήρια· τὰ δὲ δραστήρια, παθητικὰ esse. Lips. Nimis captus erat Lipsius observatione passiva, ut jam alibi vidimus. Ern. Cf. Ruhnken. ad Vell. Pat. 1, 8. p. 587.

*Instruxisse triumphum C. C.*] De hoc loco, qui pugnare videtur cum alio A. 12, 36. vid. ibi dicta. Ern.

*Brigantum defectione*] Bud. *defectio*. Probat Rhen. nec tamen recepit.

*Perfidia sociali*] Sine copula MSS. Flor. Agr. ed. pr. et sic edidit Ryckius. Ceteri (Bud. et vulg.) *et perfidia*. Ern. Mox Bud. *pena* (pro *pœne*) *adflicta*.

*Memorabimus*] Vid. H. 4, 12—37. 54—79. et 5, 14. ad finem.

*Fonteius Agrippa*] Post a Sarmatis cæsus. Jos. B. Jud. 7, 4, 3.

*Proconsule*] Sic Flor. Agr. ed. pr. Ryck. J. Gron. Ceteri (Bud. etiam) *Proconsul*. Ern.

XLVII. Nec ceteræ nationes silebant. Subita per Pontum arma barbarum mancipium, Regiæ quondam classis Præfectus, moverat: is fuit Anicetus, Polemonis libertus, præpotens olim, et, postquam regnum in formam provinciæ verterat, mutationis impatiens. Igitur Vitellii nomine adscitis gentibus, quæ Pontum adcolunt, conrupto in spem rapinarum egentissimo quoque, haud temnendæ manus ductor, Trapezuntem, vetusta fama civitatem, a Græcis, in extremo Ponticæ oræ conditam, subitus inrupit. Cæsa ibi cohors, Regium auxilium olim, mox donati civitate Romana, signa armaque in nostrum modum, desidiam licentiamque Græcorum, retinebant. Classi quoque faces intulit, vacuo mari, eludens, quia lectissimas Liburnicarum, omnemque militem Mucianus Byzantium adegerat. Quin et barbari contemptim vagabantur, fabricatis repente navibus (*camaras* vocant) arctis lateribus, lata alvo,

*Egentissimo*] Hujus vocis loco lacunam offert Bud.

*Haud temnendæ manus ductor*] Edd. Put. Ber. Alc. vitiose *haud tenendæ m. auctor.* Ern. Nec melius Bud. *haud tepende manus ductor.* Paullo ante idem *accitis gentibus.*

*Vetustam admodum civit.*] In Flor. *vetusta mama civitatem.* Omnino leg. *vetusta fama.* Lips. Idem Freinshemio placebat. Rhenanus malebat *vetustissimam civitatem*, sed Pichena correxit *vetustam Asiæ*, quod omnes post eum secuti sunt. MS. Bud. habet *vetusta manum*, ed. pr. *manus.* Guelf. *vetustam admodum*, quod edd. ante Pichenam omnes inde a Puteol. obtinet, MS. Agr. *vetustam civitatem.* Ego Lipsianam correctionem, ut propius accedentem ad scripturam MS. Flor. prætulerim cum Freinsh. Ern. Probat et Lall. Recipio cum Bip. Sic H. 4, 83. *templum vetere fama.*

*Classi quoque* etc.] MSS. Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *classis*, quod J. Gron. probat, non ausus tamen restituere: intelligitque classem Aniceti, e navibus ibi relictis coactam. At, quorsum classis faces inferat urbi jam captæ, cujus combustæ nullum vestigium exstat? Itaque omnino servandum *classi*, quod inde a Rhen. omnes edidere. Intellige naves, ibi in portu sine milite relictas a Muciano. Quæ ipsa caussa est, quare addat *vacuo mari eludens.* In quo Lipsius malebat *illudens.* Nempe *eludere* quidem etiam pro *illudere* ponitur, ut ap. Liv. 7, 13. et alibi, sed cum accusativo. Verum *vacuo mari* absolute capiendum, non in dativo; nam mare vacuum erat, eamque ob caussam post *mari* interpunxi. *Eludere* sæpe simpliciter ponitur sine regimine, ut Cic. de Div. 2, 70. *ars conjectoris, eludentis ingenio.* Estque fere idem, quod mox contemtim vagari, agere quæ lubet, contemtis aliis, nihil metuentem. *Vacuum mare* est, in quo nullæ naves armatæ, quæ resistant. Ern. Acid. quoque volebat *illudens.* Bip. in textu posuere, vel conjiciunt: *vacua maris eludens*, quod in Flor. sit *vacua mari*, sed apud Ryckium vitiose in var. lect. ita legi videtur pro *vacuo.*

*Contemtim vagabantur*] Sic edidi, quod id libris antiquis magis consentire putavi, quam quod Rhenanus, sive e Bud. MS. sive ex ingenio, dedit *contemtius* (omnino e Bud.). MS. Guelf. clare *contemtim*, edd. Put. Ber. Alc. Curt. 9, 7. *a Dioxippo contemtim militarem eludente ferociam.* At Flor. *contemti*, quod frustra defendit J. Gron. edere tamen non ausus. Non barbari tum contempti; sed cœperant contemnere vim Rom. i. e. non timere. Virgula super litera ultima omissa est a librario: nam ita expressit librarius cod. Guelf. Ed. pr. etiam *contenti:* quod verbum cum illo sæpe confunditur in libris antiquis. Similiter infra c. 58. extr. Flor. *contemti*, ed. pr. *contenti* pro *contemtim*, quod ibi recte, valdeque probante Lipsio, inde a Pichena editum. Cur ergo non et hic eadem ratione ipse aliique usi sunt? Ern.

*Quas cameras vocant*] Nostrasne hæc vox? certe etiam hodie cubilia tecta et clausa cameras vocamus, et ab ea similitudine prisci, opinor, has naves. Strabo

sine vinculo æris aut ferri connexa: et tumido mari, prout fluctus adtollitur, summa navium tabulis augent, donec in modum tecti claudantur. Sic inter undas volvuntur, pari utrimque prora, et mutabili remigio, quando hinc vel illinc adpellere indiscretum et innoxium est.

XLVIII. Advertit ea res Vespasiani animum, ut vexillarios e legionibus, Ducemque Virdium Geminum, spectatæ militiæ, deligeret. Ille incompositum et prædæ cupidine vagum hostem adortus, coegit in naves: effectisque raptim Liburnicis, adsequitur Anicetum in ostio fluminis Cohibi, tutum sub Sedochezorum Regis auxilio, quem pecunia donisque ad societatem perpulerat. Ac primo Rex minis armisque supplicem tueri: postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur; fluxa, ut est barbaris, fide, pactus Aniceti exitium, perfugas tradidit, belloque servili finis inpositus. Lætum ea victoria Vespasianum, cunctis super vota fluentibus,

in describenda Bosporana ora (11. p. 495.); Ἀκάτια ἔχουσι λεπτὰ, στενὰ καὶ κοῦφα, ὅσον ἀνδρώπους πέντε καὶ εἴκοσι δεχόμενα. Καλοῦσι δ' αὐτὰ οἱ Ἕλληνες καμάρας. Ubi a glossula fortasse illæ voces, οἱ Ἕλληνες. LIPS. Frustra Lipsius tentat locum. Nam Græcis sane sic naves tales dicuntur: quippe καμάραν vocant tectum curvatum, et quicquid tale tectum habet. Similiter Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 700. ἃ ἐκαλοῦντο καμάραι παῤ Ἕλλησιν. Adde de h. v. Hemsterhus. τὸν πάνυ ad Aristophan. Plut. p. 369. De *camaris* (sic enim melius scribas, quam *cameris*: sic saltem MS. Flor. Agr. ed. pr.) Add. Casaub. ad Strab. l. c. Schefferus addend. ad de R. Nav. 2, 2. p. 325. Ceterum *quas* cum Ryckio delevi, auctoribus iisdem libris. Relativum passim intrusum esse in libris Taciti jam supra, cum J. Gronovio, aliquot locis notavimus. ERN. Bud. *cameras*.

*Lata alvo, sine vinculo æ. a. f. connexa*] *Latam alvum—connexam* MSS. (Bud.) Agr. Guelf. edd. vett. omnes. Eodem tendit Flor. e quo notatum video *lata alvom*, ut est in Oxon. Sed inde efficta est lectio, quam Lipsius et Pichena tacite edidere, cum sequentibus omnibus. Ea certe grammatice recta est et explicari potest. Vitiosam esse veterem lectionem, dubitari non potest. Si *lata alvo* verum est, vereor, ne ultimum verbum spurium sit, et a glossa ortum: sufficit enim *lata alvus sine æris aut ferri vinculo*. Sin *latam alvum* Taciti scriptura est, *connexis* corrigendum puto, ut referatur ad *navibus*: sintque naves connexæ latam alvum sine vinculo æris ac ferri. Forte etiam sint, quibus placeat *contexta*; quod verbum dici solet de navibus βαπτοῖς, quæ non ferro aut ære, sed funibus constringuntur: de quibus videndus Scheffer l. c. p. 26. ERN.

*Pari utr. prora et mutabili remigio*] Similes naves memorantur in German. c. 44. et supra A. 2, 6. ubi additur, utrinque fuisse gubernacula, ut repente converso remigio hinc vel illinc appellerent. ERN.

*Vespasiani animum*] Scribas, *ea res Vespasianum*, voce sequenti inducta, brevius et verius. Ita loquitur A. 2, 17. *Octo aquilæ, petere silvas et intrare visæ, advertere Imperatorem*. LIPS. Ed. pr. *avertit*: male. Mox MSS. Flor. Agr. ed. pr. *coegit*, quod recepere Ryckius et J. Gron. Ceteri libri (Bud. quoque) *cogit*: quod debetur librariis, hoc verbum conformare volentibus sequenti *assequitur*. ERN.

*Sedochezorum Regis*] Vatic. *Sedothezorum*. Rom. *Sedotosorum*. Nullum hunc populum ego natum scio. LIPS. MS. Guelf. *Sodechezerum*. Colerus corrigebat locum *in ostio fluminis Chobi, sub Sedochi Lazorum Regis auxilio*. Fluminis *Chobi* mentio apud Arrianum in Per. Ponti Eux. et Plinium 6, 4. isque fuit in Lazorum ditione, ut ex Agathia l. 3. p. 75. docuit Ryckius. ERN. Plin. *Cobum*, Arrianus Χώβον dicit.

*Aniceti exitium*] Recte. At MS. Agr. *excidium*: Guelf. *auxilium*. Paullo post MS. Flor. (Bud.) Agr. *urbemque*, male. Sæpe *quoque* ita corruptum est in libris. ERN. Bud. *exitium*.

Cremonensis prœlii nuntius in Ægypto adsequitur. Eo properantius Alexandriam pergit, ut, fracto Vitellii exercitu, urbem quoque externæ opis indigam fame urgeret. Namque et Africam, eodem latere sitam, terra marique invadere parabat, clausis annonæ subsidiis, inopiam ac discordiam hosti facturus.

XLIX. Dum hac totius orbis mutatione fortuna Imperii transit, Primus Antonius nequaquam pari innocentia post Cremonam agebat; satisfactum bello ratus et cetera ex facili, (seu felicitas in tali ingenio avaritiam, superbiam, ceteraque occulta mala patefecit) ut captam, Italiam persultare; ut suas, legiones colere; omnibus dictis factisque viam sibi ad potentiam struere: utque licentia militem inbueret, interfecto-

*Dum hac t. orbis* etc.] In libris antiquis hæc cum superioribus conjunguntur: male. *Transit* dictum est pro *transigit*: de quo supra monitum, quamquam ibi alia loquendi forma. Eleganter alias *fortuna transigere* et *transigi*, ut supra c. 5. dicitur: et hoc verbum absolute Tacito et alibi dictum, supra c. 46. Agric. 34. *Post Cremonam* est expugnata et excisa Cremona. Flor. 3, 1. init. *quis speraret post Carthaginem aliud in Africa bellum?* i. e. Carthagine victa et deleta, ut recte in indice Freinsh. et sic idem pluribus locis. ERN. In ed. Put. Alc. Rh. Lips. etc. a verbis *Dum hac* nova periodus infit. Nescio, quas editiones veteres noster intelligat. Nec aliter Bud. *Post Cremonam*, scil. deletam.

*Seu felicitas*] Sic recte Rhen. e Bud. prius legebatur *ceu*.

*Ut captam, Ital.*] Bene Bip. hæc jungenda prioribus et aptius interpungenda docent, quam Ernestius fecerat, desciscens a præcedentibus editoribus.

*Viam sibi ad potentiam*] Legendum esse *vim sibi*, e MSS. docuimus l Observ. 14. GRON. Consentiunt MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Put. ceteræ usque ad Lips. In cujus editionem temere irrepsisse *viam*, aut ex editione ignobiliori, unde operæ describerent Tacitum, silentium ejus indicat. Sed hinc in cæteras venit usque ad Ryckium, qui vetus restituit cum J. Gron. Sensus est, e mente Ryckii, potentiæ adjicere vim conabatur. Nam *struere* antiquiores pro *adjicere* dixisse, et *vim* distingui a *potentia* ab ipso Tacito A. 13, 19. ubi *potentia non sua vi nixa*. Gronovius autem *vim struere* dictum putabat, ut *opes struere* et similia, in quibus est *parare*. Pace magni Gronovii et Ryckii dictum sit, nondum mihi iis, quæ dixere, persuasum est, ut *vim ad potentiam struere* Tacitum dedisse putem. Nam ut de Ryckiana ratione primum dicam, credam *struere* vim augendi habuisse apud veteres, et habere posse: sed non propterea potest dici *struere vim ad potentiam*, ut licet dicere *adjicere vim ad potentiam*. Non, si eandem significationem duo verba habent, eodem modo construuntur cum substantivis, sed pro verbi cujusque natura. Quod deinde ad Gronovianam rationem attinet, sæpe vir eximius in Tacito contentus fuit, sensum commodum verbis singulis adstruxisse, nullam rationem habuit totius contextus et rationis grammaticæ, idque ei accidisse puto, dum exquisite vult locutum Tacitum: idemque ei et in Statio subinde accidisse judicat Marklandus ad Stat. p. 19. Nemo negat, *vim struere* æque bene dici posse, ac *struere opes*, et alia: sed an *vim ad potentiam struere* dicatur, et qui sensus istius complexionis sit, hoc quæritur. Dicit, *vis* et *potentia* distinguuntur a Tacito ipso A. 13, 19. *fama potentiæ non sua vi nixæ*. Bene. Sed quo sensu? *Potentia sua vi nixa* nihil aliud est, quam potentia, quæ non pendeat ab alio, cujus tu ipse sis auctor et origo, qualis est in Principe. Quid id ad hunc locum? Longe alia ista vis est, quam quæ Antonio petebatur. Etenim Antonius nihil nisi potentiam quærebat. Imperator esse et Princeps nolebat: Non hoc ei in mentem venit, ut e sequentibus patet. Itaque ineptum foret dicere, *vim ad potentiam struere*. Quibus de caussis credo adhuc aut *viam ad potentiam* verum esse, aut *vim ac potentiam*, ut Lipsius conjecit. *Viam struere*, ne in eo hæreas, etiam Propertius dixit 3, 16, 4. *Viam* porro et *vim* in libris permutari docet Drakenb.

rum Centurionum ordines legionibus offerebat: eo suffragio turbidissimus quisque delecti: nec miles in arbitrio Ducum, sed Duces militari violentia trahebantur: quæ seditiosa, et corrumpendæ disciplinæ, mox in prædam vertebat, nihil adventantem Mucianum veritus; quod exitiosius erat, quam Vespasianum sprevisse.

L. Ceterum propinqua hieme, et humentibus Pado campis, expeditum agmen incedere. Signa aquilæque victricium legionum, milites vulneribus aut ætate graves, plerique etiam integri, Veronæ relicti: sufficere cohortes alæque, et e legionibus lecti, profligato jam bello, videbantur. Undecima legio sese adjunxerat, initio cunctata; sed, prosperis rebus, anxia, quod defuisset. Sex millia Dalmatarum, recens delectus, comitabantur. Ducebat Poppæus Silvanus, Consularis: vis consiliorum penes Annium Bassum, legionis Legatum: is Silvanum, socordem bello, et dies rerum verbis terentem, specie obsequii regebat, ad omniaque, quæ agenda forent, quieta cum industria aderat. Ad has copias, e classicis Ravennatibus, legionariam militiam poscentibus, optimus quisque adsciti: classem Dalmatæ supplevere. Exercitus Ducesque ad Fanum Fortunæ iter sistunt, de summa rerum cunctantes, quod, " motas ex urbe Prætorias cohortes," audierant, et teneri præsidiis Apenninum rebantur: et ipsos, in regione bello adtrita, inopia et seditiosæ militum voces terrebant, *clavarium* flagitantium: nec pecuniam aut frumentum pro-

ad Liv. 32, 9. ubi non debebat J. Fr. Gronovium audire, et *vim* potius recipere, quam *viam*. *Vim facere per castra* bene dicitur illud quidem, sed non *recto itinere vim f. p. c.* non respexere viri præstantes verba *recto itinere*: sed hoc obiter. Denique *vim ac potentiam* conjungi posse, ut alia synonyma etiam apud nostrum, dubitaturum neminem puto. ERN. Non opus erat tanta verborum ambage. Legendum *viam*, sensere quoque Lall. et Bip.

*Cent. ordines legionibus offerebat*] Est subobscurum, sensus autem intelligi potest e sequentibus. Non ipse Centuriones creabat, i. e. ordines dabat: sed legionibus permittebat electionem Centurionum. ERN.

*Quæ seditiosa* etc.] Ryckius interpunctionem receptam mutavit, novæque sententiæ initium fecit in verbis: *Mox in pr. v.* sane sic est et in ed. pr. sed vulgarem interpunctionem meliorem puto. Sensus: ista non modo seditiosa et ad corrumpendam disciplinam valentia, sed etiam hinc ille occasionem prædandi sumebat. ERN.

*Propinqua hieme*] Agr. *propinquante*, ut Muretus volebat.

*Dalmatarum*] Bud. *Sarmatarum*. Dein *comitabantur*.

*Poppæus Silvanus*] Sic MS. Flor. unde Pichena edidit. Ceteri scripti (Bud. Agr.) et edd. *Pompeius*. V. ad 2, 86. 1, 77. ERN.

*Dies rerum*] Dies rebus agendis dicatos vel aptos.

*Dalmatæ supplevere*] Bud. *D. supplere*.

*Ad Fanum Fortunæ*] Ea urbs hodie quoque dicitur *Fano*: mox *cunctantes* est deliberantes, de quo jam supra dictum. ERN.

*In regione*] Male enim omnibus libris (Bud. quoque) *in legione*. LIPS. Sic placebat etiam Faerno. Bene recepit Pichena. Contra supra A. 12, 43. *regiones* in *legiones* mutandas conjecimus. Et confunduntur eæ voces passim in libris vett. ERN. Mox Bud. *bello attributa*.

*Clavarium*] Quod prætextum et originem habuit, quasi ad militares clavos, de quibus res jam nota. Simili forma *unguentarium* Plinius dixit Ep. 2, 11.

viderant; et festinatio atque aviditas præpediebant, dum, quæ accipi poterant, rapiuntur.

LI. Celeberrimos auctores habeo, tantam victoribus adversus fas nefasque inreverentiam fuisse, ut gregarius eques, occisum a se, proxima acie, fratrem professus, præmium a Ducibus petierit. Nec illis aut honorare eam cædem jus hominum, aut ulcisci ratio belli, permittebat. Distulerant, tamquam majora meritum, quam quæ statim exsolverentur: nec quidquam ultra traditur. Ceterum et prioribus civium bellis par scelus inciderat: nam prœlio, quo apud Janiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein, cognito facinore, seipsum interfecit, ut Sisenna memorat: tanto acrior apud majores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia, fuit. Sed hæc aliaque, ex veteri memoria petita, quotiens res locusque exempla recti, aut solatia mali, poscet, haud absurde memorabimus.

LII. Antonio, Ducibusque partium, " præmitti equites, omnemque Umbriam explorari" placuit, si " qua Apennini juga clementius adirentur: acciri aquilas signaque et quidquid Veronæ militum foret: Padumque et mare commeatibus

*Præterea acceperat sestertium decem millia, fœdissimo quidem titulo, nomine unguentarii:* donationem scilicet, a provincialibus factam in Legatum, ad unguenta. Sic in Suetonii Vesp. 8. *Classiarii petunt, constitui aliquid sibi calcearii nomine.* LIPS. Add. Torr. ad Suet. l. c. Alciati et Vertranii de *clavario* notas bene refellit Jos. Castalio Obs. Dec. 2, 5. idemque insititia putat verba *donativi nomen est*, et a glossatore orta; quod verum puto. Quorsum enim illa ætate adderetur? ERN. Recte: expungenda omnino, expunxi.

*Jus hominum*] Est jus naturale. Ed. pr. solita aberratione *vis*. Mox *distulerant* MS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. ceteræque vett. omnes, quas inspexi. Acidalius malebat *distulerunt*, quod in vulgatis esse dicit Ursinus: nescio quibus. Est tamen in MS. Reg. repertum. Item *exsolverentur* Flor. Reg. ed. pr. Pich. seqq. Ceteri (in his Bud.) *exsolverent.* ERN.

*Quo apud Jan.*] Bud. *cum ap. Jan.*

*Apud Janiculum*] Cum Tacito, aut Sisenna potius, consentit Livius epitoma 79. et alterum militem in Pompeii exercitu statuit, alterum Cinnæ. At Valerius 5, 5, 4. pro Cinna Sertorium substituit, cum quo et Orosius sentit, 5, 19. Bello Actiaco etiam idem evenisse, commemorat Epigramma vetus: quod vulgatum magno Scaligero debemus: *Mœvius a castris miles melioribus ausus Hostilem saltu præcipitare ratem. In damnum felix et, victor ut impius esset, Nescius occiso fratre superbus erat. Dum legit exuvias, hostiliaque arma revellit, Fraternos vultus oraque nota videt. Ille ferox: quid lenta manus nunc denique cessas? Justius hoste tibi qui moriatur adest. Fraternam res nulla potest defendere cædem, Mors tua sola potest, morte levanda tua est. Viximus adversis, jaceamus partibus isdem. Dixit: et in dubio est, utrius ense cadat. Ense meo moriar maculato cæde nefanda? Cui moreris, ferrum quo moriare, dabit. Dixit, et in fratrem fraterno concidit ense, Victorem et victum condidit una manus.* LIPS.

*Tanto acrior apud majores*, etc.] Sic MSS. Flor. Bud. ed. pr. Unus Oxon. *tanto ardore.* At ed. Puteol. (et Alc.) addit *quod* ante *sicut*; quod (duce Bud.) bene delevit Rhenanus. Idemque e Bud. MS. *flagitii* edere voluit, sed operæ non paruerunt. Id si pluribus libris firmaretur, præferrem. Librarii videntur præcedenti substantivo *virtutibus* conformare voluisse. ERN.

*Et veteri memoria petita*] Sic scr. et edd. Rhenanus ex ingenio (nequaquam, sed e Bud.) dedit *repetita*, quod omnes secuti sunt ad J. Gronov. qui et *poscet* restituit pro *poscent*, e Flor. Consentiunt Bud. Agr. Guelf. Harl. Oxon. ERN. De Agr. tacet Ryck.

compleri." Erant inter Duces, qui necterent moras; quippe nimius jam Antonius, et certiora ex Muciano sperabantur. Namque Mucianus, tam celeri victoria anxius, et, ni præsens urbe potiretur, expertem se belli gloriæque ratus, ad Primum et Varum media scriptitabat, " instandum cœptis," aut rursus " cunctandi utilitates" edisserens, atque ita compositus, ut ex eventu rerum adversa abnueret, vel prospera agnosceret. Plotium Griphum, nuper ab Vespasiano in Senatorium ordinem additum, ac legioni præpositum, ceterosque sibi fidos, apertius monuit. Iique omnes, de festinatione Primi ac Vari sinistre, et Muciano volentia, rescripsere. Quibus epistolis Vespasiano missis, effecerat, ut non pro spe Antonii consilia factaque ejus æstimarentur.

LIII. Ægre id pati Antonius, et culpam in Mucianum conferre, cujus criminationibus eviluissent pericula sua: nec

*Et certiora de Muciano*] Magis placet Flor. scriptio, *ex Muciano*. Ambigebant Duces, quid facturi aut non facturi, exsequentibus: Mucianus adventabat, alter pæne Flavius; ergo ab illo certiores omnium futuri. LIPS. Recepit Pichena. Sed sic jam ante edd. Put. Ber. Alc. Consentit MS. Guelf. *De* edidit Rhen. (e Bud.) et sic MS. Agr. Illud haud dubie verum. Sensus: spem majorem præmiorum habebant in Muciano, majoris virtutis, dignitatis et gratiæ apud Vespasianum viro: et volebant potentiæ Antonii, jam nimis magnæ, modum ponere: quippe major futura erat, si et hoc succederet, putabantque, eum potentia sua in suum tantum commodum abusurum. Qualis potentia intelligenda, sequentia docent. Add. 4, 2. ubi videbis, quam potentiam petierit Primus, et non frustra parum ex eo sperasse Duces. ERN.

*Media scriptitabat*] Legitima Latinitas postulat *scriptitarat*: ut infra recte *effecerat*. Sed, quia in vulgato libri (Bud. quoque) consentiunt, et mox sequitur *monuit et rescripsere*, nihil mutavi. *Media* sunt ambigua, nihil certi in alterutram partem definientia. *Abnueret et agnosceret* (Bud.) pro quo male ed. pr. *cognosceret*, dictum, pro appareret, eum ex eventu de factis et consiliis judicaturum, probaturum, si prospere cecidissent, sin minus, contra voluntatem suam suscepta dicturum. ERN.

*Plotium Gryphum*] Ed. pr. *Grifum*. Eadem mox *senatorium*, ut Flor. (Bud.) Guelf. *senatorum* Puteol. et seqq. usque ad Pichenam. ERN. Bud. *Griffum*. Ad eum Statius risum Saturnalitium Silv. 4, 9. scripsit.

*Muciano volentia*] Ita libri. Sallustianum videtur: *Pompeius multis suspicionibus volentia plebi facturus habebatur*. Beatus tamen *volenti* (e Bud.) maluit. LIPS. Quod omnes secuti sunt usque ad Lipsium. *Volentia* Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes. (Agr. *volenti*) Utrumque Latinum et Tacito usitatum. Pro *rescripsere* ed. pr. *rescribere*; quod præferebat Gruterus: quamquam ille *scribere* laudat. Rhen. edidit (e Bud.) *scripsere*, ceterique usque ad Pichenam. ERN. Qui e Flor. dedit *rescripsere*. De forma dicendi *volenti* vel *volentia* vide notata ad A. 15, 36. et Cort. ad Sall. Jug. 84.

*Factaque ejus*] Rhenanus e Bud. MS. profert *aut facta ejus*. *Aut* copulative dicitur sæpe apud nostrum, in eoque aliquoties et criticos adhæsisse vidimus. Paullo ante *aut rursus*, pro *et rursus* dictum, et sic alibi passim. ERN. Bud. ita: *pro spe Antonii factaque ejus*, omisso *consilia*. Non potuit ergo nisi dormitans Rhen. scribere, quæ hic retulit.

*Coaluissent pericula sua*] Sic omnes inde a Puteolano edidere, usque ad Ryckium: idque et MS. Guelf. præfert (Bud. *coaluisset*). Freinshemius acutissime correxit *eviluissent*: idque in Flor. repertum recepere Ryckius et J. Gron. quos merito secutus sum. MS. Agr. ed. pr. habent *luissent*, unde conjicere licet, primas syllabas *coa* deberi correctoribus, a vero sensu aberrantibus. Sensus est: Mucianum criminando effecisse, ut Vespasianus res, a se fortiter et cum magno periculo gestas, non perinde æstimaret, ac dignæ essent. *Coaluissent* foret *aucta essent*, quod est alienissimum. Mox

sermonibus temperabat, immodicus lingua, et obsequii insolens: litteras ad Vespasianum composuit, jactantius quam ad Principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: " se Pannonicas legiones in arma egisse: suis stimulis excitos Mœsiæ Duces: sua constantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, intersepta Germanorum Rhætorumque auxilia. Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi, per diem noctemque, fudisset, id pulcherrimum et sui operis. Casum Cremonæ bello inputandum: majore damno, plurium urbium excidiis, veteres civium discordias Reipublicæ stetisse. Non se nuntiis, neque epistolis, sed manu et armis Imperatori suo militare: neque officere gloriæ eorum, qui Asiam interim composuerint: illis Mœsiæ pacem, sibi salutem securitatemque Italiæ, cordi fuisse. Suis exhortationibus Gallias Hispaniasque, validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conversas. Sed cecidisse in inritum labores, si præmia periculorum soli adsequantur, qui periculis non adfuerint." Nec fefellere ea Mucianum: inde graves simultates: quas Antonius simplicius, Mucianus callide, eoque inplacabilius nutriebat.

LIV. At Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione, remedia potius malorum, quam mala, differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario læta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Mirum apud ipsum de bello silentium: prohibiti per civitatem sermones: eoque plures, (ac, si liceret, vere narraturi) quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Nec Duces hostium augendæ famæ deerant, captos Vitellii exploratores circumductosque, ut robora victoris exercitus noscerent, remittendo: quos omnes Vitellius, secreto percunctatus, interfici jussit. Notabili constantia Centurio,

*lingua* Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. veteresque omnes ante Lipsium quas vidi; qui *linguæ*, nescio unde, edidit. Pichena illud reddidit. Utrumque usitatum Tacito. Sed, quia genitivus sequitur, *lingua* h. l. melius. ERN. *Periculæ*, intellige *exantlata*.

*Id pulcherrimum et sui operis*] Tentor rescribere, *id sui operis*. Est enim fortius et Antonii animo dignius: et sic non uno loco et ipse Tacitus et Livius, velut 2, 2. *id officere, id obstare libertati*. Post *Cremonensium* MS. Agr. quo tendit ed. pr. *Cremonensi*. ERN. Bud. et vulg. *Cremonæ*.

*Mœsiæ pacem*] Respice ad c. 46.

*Falsis ingravescebat*] Si vera lectio hæc, intelligendum *malum*. Sed fortasse legendum *ingravescebant*, sc. mala. Nam et in *confitenti* sint intelligenda *mala*. ERN. Bud. *ingravescebat*, i. e. premebatur, deprimebatur, ut animum desponderet et vires deficerent. Sic Cic. de Sen. 11. *corpora defatigatione ingravescunt*.

*Vera narraturi*] Sic edd. omnes inde a Puteol. At MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. *vere*. J. Gronovius putat fuisse *vera enarraturi*. Etiam *vere narr.* putem stare posse, int. quæ acciderant; sed vulgatum melius: sic c. 56. extr. *vera dicturis*. Pro *narraturi* MS. Agr. *narrare*, ed. pr. *narranti*, utrumque vitiose. ERN. Bud. *narratum*. Consensus codicum jubet, ut *vere* reponam cum Bip. Sic et Puteol. Contra *vera* Alciatus habet et Rhen.

*Notabili constantia*] Hæc ap. Suet.

Julius Agrestis, post multos sermones, quibus Vitellium ad virtutem frustra accendebat, perpulit, ut ad vires hostium spectandas, quæque apud Cremonam acta forent, ipse mitteretur. Nec exploratione occulta fallere Antonium tentavit, sed mandata Imperatoris suumque animum professus, ut cuncta viseret, postulat. Missi, qui locum prœlii, Cremonæ vestigia, captas legiones ostenderent. Agrestis ad Vitellium remeavit, abnuentique, " vera esse, quæ adferret," atque ultro " conruptum" arguenti; " quandoquidem," inquit, " magno documento opus est, nec âlius jam tibi aut vitæ, aut mortis meæ usus, dabo, cui credas:" atque ita digressus, voluntaria morte dicta firmavit. Quidam " jussu Vitellii interfectum;" de " fide constantiaque" eadem, tradidere.

LV. Vitellius, ut e somno excitus, " Julium Priscum et Alphenum Varum cum XIV Prætoriis cohortibus et omnibus equitum alis obsidere Apenninum" jubet. Secuta e classicis legio. Tot millia armatorum, lecta equis virisque, si Dux alius foret, inferendo quoque bello satis pollebant. Ceteræ cohortes ad tuendam urbem L. Vitellio fratri datæ. Ipse, nihil e solito luxu remittens, et diffidentia properus, festinare comitia, quibus Consules in multos annos destinabat: fœdera sociis, Latium externis, dilargiri: his tributa dimittere, alios inmunitatibus juvare: denique, nulla in posterum cura, lacerare Imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum

Oth. c. 10. in priori cum Othone bello huic accidisse traduntur, ut jam notavit Savilius. Post *ut*, a Rhenano sublatum, bene restituit Pichena (e Flor.), quod in omnibus meis reperi ante Rhen. ERN. *Ut* deest in Bud. Subaudiri putat Rhen. Mox Bud. male *ostenderentur*.

*Quæ adferret*] Sic MSS. Fl. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. non *referret*, ut hic (e Bud.) dedit: ceterique ad Ryckium usque. Mox *est* omnes scr. et edd. præter Puteol. Beroald. Alc. ERN. Rhen. addidit e Bud. *Adferret* etiam Lall. e Regio suo.

*Secuta e classicis legio*] Hæc vera lectio (quæ et in Bud.). MS. Agr. *secutæ classicæ legiones*, ut voluit Muretus. Quæ corruptela unde orta, docet scriptura ed. pr. *secutæ classicis legio*. MS. Guelf. *secuta est cl.* Legio e classicis quo modo nata, v. supra c. 50. Et alias quoque a classica militia ad pedestrem, ut honoratiorem, traducti. De classicis dixi satis et distincte ad H. 1, 36. Mox *si Dux alius*, quod libri vett. scr. et edd. ante Rhen. habent, mollius est, quam *si alius Dux*. ERN. Hoc Rhen. e Bud. De *classicis* v. ad H. 1, 31. 36.

*Latium externis*] Tirones monendi, ut jus Latinitatis intelligant, non partem Italiæ, quæ Latium vocata. ERN.

*Tributa dimittere*] Sic omnes libri: id non tentandum, docuit exemplis Gruterus in suspicion. libris. Sic et vetus N. T. interpres *dimitte nobis debita nostra*. Et Cicero quoque sæpe *dimittere* pro *remittere* dixit, in aliis etiam formis loquendi. Mox pro *cura*, ed. pr. *curare*: male. *Lacerare imperium* eleganter dicuntur, qui ejus patrimonium et bona dissipant: ut *lacerare* de dissipatione rei familiaris et pecuniæ. Cicer. Quint. 15. Verr. 3, 70. ubi *lacerata pecunia*, cujus pars aversa est. ERN.

*Vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat*] In Flor. est *haberat*. Videtur significare *hiabat*: nam hoc verbum alibi quoque sic corruptum nos invenisse meminimus. GRON. *Haberat* videtur esse *aberat*, ut ed. pr. (et Bud.) exhibet: id cum *aderat* sæpe in libris confunditur. Alias *hiabat* aptum h. l. foret. ERN. Hoc in textum recepere Bip. et ex H. 1, 12. firmare nituntur. Sed vix credendum, in Flor. ex *hiabat* factum esse *haberat*. Agr. cod. clare *aderat*, scil. prono animo avidoque.

aderat: stultissimus quisque pecuniis mercebatur: apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, salva Republica, poterant. Tandem flagitante exercitu, qui Mevaniam insederat, magno Senatorum agmine, quorum multos ambitione, plures formidine trahebat, in castra venit, incertus animi, et infidis consiliis obnoxius.

LVI. Concionanti (prodigiosum dictu) tantum fœdarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disjecto sacrificii adparatu, longe, nec, ubi feriri hostias mos est, confossus. Sed præcipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, inprovidus consilii, "quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendove bello modus," alios rogitans, et ad omnes nuntios, vultu quoque et incessu trepidus, dein temulentus. Postremo tædio castrorum, et, audita defectione Misenensis classis, Romam revertit, recentissimum quodque

*Qui Mevaniam insederat*] Vocula *qui* addita e libris. LIPS. Eam sustulerat Rhen. Est tamen in omnibus libris scr. et edd. ante. ERN. In Bud. deest. Rhenanus *Mev. ins.* in parenthesi ponenda putabat.

*Diem obtenderent*] Bene ita libri, non *obtunderent*, ut (e Bud.) visum Beato. Quibusdam (ut Agr.) scriptum, *nube radium obtenderent* (ed. pr.) vitiose. LIPS. *Obtenderent* etiam Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. item Lips. et seqq. omnes. Simile illud Silii 10, 228. *obtendit pulvere lucem*: ut omnes ibi codd. habent. Sed, ut ibi *obtundit* legendum censet N. Heinsius, sic h. l. Rhenanus *obtunderent* edidit, utrum e cod. Bud. an ex ingenio, non constat (non amplius hoc dubium), idque secuti sunt editores usque ad Lips. Ego facile largior *obtendere* dici pro *velare*: quis enim hoc neget? Atque id docuere exemplis Gron. ad Senec. Œd. 625. Drakenb. ad Silium l. c. Verum hoc non videtur fecisse, ut hæreret Rhenanus, sed constructio. Nam, etsi *obtendere* idem, quod *occultare*, significare potest, tamen non eodem etiam modo construi cum substantivis potest. Viri docti sæpe in hoc non satis diligentes sunt. De verbi vi simpliciter quærunt, constructionem non curant. Atqui significationem potest verbum communem cum altero habere: neque tamen statim etiam constructionem. Vid. ad c. 49. Videndum ergo, an, quemadmodum dici potest, *atra nube occultare diem*, vel *abscondere*, sic etiam *atra nube obtendere diem* vel *lucem*: quod non omnibus istis locis, quæ a Drakenborchio aliisque prolata sunt, efficitur: sed solis Statii et Senecæ locis: *pædore fœdo squalidam obtentus comam*, ut recte ibi restituit Gronovius, cum ante esset *obtectus*: unde patet, semper in hac forma hæsisse viros doctos. Quare, cum in tribus locis similibus consentiant MSS. non tentandam hanc loquendi formam, etsi duriorem et poetis digniorem, quam prosaicis scriptoribus, puto: ceterum, si libri boni faverent, facile *obtunderent* prælaturus, ut dignius tali scriptore et elegantius. ERN. Rectius *obtenderent*: ut Virg. Georg. 1, 248. *obtenta densantur nocte tenebræ*. Plura dabit J. Fr. Gron. ad Liv. 1, 57.

*Longe, nec ubi feriri*] Præivit ad emendationem hanc Vatic. qui refert, *longe necui feriri*. Nam alii libri hic mutili. Ominosum vero antiquitus, si hostia fugisset, nec suo loco, id est ante aram, cæsa fuisset. Festus: *Piacularia appellabant, quæ sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, cecidisset.* Plinius 8, 45 (70). *Notatum est vitulos, ad aras humeris hominis allatos, non fere litare: sicut nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.* LIPS. *Ne cui* etiam Flor. ed. pr. MS. Bodl. *longe quam ubi*. Mox eadem ed. male *confessus*. ERN. Bud. *longe ubi*, omisso *quam*, quod in vulg. Rhenanus suum codicem sequitur et exponit procul ab eo loco, ubi. Cod. Agr. *longe ne cui*. Mox Bud. *consiliis*.

vulnus pavens, summi discriminis incuriosus. Nam, cum transgredi Apenninum, integro exercitus sui robore, et fessos hieme atque inopia hostes adgredi, in aperto foret; dum dispergit vires, acerrimum militem, et usque in extrema obstinatum, trucidandum capiendumque tradidit, peritissimis Centurionum dissentientibus, et, si consulerentur, vera dicturis. Arcuere eos intimi amicorum Vitellii, ita formatis Principis auribus, ut aspere, quæ utilia, nec quidquam, nisi jucundum et læsurum, acciperet.

LVII. Sed classem Misenensem (tantum civilibus discordiis etiam singulorum audacia valet) Claudius Faventinus, Centurio, per ignominiam a Galba dimissus, ad defectionem traxit, fictis Vespasiani epistolis pretium proditionis ostentans. Præerat classi Claudius Apollinaris, neque fidei constans, neque strenuus in perfidia: et Apinius Tiro, Prætura functus, ac tum forte Minturnis agens, Ducem se defectoribus obtulit: a quibus municipia coloniæque inpulsæ, præcipuo Puteolanorum in Vespasianum studio, contra Capua Vitellio fida, municipalem æmulationem bellis civilibus miscebant. Vitellius Claudium Julianum (is nuper classem Misenensem molli imperio rexerat) permulcendis militum animis delegit: data in auxilium urbana cohors et gladiatores, quibus Julianus præerat. Ut conlata utrimque castra, haud magna cunctatione Juliano in partes Vespasiani transgresso, Tarracinam occupavere, mœnibus situque magis, quam ipsorum ingenio tutam.

LVIII. Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum Præfectis Prætorii relicta, L. Vitellium fratrem, cum sex

*Summi discriminis incuriosus*] *Summum discrimen* est idem fere, quod summa belli, universum bellum: periculum, quod imminebat, si bello vinceretur. Mox *in aperto foret* idem est, quod in promtu facile. Ern. A. 2, 12. H. 5, 15. *summæ rei discrimen* dicitur.

*Arcuere eos*] Vere, non *arguere*. Lips. *Arguere* omnes edd. ante Lips. et MS. (Bud.) Guelf. Verba illa sæpe in libris confusa sunt. V. Drakenb. ad Liv. 6, 25. omninoque litera *g* a librariis mediæ ætatis centies obtrusa pro *c*, ut supra de verbis *vacare* et *vagare* notavimus H. 1, 44. Ern.

*Læsurum acciperet*] Faernus legebat *acciperent*, ad *aures* referens: placebatque Acidalio. Sed *acciperet* omnes libri: quod ad *Principem* referendum. Illud præferrem, si libri faverent. Ern. Prius Bip. *aspere*; bene: ut A. 4, 31. *acceptum aspere ad præsens*.

*Apinius Tiro*] Sic omnes scr. et edd. hic et c. 76. nisi quod MS. Agr. et ed. pr. h. l. *Aponius* habent: at infra ille *Apinius*, hæc *Opinius*: unde aberrationem esse patet. Ern. Bud. male *aprimis* et mox *interfectoribus*. Dein *precipue*.

*Julianus præerat*] Mirum, ni ille ipse Julianus, qui Plinio *curasse* dicitur *munus gladiatorium Neronis*. 37, 3. Lips. Post *ut* MSS. edd. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. At ceteræ ante Rhen. male *et*. Ern.

*Quam ipsorum ingenio*] i. e. fortitudine, fide Tarracinensium: quod verbum intelligendum e nomine Tarracinæ, ut jam monuit Ryckius. Ejus generis exempla supra notata sunt. Ern. Cf. c. 64. Negat, Tarracinenses intelligendos Lallemand. potius eos, ait, quos mox noster dixit in partes Vespasiani transgressos.

*Quæ ubi Vitellio c.*] *Ubi* deest in Bud.

cohortibus et quingentis equitibus, ingruenti per Campaniam bello opposuit. Ipse æger animi, studiis militum et clamoribus populi, arma poscentis, refovebatur: dum vulgus ignavum, et nihil ultra verba ausurum, falsa specie *exercitum* et *legiones* adpellat. Hortantibus libertis (nam amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus) vocari *tribus* jubet. Dantes nomina sacramento adigit: superfluente multitudine, curam delectus in Consules partitur. Servorum numerum et pondus argenti Senatoribus indicit. Equites Romani obtulere operam pecuniasque, etiam libertinis idem munus ultro flagitantibus. Ea simulatio officii, a metu profecta, verterat in favorem. Et plerique haud perinde Vitellium, quam casum locumque Principatus, miserabantur: nec deerat ipse: vultu, voce, lacrimis, misericordiam elicere; largus promissis, et, quæ natura trepidantium est, inmodicus. Quin et *Cæsarem* se dici voluit, adspernatus antea: sed tunc, superstitione nominis, et quia in metu consilia prudentium et vulgi rumor juxta audiuntur. Ceterum, ut omnia inconsulti inpetus cœpta, initiis valida, spatio languescunt, dilabi paullatim Senatores Equitesque, primo cunctanter, et, ubi ipse non aderat, mox contemptim et sine discrimine; donec Vitellius pudore inriti conatus, quæ non dabantur, remisit.

*Exercitum et legiones*] Sic recte e Flor. editum a Pichena. Consentit ed. pr. Ceteri scr. (Bud. etiam) et edd. usque ad Pichenam *exercitus*. ERN.

*Vocari tribus jubet*] Est delectus in urbe actus, quem tradit Sueton. c. 15. Unde confirmatur conjectura nostra de loco Sueton. Ner. 44. ubi in verbis, *tribus urbanas ad sacramentum citavit*, suspectam vocem *urbanas* habui. Sic etiam noster A. 14, 13. *obvias tribus habuit*, de plebe Romanæ urbis. Sed, quia tamen patet, *tribus* etiam de plebe urbana sola dici, *urbanas*, etsi supervacuum, tamen ferri posse arbitror. Mox *dantes* omnes edd. et scr. præter Bud. qui habebat *dat*: quod factum puto e *data*, quod est in Guelf. Bodl. et Oxon. bona et plana sententia, idque verum putabat J. Gronovius, a quo allatum exemplum ex A. 14, 15. non satis huic loco simile: sed *dantes* melius. Vult dicere, ab initio promiscue, quicunque darent nomina, sacramento adactos, sine delectu: post, redundante multitudine, etiam delectum haberi cœpisse. ERN. Put. *data*. Alc. Rhen. *dantes*. Mox Rhen. e Bud. *indicit*: prius legebatur *inducit*. Porro Bud. *pecuniamque*.

*Ea simulatio officia metu profecta*] Sic edd. omnes (et c. Bud.) N. Heinsius malebat *a metu profecta*. Mihi dudum legendum visum *ea simulatio officii a metu profecta*: neque aliter res et Latinitas patitur. Id quia et e MS. Bodl. notatum reperi, recepi. Sensus: Hæc per simulationem officii offerebant, propter metum, sed tamen inde ortus favor in Vitellium, sive pro favore accipiebatur. ERN. Probant emendationem Brot. Lall. Bip.

*Nec deerat ipse*, etc.] Similis constructio H. 4, l. 11. 80.

*Superstitione nominis*] Cod. Agr. *pro sup. nominis*.

*Conterriti mœstive*] E Flor. in quo est *contempti mestine*, Pichena emendat: *contemptim et sine discr.* Belle, belle. LIPS. Ad Flor. prope accedunt MS. Agr. ed. pr. *contenti mœstive*. Nam *contenti* et *contemti*: item hæc et *contemtim* confundi vidimus ad c. 47. In MS. Guelf. est *contriti mœstive*: sed duæ ultimæ syllabæ sunt a manu sec, et in litura. ERN. Bud. *conterriti mestive*. Trilleri commenta v. in ipsius Obs. crit. p. 311.

*Quæ non dabantur, remisit*] Sic MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. omnes ante Rhenanum, qui (e Bud.) edidit *omisit*, cum seqq. usque ad Pichenam. ERN.

**LIX.** Ut terrorem Italiæ possessa Mevania, ac velut renatum ex integro bellum, intulerat: ita haud dubium erga Flavianas partes studium tam pavidus Vitellii discessus addidit. Erectus Samnis Pelignusque et Marsi æmulatione, quod Campania prævenisset, ut in novo obsequio, ad cuncta belli munia acres erant. Sed fœda hieme, per transitum Apennini conflictatus exercitus, et vix quieto agmine nives eluctantibus, patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro Fortuna vertisset; quæ Flavianis Ducibus non minus sæpe, quam ratio, adfuit. Obvium illic Petilium Cerialem habuere, agresti cultu et notitia locorum custodias Vitellii elapsum. Propinqua adfinitas Ceriali cum Vespasiano, nec ipse inglorius militiæ: eoque inter Duces adsumptus est. Flavio quoque Sabino ac Domitiano patuisse effugium, multi tradidere. Et missi ab Antonio nuntii per varias fallendi artes penetrabant, locum ac præsidium monstrantes. Sabinus inhabilem labori et audaciæ valetudinem caussabatur: Domitiano aderat animus; sed custodes a Vitellio additi; quamquam se socios fugæ promitterent, tamquam insidiantes timebantur. Atque ipse Vitellius, respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat.

**LX.** Duces partium ut Carsulas venere, paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilæ signaque legionum adsequerentur: et locus ipse castrorum placebat, late prospectans: tuto copiarum adgestu: florentissimis pone tergum municipiis: simul conloquia cum Vitellianis, decem millium spatio distantibus, et proditio sperabatur. Ægre id pati miles, et victoriam malle, quam pacem: ne suas quidem legiones opperiebantur, ut prædæ, quam periculorum socias. Vocatos ad concionem Antonius docuit: " esse adhuc Vitellio vires, ambiguas, si deliberarent; acres, si desperassent. Initia bellorum civilium

*Possessa Mevania*] *Possessa* est occupata: ut c. 8. *Possessa ipso transitu Vicetia.* V. Gron. ad A. 2, 5. Frustra Muretus tentabat *obsessa.* ERN.

*Ereptus Samnis*] In Flor. *erectus*: sed illud placet, ereptum nempe Vitellio, qui possidebat. Aut, si *erectus*, capi licet animis erectos ob Vitellii discessum, et sic defecisse. LIPS. *Erectus* recepit Pichena, idque secuti sunt omnes. Consentit ed. pr. Recte. Non sermo est de occupatis vi populis, sed de studiis popalorum in partes: de quibus proprium verbum est *erectus.* ERN. Bud. *ereptus.*

*Nives eluctantibus*] Sic bene e MS. Bud. correxit Rhen. vulgatum *nive se eluctantibus.* Originem corruptelæ indicat ed. pr. quæ habet *minie se luctantibus*: monstrose in prima voce, quæ fuit *nive.* ERN. Sic Agr. 17. *difficultates eluctatus.* Bud. *nive se luctantibus* habet.

*Flavio Sabino*] Bud. *Flaviano.* Infra c. 68. *Fabius Sabinus*, sed c. seq. *Flavii.* Mox Agr. *prodidere.*

*Custodes a Vitellio additi*] Usitatum verbum de custodibus, ut vidimus supra ad A. 13, 18. At ed. pr. *abditi*, solita in his verbis confusione. ERN.

*Pone tergum*] Bud. *post tergum.*

*Ut prædæ, quam p.*] MS. Agr. addit *potius*: frustra. Id intelligi voluit Tacitus, ut alibi. ERN. Bip. conjiciunt *quomodo per. soc.* Sed *magis, potius*, noster frequens omittit subaudiendum. V. index.

*Deliberarent — desperassent*] Acid. malit *deliberaret — desperasset* scil. Vitellius.

fortunæ permittenda; victoriam consiliis et ratione perfici. Jam Misenensem classem et pulcherrimam Campaniæ oram descivisse: nec plus e toto terrarum orbe reliquum Vitellio, quam quod inter Tarracinam Narniamque jaceat. Satis gloriæ prœlio Cremonensi partum, et exitio Cremonæ nimium invidiæ: ne concupiscerent Romam capere potius, quam servare: majora illis præmia, et multo maximum decus, si incolumitatem Senatui Populoque Rom. sine sanguine quæsissent."

LXI. His ac talibus mitigati animi. Nec multo post legiones venere. Et terrore famaque aucti exercitus Vitellianæ cohortes nutabant, nullo in bellum adhortante, multis ad transitionem, qui suas centurias turmasque tradere, donum victori, et sibi in posterum gratiam, certabant. Per eos cognitum est, "Interamnam proximis campis præsidio quadringentorum equitum teneri." Missus extemplo Varus, cum expedita manu, paucos repugnantium interfecit: plures, abjectis armis, veniam petivere: quidam in castra refugi, cuncta formidine inplebant, augendo rumoribus virtutem copiasque hostium, quo amissi præsidii dedecus lenirent. Nec ulla apud Vitellianos flagitii pœna: et præmiis defectorum versa fides, ac reliquum perfidiæ certamen: crebra transfugia Tribunorum Centurionumque: nam gregarius miles induruerat pro Vitellio: donec Priscus et Alphenus, desertis castris, ad Vitellium regressi, pudore proditionis cunctos exsolverent.

LXII. Iisdem diebus Fabius Valens Urbini in custodia interficitur. Caput ejus Vitellianis cohortibus ostentatum, ne quam ultra spem foverent: nam, "pervasisse in Germanias Valentem, et veteres illic novosque exercitus ciere," credebant. Visa cæde in desperationem versi: et Flavianus exercitus,

*Ratione perfici*] Vulgati *proficisci;* scripti *profici:* ex quo nobis *perfici* visum facere. LIPS. *Profici* etiam ed. pr. At Guelf. (Bud.) cum edd. ceteris usque ad Lips. *proficisci.* ERN.

*His ac talibus*] Sic Bud. Put. Alc.

*Tradere donum victori—certabant*] Omnes libri in hac lectione consentiunt, præter ed. pr. quæ *tradidere* exhibet. Id placet Grutero, qui *certabant* spurium esse putat, similia adferens loca. *Tradere certabant* sane idem est. Sed illud tamen elegantius: modo libris magis firmaretur. Mox *extemplo*, quod a Rhenano editum est, habent MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. Ber. *Exemplo* vitio operarum venit in edd. Puteol. et Alc. ERN.

*Præmiis defectorum vera fides*] MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. habent *verba.* Ceteræ edd. cum MS. Agr. *vera* usque ad Bernecc. qui e conjectura Freinsh. edidit *versa*, quod fluxit inde in ceteras edd. præter Ryckianam, quæ *vera* restituit; quod imitati sumus. Idem videbatur J. F. Gronovio Obs. 3, 10. Sensus est: Nihil jam reliquum erat, quam ut certatim deficerent. Caussæ duæ: prima, quod apud Vitellianos defectio impunita erat, a Flavianis autem certa præmia ostendebantur. *Vera fides præmiis def.* dicetur, ut apud Horat. Carm. 3, 16. *segetis certa fides meæ.* Ex quo tamen loco mihi suspicio exorta est, Tacitum scripsisse *certa:* nam ita appareret, unde illa litera *b* in MSS. nata esset. ERN. Dubius sane locus. *Vera* exhibent cum Ryckio et J. Fr. Gronovio Brot. et Lall. In Bud. totidem litteris legitur *verba.* Mihi cum Bip. potior videtur conjectura Freinsh. *versa fides* est mutata fides. Mox Acid. conjicit *acre igitur p. c.*

immane quantum animo exitium Valentis, ut finem belli, accepit. Natus erat Valens Anagniæ, Equestri familia: procax moribus, neque absurdus ingenio, famam urbanitatis per lasciviam petere. Ludicro juvenalium sub Nerone, velut ex necessitate, mox sponte, mimos actitavit, scite magis quam probe. Legatus legionis et fovit Virginium et infamavit. Fonteium Capitonem conruptum, seu quia conrumpere nequiverat, interfecit. Galbæ proditor; Vitellio fidus, et aliorum perfidia inlustratus.

LXIII. Abrupta undique spe, Vitellianus miles, transiturus in partes, id quoque non sine decore, sed sub signis vexillisque in subjectos Narniæ campos descendere. Flavianus exercitus, ut ad prœlium, intentus ornatusque, densis circa viam ordinibus, adstiterat. Accepti in medium Vitelliani: et circumdatos Primus Antonius clementer adloquitur: " pars

*Immane quantum animo exitium Valentis*] Acidalius tentabat *animo auctus*. ERN. Ut H. 2, 4. Sed *animo* intellige læto, alacri, ni tale quid omissum culpa librarii.

*Absurdus ingenio*] Sic Sall. Cat. 26.

*Ludicro juvenalium*] Hoc malui, quam quod vulgo est *juvenum*. LIPS. *Juvenum* omnes scr. et edd. ante Lipsium. Male nonnulli libri addunt *in*, contra morem Latinum in hac re. ERN. Non Bud. De *juvenalibus* v. A. 14, 15.

*Font. Capitonem corruptum*] *In proditionem* addunt edd. Ber. et Alc. (et Rhen.) nescio unde: nam a scriptis omnibus (Bud. quoque) abest. Additum puto temere e superioribus, ubi aliquoties est *in proditionem corrumpi*. ERN. Pichena sustulit.

*Id quoque non sine dedecore*] Int. fecere, ut in aliis formulis. Dedecus est in eo, quod sub signis, palam, velut recte facerent, processere. ERN. *Dedecore* Rhen. e Bud. Sic et Agr. Contra Flor. et edd. vet. *sine decore*. Utraque lectio bonum sensum fundit. Turpe est militi, armatum, immo sub signis vexillisque sese tradere hosti, nec pro sua parte, dum liceat, strenue pugnare. Sic Acid. quoque Gron. Brot. Lall. Verum, quum hic *pudore proditionis exsoluti* dicantur, decus armorum signorumque iis, in societatem transeuntibus, permissum a Flavianis. Ita potior ratio cod. Flor. quem sequor cum Bip.

*Intentus armatusque*] Codex Regius (Budensis) *ornatusque*: quod germanum est. Loquebantur enim ita etiam in armis: unde et gladiatorum ornamenta. Tacitus 5, 22. *Pauci ornati militariter*. Livius 9. *Diemque iis, qua equis armisque instructi ornatique adessent, edicit*. LIPS. Consentit Flor. unde recepit Pichena cum seqq. Ceterum loca a Lipsio, Rhenano, Pichena allata, non satis sunt similia. Nam in iis vel diserta separatim armorum mentio, ut *ornatus* significet *instructus*, non *armatus*, vel aliquid additum est aliud, velut *militariter, cultu*. Desiderem locum, in quo *ornatus* simpliciter dicatur is, qui gladium, tela in manibus habet pugnandi caussa. Vid. quæ dixi ad Sueton. Excurs. 27. ubi *ferramenta pugnantium* defendi contra alterius lectionis patronos, *ornamenta pugn.* consentiente Oudendorpio. Non credo, dici bene *ornatum in aciem procedere* et similia. Itaque, cum omnes, præter istos duos, scr. et edd. veteres habeant *armatusque*, id potius edidi. Librarii quidam et viri docti, capti observatiuncula de verbo *ornatus*, id alienis subinde locis intrusere. Cic. ep. 5, 13. *paratus armatusque contra f.* Et sic centies *armatus* conjungitur ap. Livium et alios cum *instructus* et similibus: ut velut rata dicendi formula fuerit. ERN. Cum Ernestio faciunt Brot. et Lall. Verum a lectione codicum Flor. et Bud. nolim temere recedere. *Armatusque*, quod habet cod. Agr. interpretamentum esse, recte judicat Ryckius; neque, si Tacitus scripsisset *armatusque*, librario unquam venisset in mentem, alterum id substituere. Itaque revoco cum Bip. lectionem Flor. Intelligenda omnia armorum signorumque decora. Put. quoque *ornatusque*.

Narniæ, pars Interamnæ subsistere" jussi: relictæ simul e victricibus legiones, neque quiescentibus graves, et adversus contumaciam validæ. Non omisere per eos dies Primus ac Varus, crebris nuntiis " salutem et pecuniam et secreta Campaniæ" offerre Vitellio, " si, positis armis, seque ac liberos suos Vespasiano permisisset." In eundem modum et Mucianus composuit epistolas: quibus plerumque fidere Vitellius, ac " de numero servorum, electione litorum," loqui. Tanta torpedo invaserat animum, ut, si Principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse oblivisceretur.

LXIV. At primores civitatis Flavium Sabinum, Præfectum urbis, secretis sermonibus incitabant, " victoriæ famæque partem capesseret: esse illi proprium militem cohortium urbanarum: nec defuturas vigilum cohortes, servitia ipsorum, fortunam partium, et omnia prona victoribus: ne Antonio Varoque de gloria concederet. Paucas Vitellio cohortes, et mœstis undique nuntiis trepidas: populi mobilem animum:

*Secreta Campaniæ*] i. e. locum in Campaniæ litoribus, ubi in solitudine tranquilla, remotus a turba hominum, ævum agere posset: simili sensu *secessus Campaniæ* sæpe apud Suetonium dicitur. Mox *litora* vocantur et *sinus*. Ern. Mox Bud. *se ac lib.*

*Electione litorum*] Quorsum lictores? Si enim privatum serio indueret, nihil iis opus. Scribendum omnino *litorum*: secessum videlicet aliquem amœnum et maritimum adtribui sibi Vitellius volebat, velut ad otium. Itaque in oratione adversaria mox amicorum respondetur huic parti: *Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniæ sinus promitti.* Suetonium ego in hac voce paullo gravius et obscurius corruptum restituo. Tiber. 72. *Nec abstinuit consuetudine, quin tunc quoque instans in medio triclinio, adstante lictore, singulos valere dicentes appellaret.* Cui enim rei lictor hic in triclinio? aut ex quo ritu? Beroaldus et priscæ editiones, *ut stans in medio.* Legam et rescribam totum locum: *aut stans in medio triclinio, aut stans in litore, singulos*, etc. sive relegata altera voce brevius, *aut stans in medio triclinio, aut e litore.* Temere enim repetita videtur a librario. Sententia autem liquida et pura, Tiberium Capreis dissimulando morbo stantem valedixisse comiter singulis, sive in triclinio, sive in ipso litore. Nam modica ea insula, et amici plerique diversabantur, ut opinor, in opposita Italiæ terra. Lips. Recte conjecit Lipsius. Consentit MS. Fl. Guelf. ed. pr. Bene recepit Pichena. *Lictorum* primus edidit Puteol. Ea verba facile confunduntur. Ern. *Lictorum* quoque habet Bud. In Suet. loco Ern. ad eum locum τὸ *instans* tuetur. Mur. conjiciebat *locorum*, quod non ineptum judicat Acidalius.

*Vigilum cohortes*] Quas Principe Augusto institutas, Dio scribit 55, 26. idque refert in A. U. 759. Idem Paullus tradidit libro proprio De officio Præfecti vigilum, ut vides in Pandectis. Appiane tamen quid fiet, qui in Triumviratu vigiles repperit, et institutos vult, Pompeio in Sicilia victo? id esset, triginta pene ante Dionis traditionem annis. Scribit Civil. 5, 132. *Sabinum Præfectum a Cæsare ad turbas et latrocinia in urbe atque Italia comprimenda:* Καὶ ἐξ ἐκείνου (addit) φασὶ παραμεῖναι τὸ στρατιᾶς τῶν νυκτοφυλάκων εἶδός τε καὶ εἶδος. *Atque ex eo tempore aiunt mansisse nocturnorum vigilum morem et formam.* Bene, *aiunt*: nam si tu Appiane, nimis erras. Sparteolos hos milites vocare interpres Juvenalis videtur Sat. 14, 305. in illud: *Dispositis prædives hamis. Per translationem*, inquit, *disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ: quorum cohortes in tutelam urbis, cum hamis et cum aqua vigilias curare consueverunt vicinis.* Corrigendum in fine hujus scholii, *curare consueverunt vicibus*: et, quod ad *Sparteolos*, ipsa vox in Tertulliani Apol. c. 39. eodem sensu. Lips. Ubi pro *vicinis* in loco scholiastæ Havercamp. mavult *viciniis.*

et, si se Ducem præbuisset, easdem illas adulationes pro Vespasiano fore. Ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum. Gratiam patrati belli penes eum, qui urbem occupasset. Id Sabino convenire, ut Imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur."

LXV. Haudquaquam erecto animo eas voces accipiebat, invalidus senecta. Erant, qui occultis suspicionibus incesserent, tamquam "invidia et æmulatione fortunam fratris moraretur:" namque Flavius Sabinus, ætate prior, privatis utriusque rebus, auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat. Et credebatur adfectam ejus fidem præjuvisse, domo agrisque pignori acceptis. Unde, quamquam manente in speciem concordia, offensarum operta metuebantur. Melior interpretatio: "mitem virum abhorrere a sanguine et cædibus: eoque crebris cum Vitellio sermonibus de pace, ponen-

*Reservaret*] Bud. *servaret.*

*Invalidus senecta*] Vocem Rodolphus addit *senecta sensuque:* valde apposite, modo e libris. LIPS. MS. Agr. *ætate sensuque.* Ceteri libri omnes vulgatum servant. In MS. Guelf. in margine adscriptum a manu pr. *hic aliquid deficit.* Nempe hic transpositio duarum circiter paginarum facta antiquitus in MSS. Nam in Flor. Agr. (Bud. Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. eadem reperitur: fortasse et in aliis MSS. ut supra 3, 5. Sed restitutio facta est jam a Puteol. non Beroaldo, ut putat J. Gronov. ad c. 69. et haud dubie e scripto libro. Qui supra transpositionem non animadvertit, is hanc viderit. ERN.

*Suspicionibus incesserent*] MS. Agr. ed. pr. *incederent*, etiam Guelf. sed a manu sec. ante fuit *incesserent;* idque placebat Ryckio: male. Haud dubie est h. l. sermo de criminationibus, de quibus *incessere* dicitur, non *incedere*, ut *maledictis, telis incessere*, non *incedere:* sed hæc verba et alibi a librariis confusa sunt. Post MS. Bud. habebat *fortunæ:* quod Rhenano placebat. Nec mihi displicet. *Moraretur* esset *cunctaretur.* Sed vulgatum quoque bene habet. Denique MS. Guelf. male *matris* pro *fratris.* ERN. Humani quid hic patitur Ernestius. Andabatarum more pugnat. Ryckius ex Agr. laudat *incenderent*, non *incederent.* Atqui istud verbi de inpulsu bene hic stare posset. Bud. *incesserent.*

*Affectam ejus fidem præjuvisse*] i. e. pro eo solvisse, cum solvere creditoribus non posset. *Affecta fides* eleganter dicitur laborans ex inopia pecuniæ, qua creditoribus satisfiat. Sic *affecta res familiaris* sæpe apud Livium (ut 2, 43) de eo dicitur, qui ære alieno laborat, qui, ut Cicero loqui solet, *male de re domestica est constitutus*, pro Sext. 45. *cujus res fam. fortunæ male constitutæ.* Pro Rab. Post. 1. *Præjuvisse* autem est ante, olim juvisse: quam vim præpositio hæc in compositione hac ætate in pluribus, quam olim, verbis obtinuit. Ryckius autem probat N. Heinsii conjecturam *præs juvisse*, propterea, quod *præjuvare* alibi non occurrat, item Græv. in Coll. ep. Burm. t. 4. p. 173. 174. Quod mihi displicet. Si prædiis cavendum fuit, ea non deerant Vespasiano; quibus quippe fratri cavebat. Ergo pecunia adjutus est. Idque indicat *pignoris* verbum: quod datur, securitatis caussa, ei, qui pecuniam pro nobis solvit, aut nobis dedit. Obiter observent tirones, *pignus* antiqua Latinitate dici etiam de *hypothecis*, ut hæ de pignoribus, ut ad Ciceronis epp. ad Div. 13, 56. monuit Græv. ERN. Bip. legunt *parum juvisse*, ut A. 12, 63. Lips. et Pich. ex *prævisa* fecere *parum visa.* Favet conjecturæ Suet. Vesp. 4. qui *omnia prædia fratri obligasse Vespasianum et ad mangonicos quæstus necessario descendisse* refert. Inde scil. *offensarum operta*, de quibus mox. Si tamen *præjuvisse* verum, quod et Bud. habet, reprehensio in eo est, quod turpi modo, *domo agrisque pignori acceptis*, non ut fratrem deceret, eum juverit.

*Offensarum operta*] Ita Farnesianus, proba et solenni Tacito dictione. Alii (Bud. etiam et Rhen.) *opera.* LIPS. Sic et ed. princ. ERN.

disque per conditionem armis, agitare." Sæpe domi congressi, postremo in æde Apollinis, ut fama fuit, pepigere. Verba vocesque duos testes habebant, Cluvium Rufum et Silium Italicum. Vultus procul visentibus notabantur: Vitellii projectus et degener; Sabinus non insultans et miseranti propior.

LXVI. Quod si tam facile suorum mentes flexisset Vitellius, quam ipse cesserat, incruentam urbem Vespasiani exercitus intrasset. Ceterum, ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant, " discrimen ac dedecus" ostentantes, " et fidem in libidine victoris. Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur: ne victos quidem laturos. Ita periculum ex misericordia. Ipsum sane senem, et prosperis adversisque satiatum. Sed quod nomen, quem statum filio ejus, Germanico, fore? Nunc pecuniam et familiam et beatos Campaniæ sinus promitti: sed, ubi Imperium Vespasianus invaserit, non ipsi, non amicis ejus, non denique exercitibus securitatem, nisi exstincto æmulatu, redituram. Fabium illis Valentem, captivum et

*Agitare*] Bud. *cogitare.*

*Duos testes*] MS. Oxon. *duo*, quod et ipsum rectum est, et passim e bonis libris assertum. ERN.

*Cluvium Rufum*] Bud. *Clinium Ruffum.* Supra 1, 8. *Clivium* habet. Mox Bud. *proprior.*

*Sabinus non insultans*] Acidalius corrigit *Sabini.* Sed *insultans* vultui non satis convenit. Vulgatum Tacito dignius, ob variatam orationem. ERN.

*Fidem in libidine victoris*] In potestate victoris fore, utrum servare fidem velit nec-ne: sed victores pro libidine magis et cupiditate agere, quam ex æquo, solere. Ed. pr. *libidinem:* vitiose. ERN.

*Nec tantam V. superbiam—pateretur*] Omnes in hac scriptura libri consentiunt, nisi quod Guelf. male *tanto* exhibet. Sed vix credo veram esse. *Superbiam* interpretantur altitudinem animi et clementiam: sed exemplum verbi hujus ita usurpati desidero, in primis in scriptore prosaico. Neque magis magnitudo animi et clementia hic locum habet, quam *stultitia* et dementia. Ceterum ex *ostentantes* ἀπὸ κοινοῦ intelligendum *dicebant, docebant.* ERN. Explicat ipse noster, qualis sit hæc *superbia*, mox *altiores spiritus* vocans. Sic et bono sensu Horatius, Ode 3, 30, 14. *sume superbiam quæsitam meritis.* Vitruv. etiam 7, 3. metaph. *superbiam candoris* dicit.

*Ne victos quidem*] Varia emendatio vel crux potius adhibita huic loco. Vertranius legit, *Ne victor quidem laturus.* Beatus, *Ne victum quidem laturus.* Mihi sana lectio est, sana sententia. Si Vespasianus, inquiebant, tam alto animo est, ut rectis oculis æmulum quondam Imperii possit adspicere, tamen id istæ ipsæ victæ partes ferent numquam: qui, miseratione olim Principis, ad ultionem et res novas accingentur. Atque huic sententiæ apte subnexum, *ita periculum ex misericordia.* LIPS. Vulgatum est etiam in MS. Guelf. edd. omnibus. Quod Rhenano placuit, in v. c. se reperisse testabatur Danesius ap. Ursinum. Paullo post pro *promitti: sed*, ed. pr. *promittis: et:* quod genus vitii valde frequens in scriptis, eoque aliquot locis Tacitum liberavimus. ERN. Bud. *ne victo q. laturos.* Rhen. in textu vulg. servat. Cui non placuerit Lipsii interpretatio, Pichenam audiat, qui intelligit, ipsos Vitellii milites eum, ne privatus viveret, occisuros misericordia, ut sequentia innuunt.

*Æmulatu redituram*] Censeo, nos apte restituisse: etsi in libris, *æmulatore redituram.* Budensis aliquid juvit, qui *æmulatore daturam* præferebat. Tacitus 13, 46. *et, ne æmulatus in urbe ageret, provinciæ Lusitaniæ præficitur.* LIPS. Videtur potius legendum: *nisi exstincto æmulatore futuram.* GRON. Lectio Budensis est etiam Flor. et Agr. nisi quod *daturum* hic habet, ut ed. pr. Ceteræ edd. usque ad Lips. *æmulatore redituram*, quod, cum Ryckio credo, sine necessitate aut idonea caussa mutatum esse. ERN. Flor. propius accedit, habet quippe *æmulatore dituram.*

casibus dubiis reservatum, prægravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus, ullam in Vitellium, nisi occidendi, licentiam habeant. Non a Cæsare Pompeium, non ab Augusto Antonium incolumes relictos: nisi forte Vespasianus altiores spiritus gerat, Vitellii cliens, cum Vitellius conlega Claudio foret. Quin, ut censuram patris, ut tres Consulatus, ut tot egregiæ domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur: perstare militem, superesse studia populi. Denique nihil atrocius eventurum, quam in quod sponte ruant: moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium et contumelias effundant, an per virtutem."

LXVII. Surdæ ad fortia consilia Vitellio aures. Obruebatur animus miseratione curaque, ne, pertinacibus armis, minus placabilem victorem relinqueret conjugi ac liberis. Erat illi et fessa ætate parens; quæ tamen, paucis ante diebus, opportuna morte excidium domus prævenit, nihil Principatu filii adsecuta, nisi luctum et bonam famam. XV Kal. Januar.

*Casibus dubiis reservatum*] MS. Flor. ed. pr. *captis diebus*. Agr. *paucis diebus*. Vulgatum verum. Ne Valenti quidem vitam condonasse, quem tamen captum tenuerint in potestate, et in quo conservando consulere sibi potuerint, si forte res aliter, ac vellent, caderent, ut per eum a Vitellio veniam consequi possent. ERN. Bud. pessime: *cassibus duobus*. Mox Rhen. bene *nedum*, quod prius separatis vocibus scriptum.

*Vitellii cliens, cum Vitellius*] Postrema ea verba, *cum Vit. col. Cl. foret*, glossulam sapere videantur, ad subsequentia verba, *Quin ut censuram patris*. Fero tamen. LIPS. Verum puto. Ceterum *altiores spiritus gerere* h. l. dicitur majori animo esse, et in bonam adeo partem; cum alias in deteriorem dicatur. Est autem grave et auctum argumentum. Non est credibile, Vespasianum, qui olim Vitelliæ domus cliens fuerit, jam nobiliori celsiorique animo esse, quam Cæsar et Augustus fuerint, passurumque vivere æmulum, cum illi passi non sint. ERN. Ista, quæ glossam sapere videntur Lipsio, ad sententiam necessaria recte judicat Acidalius, indicandum erat, qua ratione cliens fuerit Vespas. Vitellii.

*Honores deceret*] Recte: et capio. In Romana tamen editione *honores degeret*; ex qua (si quid mutandum est) fecerim, *tegeret*. Rodolphus enim longius abire a scripto videtur, qui reponit *negligeret*. LIPS. Ego *degeret* aut in libro scr. vitiosum fuisse, aut vitiose scripturam expressam in ed. pr. puto, quod verba quæ literis modo *g* et *c* differunt, centies confusa, ut supra demonstratum. Ceterum fateor, elegantiorem orationem fore et fortiorem, si pro *deceret* esset *negligeret*, (e quo *degeret* factum putabat Acidalius) aut simile quid; et tale quid me libenter admissurum, si a libris bonis aut pluribus venerit. Nam nunc solo MS. Agr. nititur *negligeret*, quod etiam Acidalius defendit, nec displicet Ryckio. Jac. Gronovius, spreto τῷ *negligeret*, corrigit *deleret*: quod an placeat cuiquam, nescio. Verbum debet esse ejusmodi, quod lenitate sua non offendat Vitellium: quod in *deleret* non convenit, si vel maxime per se usitata forma dicendi foret, *delere Consulatus honores* etc. sed in *negligeret*. ERN. Falsum est. Agricolam e cod. suo dedisse *negligeret*, Ryckius docet, illum conjecturæ suæ fundum habere in *degeret* editionis Romanæ, unde hariolatus sit *neglegeret*.

*Moriendum deditis*] Hæc clausula non erat in Bud. nec est in Guelf. nisi in marg. et a manu sec. Neque tamen abesse potest per sequentia. Non refert, vincare an dedare; nam moriendum est: illud refert, quomodo moriare. Forte autem respexit auctor ad factum Augusti ap. Sueton. c. 15. ERN.

*Opportuna morte*] Atque hinc suspicio, de qua Suet. Vit. 14. *Suspectus et in morte matris fuit: quasi ægræ præberi cibum prohibuisset, vaticinante Catta muliere, cui velut oraculo acquiescebat, ita demum firmiter ac diutissime imperaturum, si superstes parenti exstitisset*, etc. ERN.

audita defectione legionis cohortiumque, quæ se Narniæ dediderant, pullo amictu palatio degreditur, mœsta circum familia. Simul ferebatur lecticula parvulus filius, velut in funebrem pompam. Voces populi blandæ et intempestivæ: miles minaci silentio.

LXVIII. Nec quisquam adeo rerum humanarum inmemor, quem non commoveret illa facies: Romanum Principem, et generis humani paullo ante dominum, relicta fortunæ suæ sede, per populum, per urbem, exire de Imperio. Nihil tale viderant, nihil audierant: repentina vis Dictatorem Cæsarem oppresserat; occultæ Caium insidiæ: nox et ignotum rus fugam Neronis absconderant: Piso et Galba tamquam in acie cecidere: in sua concione Vitellius, inter suos milites, prospectantibus etiam feminis, pauca et præsenti mœstitiæ congruentia locutus: "cedere se pacis et Reipublicæ caussa: retinerent tantum memoriam sui, fratremque et conjugem et innoxiam liberorum ætatem miserarentur:" simul filium protendens, modo singulis, modo universis commendans, postremo fletu præpediente, adsistenti Consuli (Cæcilius Simplex erat) exsolutum a latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, reddebat. Adspernante Consule, reclamantibus, qui in concione adstiterant, ut in æde Concordiæ posituras insignia Imperii, domumque fratris petiturus, discessit. Major hic clamor obsistentium Penatibus privatis, "in palatium" vocantium. Interclusum aliud iter, idque solum, quod in Sacram viam pergeret, patebat: tum consilii inops, in palatium rediit.

LXIX. Prævenerat rumor, "ejurari ab eo Imperium:" scripseratque Flavius Sabinus cohortium Tribunis, "ut militem cohiberent." Igitur, tamquam omnis Respublica in Vespasiani sinum cessisset, primores Senatus et plerique

*Palatio degreditur*] Sic bene edidit (e Bud.) Rhenanus. V. ad A. 4, 49. 13, 14. etc. Et sic h. l. est et in Guelf. Superiores edd. omnes *digreditur*. Post pro *familia* ed. pr. vitiose, e contractione, *fama*. Ceterum hic finis est *ῥήσεως* transpositæ in vett. libris et ed. pr. v. ad c. 65. Quæ hic sequuntur usque ad verba *in capitolium accivit*, ibi c. 65. sequebantur. ERN.

*Simul ferebatur*, etc.] MS. Guelf. ed. pr. *seu* (Bud. *ceu*), cujus corruptelæ caussa in transpositione. MS. Bud. deinde *parvus*. ERN.

*In acie cecidere*] Rhenanus non male corrigebat *ceciderant* e vestigiis scripturæ Budensis *cecidebant*. Mox ed. pr. *cedere se pacis et Reip.* sine *caussa*. ERN. In Bud. erat *cecidebat*.

*Cæcilius Simplex*] In Bud. *Simplex* deest.

*Interclusum aliud iter*] Sic Flor. Guelf. edd. ante Rhen. qui e Bud. edidit *alterum*. Vetus bene restituit Pichena. Sensus est: omnes viæ erant interclusæ, quæ alio, quam in palatium, ferrent. ERN. In Bud. quoque 2. m. *aliud*. Mox idem *prohiberent*.

*Quod in sacr. viam pergeret*] *In sacra via* MS. (Bud.) Guelf. edd. Put. seqq. omnes ante Lipsium, qui *sacram viam* edidit: illud et ipsum ferri posset, præsertim si *in* abesset. *Pergeret i. s. viam* est continuaretur via sacra, exiret in viam sacram. Possis conjicere *vergeret*: sed in *pergeret* consentiunt libri. Mox *Tribunus* male ed. pr. et J. Fr. Gron. vitio operarum. ERN.

*Cessisset*] Agr. cod. a l. m. *cecidisset*. Flor. *cecississet*, unde Ryck. forsan *se dedisset*.

Equestris ordinis omnisque miles urbanus et vigiles domum Flavii Sabini complevere: illuc de studiis vulgi et minis Germanicarum cohortium adfertur. Longius jam progressus erat, quam ut regredi posset: et suo quisque metu, ne disjectos, eoque minus validos, Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma inpellebant. Sed, quod in ejusmodi rebus accidit, consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumpsere. Circa lacum Fundani, descendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis, occurrunt promptissimi Vitellianorum. Modicum ibi prœlium, inproviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit. Sabinus, re trepida, quod tutissimum e præsentibus, arcem capitolii insedit milite et quibusdam Senatorum Equitumque: quorum nomina tradere haud promptum est, quoniam, victore Vespasiano, multi id meritum erga partes simulavere. Subierunt obsidium etiam feminæ; inter quas maxime insignis Verulana Gratilla, neque liberos, neque propinquos, sed bellum secuta. Vitellianus miles custodia socordi clausos circumdedit; eoque, concubia nocte, suos liberos Sabinus, et Domitianum, fratris filium, in capitolium

*Circa lacum Fundani*] Ejus mentio in inscr. antiqua ap. Gruter. p. 398. prolata ab Ursino, in qua VICUS LACI FUNDANI DICTATORI SULLÆ aram posuisse memoratur. Cavendum, ne confundatur cum *lacu Fundano* in agro Fundorum, oppidi Italici, ut fecit Cluverius in Italia antiqua t. 2. p. 1084. notatus propterea ab Holstenio. ERN.

*Arcem capitolii*] Sic et alibi Tacitus, ut mox c. 71. 78. Livius et Cicero semper distincte *arcem* et *capitolium* dicunt, Livius ter 5, 39. 40. nam arx et capitolium in eodem erant monte: unde Dionys. Halic. 10, 14. p. 640. arcem vocat προσεχῆ τῷ καπιτωλίῳ, et spatium inter utrumque interjectum auctore eodem, loco mox ad c. 71. proferendo, duoque colles, non arx pars capitolii, aut in capitolio: nisi quod mons ille subinde *mons capitolinus* vocatur, cujus sane pars fuit arx. V. etiam Ryck. de capitol. c. 5. ERN.

*Insedit mixto milite* etc.] *Insidere* est verbum militare, pro occupavit cum præsidio, ut inde vim hostilem arceret. Supra *insessas Alpes* et similia vidimus. Post *mixto* aberat a MS. Bud. nec est in Guelf. nisi a manu sec. in margine, nec in ed. Puteol. Habent MS. Flor. ed. pr. Ber. Alc. Rhenanus verbum id delevit, simulque edidit *ex quibusdam* e Bud. quod exemplum omnes secuti sunt, etiam Lipsius: unde conjicere licet, eum in MSS. hanc vocem non reperisse. Sed Pichena restituit e Flor. eumque omnes, qui post fuere, editores imitati. *Militem mixtum* putat esse confusum cum plebe urbana, feminis, servis: quod an *miles mixtus*, absolute dictus, significare possit, dubito. *Mixtus miles* Latine loquentibus est, miles non ejusdem generis, qualis fuisse dicitur in exercitu Pompeiano, in bello civili, sed collectitius e variis gentibus, variis instructus armis, non eidem disciplinæ adsuefactus: ut *mixtum genus hominum* de talibus dicitur ap. Livium. Vid. collecta Duckero ad 43, 9. sic *mixtum genus dicendi*, et multa alia dicuntur. Ergo, quia plebs et servi non sunt milites, horum cœtus *mixtus miles* dici non potest. Et post fit mentio istius generis hominum, commemoratis etiam feminis. Fortassis et tum talis plebs exclusa, et non nisi feminæ quædam admissæ, ut ap. Liv. 5, 40. Igitur et ipse *mixto* edendum non putavi. Neque tamen in altero secutus sum Rhen. et Lips. ceterosque, qui edidere *ex quibusdam*. Nam MSS. præter Bud. omnes item edd. ante Rhen. habent *et*, quod etiam sensus desiderat. ERN.

*Verulana Gracilia*] MSS. Flor. Agr. (Bud.) Guelf. ed. pr. *Gratilia*. Leg. *Gratilla* e Plin. ep. 3, 11. ubi etiam Flor. *Gratillia*. Guelf. etiam *Vernula*: at in margine est *Verulana*. ERN. Omnino legendum *Gratilla*. Vid. et Plin. ep. 5, 1.

*In capitolium*] Hæ duæ voces a

accivit: misso per neglecta ad Flavianos Duces nuntio, qui, "circumsideri ipsos, et, ni subveniretur, arctas res" nuntiaret. Noctem adeo quietam egit, ut degredi sine noxa potuerit: quippe miles Vitellii, adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat: et hibernus imber, repente fusus, oculos auresque inpediebat.

LXX. Luce prima Sabinus, antequam invicem hostilia cœptarent, Cornelium Martialem, e primipilaribus, ad Vitellium misit, cum "mandatis et questu, quod pacta turbarentur. Simulationem prorsus et imaginem deponendi Imperii fuisse, ad decipiendos tot inlustres viros. Cur enim e rostris fratris domum, inminentem foro, et inritandis hominum oculis, quam Aventinum et Penates uxoris petisset? Ita privato, et omnem Principatus speciem vitanti, convenisse. Contra Vitellium in palatium, in ipsam Imperii arcem regressum: inde armatum agmen emissum: stratam innocentium cædibus celeberrimam urbis partem: ne capitolio quidem abstineri. Togatum nempe se, et unum e Senatoribus, dum inter Vespasianum ac Vitellium prœliis legionum, captivitatibus urbium, deditionibus cohortium judicatur, jam, Hispaniis Germaniisque et Britannia desciscentibus, fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur. Pacem et concordiam victis utilia; victoribus tantum pulchra esse. Si conventionis pœ-

glossographo fortasse: certe in capitolium eos accitos, sine monitore ullo nimis clarum. LIPS. Verum est, per se intelligi posse. At multa erunt in Tacito delenda ex hac regula, ut jam pluribus locis monuimus. Libri quidem omnes hæc verba habent. Ceterum hic est finis alterius ῥήσεως transpositæ in MSS. et ed. pr. ERN.

*At Sabinus misso per neglecta*] Qui attente hæc in vulgatis legit, hæreat necesse est, propter redundans nomen Sabini, et minus cohærentem sententiam. Ei incommodo medelam attulimus deletis verbis *at Sabinus*, auctoribus MS. Flor. et ed. pr. quæ, facta illa transpositione, ad explendam utcunque sententiam, addita sunt. (Desunt et in Bud. et Reg. Lall. Sed Puteol. intrusit; servarunt sequentes editores ad Ernestium usque.) Deinde punctum fecimus post *nunciaret*. Nova est sententia a verbis *noctem adeo quietam egit*. *Noctem tranquillam*, et *inquietam* etiam Livius dixit, 5, 42. qui locus huic similis. Denique *degredi* scripsimus pro *digredi* sensu postulante: significat enim descendere de arce, quod est *degredi*, ut jam sæpe monuimus et correximus. Ryckius defendit e c. 78. init. ubi *digressus Narnia exercitus;* sed ibi discessus simpliciter indicatur, hic descensus ex arce, loco superiori, ubi *degredi* verum verbum esse, pluribus jam locis vidimus. Ceterum *et* ante *ni* e MS. Flor. addidit Pichena, ubi erat *ipso sel ni*. Ed. pr. *ipsi seni*. Ante edebatur *ipsus, nisi subv.* MS. Guelf. tamen *ni* habet. ERN. Bud. *ipsos, ni*. Mox *digredi*.

*Deditionibus cohortium judicatur*] *Judicare*, ut similia verba, *disceptare, decernere*, eleganter de re bellica, etiam *dijudicare*, ut bene ad h. l. docuit Boxhornius. ERN. Cum Bip. sublato puncto, ante *jam* posito, verum loci nexum restituo.

*Victis utilia, victoribus tantum pulchra esse*] Cur non potius: *Pacem et concordiam victis utilem, victoribus tantum pulchram esse*. GRON. Favet aliquantulum MS. Guelf. qui habet *pulchrum*. Ceterum Tacitus etiam aliis locis sic locutus est, ut neutrum plurale junxerit duobus substantivis masc. aut fem. generis, de more Græcorum. ERN.

*Si conventionis pœniteret*] Sic non dubitavi reponere pro *pœniteat*, quia hic mera imperfecta et antecedunt et sequuntur: inter quæ *pœniteat* stare nullo

niteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, non filium Vespasiani, vix puberem: quantum, occisis uno sene et uno juvene, profici? iret obviam legionibus: et de summa rerum illic certaret: cetera secundum eventum prœlii cessura." Trepidus ad hæc Vitellius pauca purgandi sui caussa respondit, culpam "in militem" conferens, "cujus nimio ardori inparem esse modestiam suam." Et monuit Martialem, "ut per secretam ædium partem occulte abiret, ne a militibus internuntius invisæ pacis interficeretur:" ipse neque jubendi neque vetandi potens, non jam Imperator, sed tantum belli caussa, erat.

LXXI. Vix dum regresso in capitolium Martiale, furens miles aderat, nullo Duce: sibi quisque auctor: cito agmine forum et inminentia foro templa prætervecti erigunt aciem per adversum collem, usque ad primas capitolinæ arcis fores. Erant antiquitus porticus in latere clivi, dextræ subeuntibus: in quarum tectum egressi saxis tegulisque Vitellianos obruebant. Neque illis manus, nisi gladiis, armatæ: et arcessere tormenta, aut missilia tela, longum videbatur: faces in prominentem porticum jecere: et sequebantur ignem; ambustasque capitolii fores penetrassent, ni Sabinus revulsas undique statuas, decora majorum, in ipso aditu, vice muri, objecisset. Tum diversos capitolii aditus invadunt, juxta lucum asyli, et

modo aut a Tacito esse potest. ERN. Particula conditionalis cum præsente rectius struitur. Sic Bud. cum vulg. bene. Imperfecta ἀποδώσειν futuri rationem habent.

*Et de summa*] Copulam e Flor. Pichena dedit. Sic et Bud. Hic mox *nimius ardor*, quod stare potest, si semicolon addas.

*Ne a militibus internuntius*] Præpositio non est in ed. pr. Eam se delevisse ait Rhenanus (deest enim in Bud.): sed operæ non paruere. Itaque et a sequacibus est sercata, extatque in edd. præter primam omnibus. Est et in Guelf. ERN.

*Porticus in latere*] Dionysius 4, 61. *Frons ejus meridiem spectans, porticum habet, cum triplici columnarum ordine: in lateribus ordo duplex est.* LIPS.

*Dextra subeuntibus*] An, *dextræ subeuntibus?* atque ita, ut disco, Flor. LIPS. Sic et MS. Guelf. (Bud.) edd. pr. Puteol. Ber. Alc. Rhen. pr. Ald. *Dextra* primus dedit Gryphius, vitio haud dubie operarum, unde in sequentes venisse videtur. Recte igitur Pichena *dextræ* edidit, atque id loquendi ratio desiderat. Formulam *porticus dextræ subeuntibus* illustratam reperies a Gronov. ad verba Liv. 1, 8. *locus, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est.* ERN.

*Vitellianos obruebant*] Sic Flor. unde edidit Pichena cum seqq. Consentit ed. pr. At ceteræ vett. inde a Puteol. et MS. Guelf. *deturbabant.* Hoc si verum est, intelligi debet *deturbare conabantur, tentabant* (nam non deturbatos esse, sequentia docent) quod consuetudo Latinorum fert. Sane æque bene ac promiscue in hac re dicuntur *deturbare, proturbare*, ut ap. Liv. 5, 47. *obruere* et *operire*, ut quisque mediocriter in historicis Latinis versatus scit: sed tamen Flor. et ed. pr. auctoritatem ceteris libris præferam. A MS. Bud. plane aberat verbum: unde fortasse licet suspicari, id, quod a Tacito esset, excidisse in antiquioribus codicibus, defectum a librariis varie esse suppletum, atque hinc varietatem librorum natam. Mox idem MS. pro *jecere* habebat *jacere.* ERN.

*Juxta lucum asyli*] Asyli lucus nullus alibi memoratur. Credo, intelligi locum, qui *inter duos lucos* vocabatur, juxta quem asylum fuit. Ibi viam in capitolium fuisse, patet e Livio 1, 8. ubi vid. intt. de lucis istis, adde Dionys. Hal. 2, 15. p. 88. Neapol. ad Ovid. Fast. 3, 430. Mox MS. Guelf. edd. pr. Puteol. *Tarpei rupes;* quod sic dictum

qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur. Inprovisa utraque vis; propior atque acrior per asylum ingruebat: nec sisti poterant scandentes per conjuncta ædificia: quæ, ut in multa pace, in altum edita, solum capitolii æquabant. Hic ambigitur, ignem tectis oppugnatores injecerint, an obsessi, quæ crebrior fama est, quo nitentes ac progressos depellerent. Inde lapsus ignis in porticus adpositas ædibus: mox sustinentes fastigium Aquilæ vetere ligno traxerunt flammam alueruntque. Sic capitolium, clausis foribus, indefensum et indireptum, conflagravit.

LXXII. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum fœdissimumque Reipublicæ Populi Rom. accidit: nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, Deis, sedem

accipi posset, ut *Martis campus* apud nostrum, et similia: sed collis ille a Tarpeia potius, quam a Tarpeio, dictus traditur vulgo. ERN.

*Nec sisti poterant scandentes*] MS. Guelf. *nec sisti poterat*. Librarius videtur in animo habuisse elegans loquendi genus, quo Livius delectatur, *sisti non potest*, de quo ad A. 3, 52. sed id hic locum non habet, propter verbum *scandentes*. Add. ad 5, 21. Mox *per conjuncta ædificia* int. capitolio. Sic Liv. 1, 44. *neque ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt*. ERN.

*Ignem oppugnatores*] Hoc quidem ambigi potest: at non, quod Philostratus incuriose scribit 5, 30. *Domitianum obsedisse Vitellianos in capitolio, atque illos clanculum fugientes templum incendisse*. Ille dixit, qui perperam multa alia; classicus nemo scripsit. LIPS. Locus est p. 213. ed. Lips. sed nihil tale ibi traditur. Verba Græca sunt: ξυμβεβήκει δὲ κατὰ τὴν Ῥώμην, Δωμετιανὸν μὲν, τὸν τοῦ Οὐεσπασιανοῦ παῖδα, παρατετάχθαι πρὸς τὸν Βιτέλλιον, ὑπὲρ τῆς ἀρχῆς τοῦ πατρὸς πολυορκίας δ' αὐτὸν περισχούσης ἐν τῷ καπιτωλίῳ διαπεφευγέναι τοὺς πολιορκοῦντας, τὸν νεὼν δ' ἐμπεπρῆσθαι. Verba αὐτὸν et διαπεφευγέναι ad Domitianum referenda, non ad Vitellium. Mox pro *depellerent* quod verum est, MSS. Bud. Guelf. *depulerint*. In MS. Reg. ed. pr. omissa verba *an obsessi—depellerent*. ERN.

*An obsessi* etc.] Spanhemius, Vaillantius, aliique huc trahunt nummum Vitellii, quo Jupiter Capitol. in templo sistitur, putantque eum Principem hoc typo docuisse, nulla sua culpa arsisse id templum, mox a se reædificandum. Verum temporum ratio obstat, neque dubium esse potest, quin salvo adhuc capitolio cusum sit numisma. Vid. Eckhel Doctr. NN. vet. vol. 6. p. 312. Mox Bud. male *quam quo*.

*Sustinentes fastigium aquilæ*] Græci etiam ea mente ἀετὸν dicunt. Hesychius: Ἀετὸς, καὶ ὄροφος, καὶ τὸ ἐπὶ τῷ γείσῳ κυμάτιον. Pausanias aliquoties usurpat; ut 10, 19. Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς ἔστι Ἄρτεμις καὶ Λητὼ καὶ Ἀπόλλων. Lib. 5, 10. Ὕψος μὲν δὴ αὐτὸ τοῦτο ἐς τὸν ἀετὸν ἀνῆκον εἰσὶν οἱ ὀκτὼ πόδες καὶ ἑξήκοντα. Nisi fallor, istæ ipsæ aquilæ γεισίποδες Polluci (1, 8. 7, 27) dicuntur. LIPS. Pausanias Corinth. 2, 7. Καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀετοὺς, μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς. Eodem libro: Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς. Ἡρακλῆς καὶ Νίκαι πρὸς τοῖς πέρασίν εἰσι. Nisi scripsit ταῖς πτέρυξιν. Vide P. Scriverium ad Martialis 10, 19. GRON. Per *fastigium* intelligant tirones signum vel signa, in summo tecto; nam sic etiam *fastigium* dicitur: ut ap. Plin. 35, 12 (46). Add. Salmas. ad Spartian. Pesc. 12. et ad Solin. p. 853. ERN.

*Traxerunt flammam alueruntque*] Variant libri in terminatione verborum. Quod hic editum est, habet MS. Flor. unde proditum a Pichena. At MS. (Bud.) Guelf. edd. ante Pich. omnes *traxere*: ed. pr. MS. Agr. etiam *aluereque*. ERN.

*Fœdiss. Reip. Pop. Rom.*] Hæc est vera lectio, quam firmant MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. ceteræque omnes, quas vidi ante Lipsium: nisi quod habent *populo*, vel *populoque*, præter Flor. et ed. pr. Sed genitivum esse meliorem, consuetudo loquendi veterum indicat, apud Livium in primis obvia, velut 22, 10. ubi *Resp. Populi Romani Quiritium*; quam idoneis exemplis declaravit Gronov. Obs. 4, 14. Adde Drakenb. ad Liv. l. c. et ad 8, 9. etc. ERN. Bud. *R. P. populo Rom.*

Jovis O. M. auspicato a majoribus, pignus Imperii, conditam, quam non Porsena dedita urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore Principum exscindi! Arserat et ante capitolium civili bello, sed fraude privata; nunc palam obsessum, palam incensum: quibus armorum caussis? quo tantæ cladis pretio stetit? pro patria bellavimus? Voverat Tarquinius Priscus Rex, bello Sabino, jeceratque fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc Populi Romani res sufficerent: mox Servius Tullius, sociorum studio; deinde Tarquinius Superbus, capta Suessa Pometia, hostium spoliis exstruxere. Sed gloria operis libertati reservata: pulsis Regibus, Horatius Pulvillus, iterum Consul, dedicavit, ea magnificentia, quam inmensæ postea Populi Romani opes ornarent potius, quam augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam, interjecto CCCCXXV annorum spatio, L.

*Pignus Imperii*] Int. *ut p. i.* nisi τὸ *ut* a terminatione præcedentis verbi absorptum est. Ern. Cf. Liv. 1, 55.

*Porsena dedita urbe*] Non abit longe ab hac indignitate, quod est apud Plinium 34, 14 (39). *In fœdere, quod expulsis Regibus Po. Ro. dedit Porsena, nominatim comprehensum invenimus, ne ferro, nisi in agri cultu, uterentur. Etiam stilo scribere vetitum, vetustissimi auctores prodiderunt.* Sic enim eum locum e MS. restituimus. Gron. Cetera hic locus nullo modo refellit Savilium, quem Ryckius putabat memoria falsum fuisse, cum diceret, de dedita Porsenæ urbe nuspiam alibi tradi, usus hoc uno loco. Apparet hinc, iniquioribus conditionibus fœdus accepisse Romanos: non deditam urbem Porsenæ. Ern.

*Temerare potuissent*] Ita Farnesianus, melius certe, quam *tenere*, quod obtinuit. Pollutio enim ista ad locum sacrum refertur. Lips. *Temerare* Flor. Guelf. edd. ante Rhen. omnes, idque bene restitutum a Lipsio. *Tenere* e Budensi a Rhenano editum est. Ern.

*Furore Principum exscindi*] Sic MS. Flor. (Bud.) Guelf. a manu pr. edd. Puteol. sqq. At in Guelf. man. sec. correxit *furor* et addidit *potuit*: quod e libris ductum est; nam et ed. pr. habet *potuit*. Id esse vitiosum, arguit *potuissent*: nam, si *furor potuit* verum esset, deberet esse *potuere* vel *potuerant*. Librarii non assecuti sunt elegantiam infinitivi absoluti, quo frequenter satis tali modo utitur Livius. Ern.

*Quo tantæ cladis*] Æger mihi locus olim visus, nunc in sanitate esse. Sententia: ne pro patria quidem olim tanta clade pugnatum; nedum pro ambitione privata, aut contra patriam. Lips. V. Observ. 3, 17. Gronovius, ubi, repudiatis aliorum correctionibus et explicationibus, pronunciat legendum, *quid tantæ cladis pretio stetit?* h. e. quid fuit, qui tantus fructus, tanta spes, quæ tanti redimeretur, quæ tanto pretio, tanta jactura emeretur. Qui sensus, ut bpinor, etiam existit e correctione Rhenani, qui τὸ *stetit* delevit, nescio an consentiente MS. Budensi. (omnino, deest.) Sed, si vel maxime id verbum a codice abfuit, tamen credibile est, id omissum esse a librario, similia membra efficere volente; quod sæpe Tacito obfuisse vidimus, cum ea similitudo sit ab ejus ingenio et consuetudine aliena. *Stetit* est in MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. omnibus, nec tale, ut a librariis additum videatur. Itaque id post Ryck. et J. Gronov. reposuimus. Pichena corrigebat: *quo tanta clades pretio stetit?* idem ut esset sensus, qui Gronovianæ correctionis est. Sed Latinitas non fert. Ceterum non nego, mihi tamen aliquid duri esse videri etiam in Gronoviana correctione. Dicimus sane eleganter *res stat magno:* sed, an etiam dicatur, *quid stat pretio hujus rei?* hoc quæritur: nec id demonstrat Gronovius. Ego nondum alibi reperi. Ern. Freinsh. lectionem Rhenani probat, si post *pretio* interrogandi signum ponatur. Id et Acidalio placet et mihi propemodum. Bip. sequuntur Gronovium.

*Deinde Tarq.*] Bud. *dein* et mox *Isdem*, ut solet.

*CCCCXV annorum*] Ratio temporum evincit, scribendum CCCCXXV. Adi

Scipione, C. Norbano coss. flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati ejus negatum. Lutatii Catuli nomen, inter tanta Cæsarum opera, usque ad Vitellium mansit. Ea tunc ædes cremabatur.

LXXIII. Sed plus pavoris obsessis, quam obsessoribus intulit. Quippe Vitellianus miles, neque astu, neque constantia, inter dubia indigebat. Ex diverso trepidi milites, Dux segnis et veluti captus animi, non lingua, non auribus competere: neque alienis consiliis regi, neque sua expedire: huc illuc clamoribus hostium circumagi: quæ jusserat, vetare; quæ vetuerat, jubere. Mox, quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exsequi: postremo, abjectis armis, fugam et fallendi artes circumspectabant. Inrumpunt Vitelliani et cuncta sanguine, ferro, flammisque miscent. Pauci militarium virorum, inter quos maxime insignes, Cornelius Martialis, Æmilius Pacensis, Casperius Niger, Didius Scæva, pugnam ausi, obtruncantur. Flavium Sabinum, inermem neque fugam cœptantem, circumsistunt, et Quinctium Atticum,

Fastos. LIPS. In ed. pr. (et cod. Bud.) explanate et sine notis *quadringentorum quindecim*. Correctionem Lipsii recepit Broterius: nec est credibile, Tacitum toto decennio aberrasse, aut chronologiam Romanam non ita constitutam tum fuisse, ut annos sine tali errore definire liceret. ERN. Ryckius recte ostendit, ab a. 247, quo Hor. Pulvillus iterum Consul, ad 671, quo L. Scipio, C. Norbanus coss. effluxisse annos 425, et in margine hunc numerum emendatum adponit. Probat Lallemand. sed vitium in textu retinet. Pejus Bipontini repetitum Ryckii calculum ad a. 415 adplicant.

*Felicitati ejus negatum*] Sullæ ipsius dictum hoc est, quo Tacitus allusit. Plinius 7, 43 (44). *Hoc tamen nempe felicitati suæ defuisse confessus est, quod capitolium non dedicavisset.* LIPS. *Felicis* nomen adsumsit Sulla occiso Mario. Cf. Vell. 2, 27.

*Lutatii Catuli nomen*] Fallit nos ergo, aut falsus ipse Dio 43, 14. qui adseverat, inter alios honores datum Cæsari, ut nomen ejus capitolio inscriberetur, deleto Catuli, idque eum recepisse. Quod ex hoc loco omnino non potest. LIPS. Dioni suffragantem Martialem laudat Ryckius 5, 10. ubi *Catuli Julia templa:* putatque, nomen Catuli ita erasum, et inscriptum Cæsaris nomen, ut tamen Catuli nomen adhuc appareret; cujus rei exempla plura in marmoribus antiquis reperiantur. Quod mihi non satisfacit. Vereor, ne decretum illud ad effectum non venerit. Atque sic placebat J. Gronovio. Verba Taciti nimis clara et diserta sunt, deque re tali, quæ obscura esse non poterat. ERN. Exemplum tituli sic mutati, ut prioris vestigia maneant, exhibet uterque arcus Sept. Severi triumphalis Romæ, de quo vid. Suaresius in opere eximio J. J. de Rubeis, cui tit. arcus triumphis Augg. insignes.

*Inter tanta Cæs.*] Pichena velut e Flor. edidit *tot*. Negat hoc esse in eo libro J. Gronovius: et ceteri libri omnes *tanta*, id itaque ut J. Gron. exprimendum curavi. Mox idem Flor. *trepidi milites*, ut Guelf. (Bud.) Agr. edd. quod secutus sum post J. Gron. *Trepidus miles* edidit Puteol. primus. ERN. Bud. et Agr. *tanta*. Bip. recepere *tot*.

*Non lingua n. a. comp.*] Sic Sall. ap. Non. 4, 110.

*Didius*] Bud. *Vidius*.

*Fugam cœptantem*] Pichena conjicit *tentantem* vel *captantem*. Illud mallem. Sed vulgatum melius et exquisitius puto. Est verbum frequens Tacito pro tentare, ut index docet. Mox per *umbram honoris et vanitatem* intellige usum insignium consularium, quæ amovenda in tali periculo erant. Denique pro *edicta jecerat* Acidalius malebat *fecerat*. Sed nemo dixerit *edicta in populum facere*. *Ediderat* tolerabilius esset, quod est verbum proprium. Sed *jecerat in populum* est sparserat: neque id verbum tentandum, propter τὸ *in populum*. ERN.

*Quinctium Atticum*] Bud. Agr. *Quin-*

Consulem, umbra honoris et suamet vanitate monstratum, quod edicta in populum, pro Vespasiano magnifica, probrosa adversus Vitellium, jecerat. Ceteri per varios casus elapsi: quidam servili habitu, alii fide clientium contecti, et inter sarcinas abditi. Fuere, qui, excepto Vitellianorum signo, quo inter se noscebantur, ultro rogitantes respondentesve, audaciam pro latebra haberent.

LXXIV. Domitianus, prima inruptione apud ædituum occultatus, sollertia liberti, lineo amictu turbæ sacricolarum inmixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum, paternum clientem, juxta Velabrum, delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum JOVI CONSERVATORI, aramque posuit, casusque suos in marmore expressam. Mox, Imperium adeptus, JOVI CUSTODI templum ingens, seque in sinu Dei sacravit. Sabinus et Atticus, onerati catenis et ad Vitellium ducti, nequaquam infesto sermone vultuque excipiuntur, frementibus, qui jus cædis, et præmia navatæ operæ, petebant. Clamore a proximis

*tium.* Edd. veteres male *Quintum.* Forte ad eum Martialis epigr. 7, 31. 9, 100.

*Audaciam pro l. h.*] Bella imitatio Sallustiani dicti Catil. 58. *audacia pro muro habetur.* ERN.

*Turbæ sacricolarum*] Isiacos fuisse e Suet. Dom. c. 1. discimus: ubi v. et de nummo Domitiani, ad memoriam ejus rei spectante. Atque hinc lineus amictus, quo Isiaci usi, linigeri inde dicti. ERN. Cf. Obrechti nostratis diss. de nummo cit. 4. Arg. 1675.

*Immixtus ignarusque*] Ita Vatic. quod germanum judicavi, non *ignoratusque.* Novitas quædam in ea voce est, quam Sallustio debet (ex Jug. 93). *More humanæ cupidinis ignara visundi:* id valet *ignota.* LIPS. Pichena *ignoratusque* bene restituit quod habent MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. vett. omnes præter pr. quæ consentit MS. Vatic. *Ignarus* est *ignotus*, quod ab h. l. alienum. Non ignotus erat, sed ignorabatur. ERN. Bud. *ignoratus* absque copula, et sic Rhen. Sed Reg. Lall. *ignarusque.*

*Casusque suos in marmore expressit*] MSS. Flor. Agr. ed. pr. *casus suos in m. expressam*, nisi quod ed. pr. omittit *suos.* Eam lectionem recepere Ryckius et J. Gron. (item Brot. Lall. Bip.) *Ara casus expressa* exquisite dicitur, ejusque formulæ plura exempla apud veteres, quæ congessit Heins. ad Valer. Fl. 1, 491. firmans e MS. quo usus est, eandem lectionem in loco nostro. Itaque imitatus essem virorum doctissimorum exemplum, nisi me retinuissent verba *in marmore*, quæ frigere videntur in illa lectione: nisi ea insititia sint, quod non putem. Potuere sane in ipsa ara casus exprimi, ut ap. Liv. 28, 46. *Hannibal aram posuit cum titulo rerum suarum.* Sed nihil impedit quo minus in peculiari tabula marmorea, in illo sacello posita, exprimerentur casus Domitiani. Lupanus autem capit de opere cælato, in quo casus isti expressi. Simile, quod Dædalus apud Virgilium in valvis templi Æn. 6, 32. *bis conatus erat* Icari *casus effingere in auro;* quem locum in animo habuisse videatur Tacitus. Sed arbitror, etiam de titulo intelligi posse. ERN. Bud. *exprexit*, solemni usu duplicis pro littera *s.* Sic *Vespexianum* dicit. Etsi dura locutio videatur quam Flor. præfert, tamen, quum non sit credibile, librarium eam substituisse planiori, recipio et ipse: *in marmore* refero ad aram, quæ ex marmore.

*Præmia navatæ operæ petebant*] MSS. Bud. Bodl. Agr. *enavatæ*, quod placebat Danesio, Rhenano, recepit Ryckius. De toto hoc genere verborum supra dictum ad A. 14, 14. Sed *enavatus* mihi durius videtur, quam ut, recipere audeam. Mox dedimus *absciso capite.* V. ad 2, 88. ERN. Rhen. probat *enavatæ*, nec tamen recepit. Bud. *absciso:* in Flor. rectius deest: sequor. Prius Bud. *proximis* sine præpositione.

orto, sordida pars plebis supplicium Sabini exposcit, minas adulationesque miscet. Stantem pro gradibus palatii Vitellium, et preces parantem, pervicere, ut absisteret. Tum confossum conlaceratumque, et capite truncum, corpus Sabini in Gemonias trahunt.

LXXV. Hic exitus viri haud sane spernendi. Quinque et triginta stipendia in Republica fecerat, domi militiæque clarus: innocentiam justitiamque ejus non argueres: sermonis nimius erat. Id unum septem annis, quibus Mœsiam, duodecim, quibus Præfecturam urbis obtinuit, calumniatus est rumor. In fine vitæ alii segnem, multi moderatum et civium sanguinis parcum credidere. Quod inter omnes constiterit, ante Principatum Vespasiani, decus domus penes Sabinum erat. Cædem ejus lætam fuisse Muciano accepimus. Ferebant plerique, " etiam paci consultum, dirempta æmulatione inter duos, quorum alter se fratrem Imperatoris, alter consortem Imperii cogitaret." Sed Vitellius Consulis supplicium poscenti populo restitit, placatus, ac velut vicem reddens, quod interrogantibus, " quis capitolium incendisset," se reum Atticus obtulerat. Eaque confessione, sive aptum tempori mendacium fuit, invidiam crimenque agnovisse, et a partibus Vitellii amolitus, videbatur.

LXXVI. Iisdem diebus L. Vitellius, positis apud Feroniam castris, excidio Tarracinæ inminebat: clausis illic gladiatoribus remigibusque, qui non egredi mœnia, neque periculum in aperto audebant. Præerat, ut supra memoravimus, Julianus gladiatoribus, Apollinaris remigibus, lascivia socordiaque gladiatorum magis, quam Ducum similes, non vigilias agere, non intuta mœnium firmare, noctu dieque fluxi et amœna litorum personantes, in ministerium luxus dispersis militibus, de bello tantum inter convivia loquebantur. Paucos ante dies discesserat Apinius Tiro: donisque ac pecuniis acerbe per municipia conquirendis, plus invidiæ quam virium partibus addebat.

LXXVII. Interim ad L. Vitellium servus Verginii Capi-

*Stipendia in Republ. fecerat*] Verba *in Republica* mihi suspecta. Quorsum enim et quo exemplo adduntur, præsertim a brevitatis tanto amatore? nisi forte transpositio facta est a librariis, Tacitique manus sic dedit: *XXXV stipendia fecerat: in Rep. d. m. clarus.* Infra vitiose edd. ante Rhen. *direpta*, pro *diremta*. Ern. Ex ingenio Rhen. nam Bud. *direpta*. Paullo ante Bud. *alii moderatum*, Rhen. *multi*.

*Ut supra memoravimus*] C. 57.

*Lascivia* etc.] Ante hæc verba punctum minus cum Bip. pono et sequentia ad *loquebantur* usque uno tractu jungo.

*Apinius Tiro*] V. c. 57. unde patet, hunc Apinium, deficientibus a Vitellio se Ducem obtulisse, adeoque a Vespasiani partibus fuisse. Ern.

*Ad L. Vitellium*] Prænomen addunt Flor. (Bud.) Agr. Guelf. vett. omnes. Excidit casu in ed. Pichenæ: nam in ea primum inter libros meos desideravi. Restituit Ryckius. Mox MSS. (Bud. a. 1. m.) Flor. Agr. Guelf. ed. pr. *Virgilii*, ut H. 4, 3. male. *Capito* est Ver-

tonis perfugit, pollicitusque, " si præsidium acciperet, vacuam arcem tradi futurum," multa nocte cohortes expeditas, summis montium jugis, super caput hostium sistit: inde miles ad cædem magis, quam ad pugnam decurrit: sternunt inermes, aut arma capientes, et quosdam somno excitos; cum tenebris, pavore, sonitu tubarum, clamore hostili turbarentur. Pauci gladiatorum resistentes, neque inulti cecidere: ceteri ad naves ruebant, ubi cuncta pari formidine implicabantur, permixtis paganis, quos nullo discrimine Vitelliani trucidabant. Sex Liburnicæ inter primum tumultum evasere, in quis Præfectus classis Apollinaris: reliquæ in litore captæ, aut nimio ruentium onere pressæ, mare hausit. Julianus ad L. Vitellium perductus, et verberibus fœdatus, in ore ejus jugulatur. Fuere, qui uxorem L. Vitellii Triariam incesserent, tamquam " gladio militari cincta, inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbe sæveque egisset." Ipse lauream gestæ prospere rei ad fratrem misit: percunctatus, " statim regredi se, an perdomandæ Campaniæ insistere juberet." Quod salutare non modo partibus Vespasiani, sed Reipublicæ fuit: nam, si recens victoria miles, et, super insitam pervicaciam, secundis ferox, Romam contendisset; haud parva mole certatum, nec sine exitio urbis, foret: quippe L. Vitellio, quamvis infami, inerat industria: nec virtutibus, ut boni, sed, quo modo pessimus quisque, vitiis valebat.

giniorum cognomen. Item iidem præter Guelf. post, *tradi futurum*, pro *furtim traditurum*. Ern. Optime se habent codd. in quibus et Bud. lectio *tradi futurum*, quam cum Bip. Tacito reddendam puto. Puteolani est ista spuria.

*Inermes*] Flor. *inermos*. Mox *inulti* Rhen. e Bud. Prius legebatur *multi*.

*Reliquas in litore captas*] Covarruviæ codex, *reliquæ in litore captæ*: quod verius. Lips. Sic Flor. Guelf. edd. pr. Put. idque recepit Pichena. Primus Beroaldus edidit *captas*, vitio fortasse operarum, quod sqq. temere secuti sunt. Errori locum dedit sequens mox *pressas*. Ed. pr. *in lictore* vitiose: et ante *tumulum* pro *tumultum*. Ern. Bud. et Rhen. *reliquas in l. captas*. Dein Bud. *ut nimio*. Idem *tumulum*.

*In ore ejus*] Seneca de Benef. 7, 19. *Si in ore parentum filios jugulat*: quod Virg. Georg. 4, 477. *Ante ora parentum*.

*Triariam incesserint*] Ed. pr. (et Bud.) *incesserant*. Haud dubie corrigendum e perpetua Taciti, aliorumque consuetudine *incesserent*. Sic mox c. 78. *nec defuere, qui Antonium suspicionibus arguerent*. Itaque sic correxi. Imitatus est Broterius. Mox MS. Guelf. ed. pr. Put. *gestæ prospere rei*. In Beroald. vitio operarum editum *prosperæ*, quod secutus Alc. Correxit Rhen. sed inverso ordine (e Bud.) *prosperæ gestæ rei*, quod tenuere ceteri. Ern. Lallem. *lauream* explicat per litteras laureatas, victoriæ indices, ut apud Plin. Paneg. 8. *Allata erat ex Pannonia laurea*. Cf. Plin. H. N. 15, 30 (39). et ibi Harduinus.

*Recens victoria miles*] Alii scriptores addunt præpositionem *ab* in hac forma loquendi. Unde nata videtur correctio in MS. Agr. *recenti victoria miles*, quam recepit Ryckius in contextum; allata etiam hac causa, quod statim sequatur *secundis ferox*. Utrumque eodem redit, qua sensum. Nam miles qui recenti victoria venit, et recens a victoria miles, nil differunt. Tum in utroque est significatio ferociæ: quæ exprimitur quidem in sequentibus, sed aliis verbis; neque in eo quicquam aut insoliti est, aut vitii. Itaque, illo uno codice fretus, nihil mutem. Ern. Flor. Bud. Reg. Lall. et edd. vett. habent *recens*.

LXXVIII. Dum hæc in partibus Vitellii geruntur, digressus Narnia Vespasiani exercitus, festos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat. Caussa tam pravæ moræ, ut Mucianum opperirentur. Nec defuere, qui Antonium suspicionibus arguerent, tamquam " dolo cunctantem, post secretas Vitellii epistolas, quibus Consulatum et nubilem filiam et dotales opes, pretium proditionis, offerebat." Alii, " ficta hæc et in gratiam Muciani composita." Quidam, " omnium id Ducum consilium fuisse, ostentare potius urbi bellum, quam inferre: quando validissimæ cohortes a Vitellio descivissent, et, abscisis omnibus præsidiis, cessurus Imperio videbatur. Sed cuncta festinatione, deinde ignavia Sabini, conrupta: qui sumptis temere armis, munitissimam capitolii arcem, et ne magnis quidem exercitibus expugnabilem, adversus tris cohortes tueri nequivisset." Haud facile quis uni adsignaverit culpam, quæ omnium fuit; nam et Mucianus ambiguis epistolis victores morabatur, et Antonius præpostero obsequio, vel, dum regerit invidiam, crimen meruit: ceterique Duces, dum peractum bellum putant, finem ejus insignivere. Ne Petilius quidem Cerialis, cum mille equitibus præmissus, ut transversis itineribus per agrum Sabinum Salaria via urbem introiret, satis maturaverat: donec obsessi capitolii fama cunctos simul exciret.

LXXIX. Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra, multo jam noctis, serum auxilium venit. Illic " interfectum Sa-

*Ocriculi*] Sic e MS. Agr. edidit Ryckius, secutusque J. Gron. recte. Hoc antiquum nomen, mutatum ab librariis in *Otriculi*, quod illa ætate sic nominabatur, ut hodie. Variant in hoc nomine MSS. ap. Liv. 22, 11. ubi recte præfertur *Ocriculum*. Vid. ibi Drakenb. et quos laudat. Eadem scriptura apud Cicer. Mil. 24. in bonis libris. Græci quidem semper Ὀκρίκολα. MS. Guelf. h. l. *ariculi*, sed superscriptum *t*. Infra rursus *abscisis* cum J. Gronov. edidimus e MSS. Flor. Guelf. ed. pr. pro *abscissis* (sic et Bud.): et paullo post e Flor. et Agr. *nequivisset*: ceteri (et Bud.) *nequisset*. ERN. Bud. *Ariculi*. Ptol. 3, 1. habet Ὀκρίκωλον. Ap. Grut. p. 422. *Ocriculani*. Ejus urbis rudera complura studio et impensis Card. Pallotæ a. 1775. prodiere in lucem, publicata a Jos. Ant. Guattanio in Monum. ant. inediti. 4. in Roma 1784.

*Munitissimam*] Bud. *invictissimam*.

*Dum tegeret invidiam*] Ne unus ipse omnia velle et facere videretur, eoque cunctatus. Sed placet magis Pichenæ lectio ex scriptura Florent. *dum regerit*. Nimirum invidiam ipse in Mucianum retorquet: invidiam, inquam, ejus culpæ et consilio capitolium exustum. Cur enim moratus est, aut inhibuit? At in crimine tamen Antonius, nec parere in tanta necessitate debebat. LIPS. Nempe Flor. (et Bud.) habet *regeret*, ut Agr. ed. pr. unde Pichena fecit *regerit*, quod omnes postea secuti sunt. Ante Guelf. *postremo* vitiose pro *præpostero*: quod tamen in margine pro var. lect. notatur. ERN. Bip. conjiciunt *regereret*.

*Dum peractum*] Romanos *patratum bellum*: probe. LIPS. Si intelligitur ed. pr. ut alibi, in ea est *paratum*, non *patratum*, sed *patratum* dare operæ fortasse voluere; nam et in scriptis ea verba confunduntur: quamquam etiam *peractum* et *paratum* confundi solent, ut sæpe notatum criticis. ERN.

*Ad Saxa rubra*] Locorum, cædibus istis flagitiisque insignitorum, situm demonstrant sigillatim Cluver. Ital. ant. 2, 3. p. 526. et Noris. in Annis Syro-Maced. p. 59.

binum, conflagrasse capitolium, tremere urbem," mœsta omnia accepit: " plebem quoque et servitia pro Vitellio armari," nuntiabatur. Et Petilio Ceriali equestre prœlium adversum fuerat: namque incautum, et tamquam ad victos ruentem, Vitelliani, interjectus equiti pedes, excepere: pugnatum haud procul urbe, inter ædificia hortosque et anfractus viarum: quæ gnara Vitellianis, incomperta hostibus, metum fecerant: neque omnis eques concors, adjunctis quibusdam, qui nuper apud Narniam dediti, fortunam partium speculabantur: capitur Præfectus alæ, Tullius Flavianus: ceteri fœda fuga consternantur, non ultra Fidenas secutis victoribus.

LXXX. Eo successu studia populi aucta: vulgus urbanum arma cepit. Paucis scuta militaria, plures, raptis, quod cuique obvium, telis, " signum pugnæ" exposcunt. Agit grates Vitellius, et " ad tuendam urbem prorumpere" jubet. Mox, vocato Senatu, deliguntur legati ad exercitus, ut prætexto Reipublicæ concordiam pacemque suaderent. Varia legatorum sors fuit. Qui Petilio Ceriali occurrerant, extremum discrimen adiere, adspernante milite conditiones pacis: vulneratur Prætor, Arulenus Rusticus: auxit invidiam, super violatum legati Prætorisque nomen, propria dignatio viri: palantur comites: occiditur proximus lictor, dimovere turbam ausus: et, ni dato

*Procul urbe*] Hispanus (et Bud.) *urbem*, vere. Lips. Paullo ante ed. pr. *interjectus equis pedes.* Mox MS. (Bud. et) Guelf. *confractus viarum.* Ern.

*Tullius Flav.*] MS. Fl. *Tulius*, Agr. *Julius.* Guelf. T. at in litura. At iidem omnes (et Bud.) ed. pr. Puteol. *f. fuga consternantur. Consternuntur* errore operarum irrepsisse in Beroald. ed. puto, unde ad ed. Alc. venit, correctum ab Rhen. Sed vereor, ut verum sit, *fuga consternari:* neque uspiam hanc formam deprehendi. Immo consternatio fecit, ut fugerent. Itaque legendum puto, *in fœdam fugam consternantur.* Liv. 10, 43. *repente in fugam consternantur.* Ceterum et ibi multi scr. et edd. *consternuntur:* male. Mox *arma cœpit*, vitiose, ut alibi, ed. pr. Puteol. Ern. Cf. c. 17.

*Raptis, q. c. o. telis*] Ed. pr. *rapti.* At Nic. Heinsius malebat, *quod cuique obvium teli.* Ultima litera in *telis* potuit adhærescere e sequente verbo. Sane scio, formæ huic, *quod cuique* etc. similibusque pluralem numerum jungi solere apud nostrum: sed hanc structuram, *raptis, quod cuique obvium, telis*, similemve nuspiam reperi. Itaque proclivis sim ad probandam Heinsii conjecturam, aut legendum, *ut cuique obvium:* sed illud melius. Habuit enim haud dubie in animo locum Virgilii Æn. 7, 507. *quod cuique repertum rimanti telum ira facit.* Ern.

*Prætexto Reip.*] Sic MSS. Fl. Guelf. Bud. edd. Puteol. Rhen. Ald. Gryph. Lips. Ceteri libri *prætextu.* Illud restituit J. Gron. e Flor. Ante in ed. pr. *diriguntur legati:* quod si e MS. est, redolet ætatem, qua scriptus liber. Nam media ætate *dirigere* dictum pro *mittere.* Ern. Bud. *deliguntur.*

*Ceriali occurrerant*] Sic bene MS. Flor. Agric. ed. pr. Nam et mox, *qui ad Antonium venerant.* Recepit jam Ryckius. Vulgo *occurrerunt.* Mox ed. pr. *ad extremum* etc. MS. Guelf. *adire.* Ern. Bud. male, *occurrerent.* Sed *extr. d. adiere.*

*Vulneratur Prætor*] Haud aliunde lucem Plinio, sive Regulo potius, dederis apud Plinium Ep. 1, 5. *Rustici Aruleni periculum foverat, exultaverat morte: adeo ut librum recitaret ederetque, in quo Rusticum insectatur, atque etiam* Stoicorum simiam *appellat. Adjicit*, Vitelliana cicatrice stigmosum. *Agnoscis Reguli eloquentiam.* Hoc cicatricis Vitellianæ convicium est a vulnere, quod nunc accepit. Lips. MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. *Arulenius.* Ern.

*Occiditur proximus lictor*] *Proximus lictor* est, qui proxime ante magi-

a Duce præsidio defensi forent, sacrum etiam in exteras gentes legatorum jus, ante ipsa patriæ mœnia, civilis rabies usque in exitium temerasset. Æquioribus animis accepti sunt, qui ad Antonium venerant, non quia modestior miles, sed Duci plus auctoritatis.

LXXXI. Miscuerat se legatis Musonius Rufus, Equestris ordinis, studium philosophiæ et placita Stoicorum æmulatus: cœptabatque, permixtus manipulis, "bona pacis ac belli discrimina" disserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus tædio: nec deerant, qui propellerent proculcarentque, ni, admonitu modestissimi cujusque, et aliis minitantibus, omisisset intempestivam sapientiam. Obviæ fuere et virgines Vestales cum epistolis Vitellii, ad Antonium scriptis: "eximi supremo certamini unum diem," postulabat: "si moram interjecissent, facilius omnia conventura." Virgines cum honore dimissæ: Vitellio rescriptum, "Sabini cæde et incendio capitolii dirempta belli commercia."

LXXXII. Tentavit tamen Antonius, vocatas ad concionem

stratum ingreditur. Livius 24, 44. *Consul animadvertere proximum lictorem jussit:* ubi v. Drakenb. Ejus mentio et ap. Cicer. Verr. 5, 54. quem locum jam attulit Ryckius. Add. Lips. Elect. 1, 23. ubi de lictoribus agitur ex instituto. Mox MS. Agr. pro *ausus* habet *annixus.* Ern. Bud. *ausus.* Sequens *et* deest.

*Sacrum etiam inter exteras gentes leg. jus*] MSS. Flor. Bud. (Reg. Lall.) Agr. ed. pr. *in exteras g.* h. e. quod etiam inviolatum servamus erga exterarum gentium legatos: idque recepere Ryckius et J. Gron. Ego *inter* servavi, propterea, quod solennis in hac re sententia est scriptorum Romanorum, indignum esse, violatum a Romanis et in civibus jus, quod etiam inter exteros et barbaros populos inviolatum sit: quod Cicero transfert ad Poetas (pro Arch. 8.): *sit inter vos sanctum poetæ nomen, quod nulla unquam violavit barbaria.* Adde, quod frustra adderetur, *quod erga exteros etiam servamus.* Nam id quid habet mirum? cum per se pateat, totum *legationis jus externo comparatum*, ut Patres Rom. ipsi judicant ap. Liv. 6, 17. extr. Denique oppositio non satis constaret. Clarum autem est, opponi *inter exteras gentes*, et *ante ipsa patriæ mœnia. In* et *inter* confundi, alibi a nobis, et a multis aliis dudum monitum est. Mox *usque in exitium*, intell. legati: adeo, ut etiam legatus Imperatoris interficeretur. Ern. A codd. non recedendum. *In exteras gentes* est *ad ext. gentes leg.* Ita bene procedit oppositio *ante ipsa p. m.* Sic et Bip.

*Musonius Rufus*] Respice ad A. 14, 59.

*Disserens, armatos monere*]. Grutero hæc verba suspecta sunt, velut insititia. Rationem subdit, quod e sequentibus appareat, motos animos militum non fuisse. Nempe habebat ille in libro suo *movere*, quod reperi in MS. Guelf. et ed. Puteol. sed vitium scripturæ facile deprehendere poterat. Ceterum sufficiebat sane *cœptabat p. m. bona pacis ac belli discrimina disserere:* qua forma et alibi utitur noster: sed non propterea necessario sic scripsit, aut vulgata non a Tacito sunt. Atque etiam acumen videtur Tacitus quæsisse in verbis *armatos monere:* ad eaque haud dubie respicit mox, *intempestivam sapientiam* appellando. Ern. Bud. *monere.*

*Postulabat*] Sic MS. Flor. Agr. Guelf. quorum auctoritate id cum Ryck. et J. Gron. recepi, pro vulgato *postulabant.* Putabant librarii, ad literas referendum esse: quod fieri quidem et ipsum potest; sed MSS. sequendi. Add. ad 1, 74. Ern. Bud. *postulabant.*

*Dirempta belli commercia*] Quid clarius? Corrector tamen adventat, *diremta bellico commercia.* Lips. Intelligit Rhenanum (qui ex ingenio). Forma loquendi sumta a Virgilio, ut aliæ. Æn. 10, 532. *Belli commercia Turnus Sustulit ista prior, jam tum Pallante peremto:* i. e. spem pacis et compositionis. Locum jam notavit Salinerius. Ern. Bud. *direpta:* vitiose.

legiones mitigare, " ut, castris juxta pontem Mulvium positis, postera die urbem ingrederentur." Ratio cunctandi, ne asperatus prœlio miles, non populo, non Senatui, ne templis quidem ac delubris Deorum consuleret. Sed omnem prolationem, ut inimicam victoriæ, suspectabant. Simul fulgentia per colles vexilla, quamquam inbellis populus sequeretur, speciem hostilis exercitus fecerant. Tripartito agmine, pars, ut adstiterat, Flaminia via, pars juxta ripam Tiberis incessit; tertium agmen per Salariam Collinæ portæ propinquabat. Plebs invectis equitibus fusa: miles Vitellianus trinis et ipse præsidiis occurrit. Prœlia ante urbem multa et varia: sed Flavianis, consilio Ducum præstantibus, sæpius prospera. Ii tantum conflictati sunt, qui in partem sinistram urbis, ad Sallustianos hortos, per angusta et lubrica viarum flexerant. Superstantes maceriis hortorum Vitelliani, ad serum usque diem, saxis pilisque subeuntes arcebant: donec ab equitibus, qui porta Collina inruperant, circumvenirentur. Concurrere et in campo Martio infestæ acies. Pro Flavianis Fortuna et parta totiens victoria; Vitelliani desperatione sola ruebant: et, quamquam pulsi, rursus in urbe congregabantur.

LXXXIII. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat: quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut, si quam in domum perfugerant, " erui jugularique" expostulantes, parte majore prædæ potiebantur: nam, milite ad san-

*Omnem prolationem*] Hæc est lectio MSS. Flor. teste J. Gronovio, Bodl. (Bud. Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. quam cum eodem Gronovio recepi. Estque hoc verbum elegans et usitatissimum Ciceroni: cum *prolatationis*, quod in omnibus ceteris edd. (etiam Rhen.) est ante J. Gron. e nullo alio scriptore antiquo exemplum proferatur. Nam hujus unius loci fide nititur ea vox in lexicis omnibus, etiam nupero Thesauro Gesneriano. Paullo post edidi *plebs* e Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. vett. Pichena edidit *plebes*. Illud restituit Ryckius sequente exemplum J. Gron. ERN.

*Ut adstiterat*] Bud. *ut adsistcret*.

*Trinis præsidiis*] Josephus B. J. 4, 42 (11). τριχῆ. Est ergo tribus agminibus, castris. De eo verbo supra dictum. ERN. Ad A. 2, 67.

*Ii tantum conflictati sunt*] In deteriorem partem simpliciter *conflictari* dicitur pro *afflictari*, *vexari*, ut supra monuimus, A. 6, 48. Pro ii MS. Guelf. *hi*: ed. pr. (et c. Bud.) *in*: MS. Agr. *nonnunquam conflictati sunt. Qui.* ERN.

*Ad serum usque diem*] Ita Fl. Agr. (Bud.) Guelf. edd. omnes ante Lipsium, qui edidit *dici*, sive MSS. scutus, sive Taciti consuetudinem. Vetus statim Pichena restituit. ERN.

*Hos modo, rursus illos*] *Modo* abest a MS. Flor. (nisi quod in margine alia manu additum est) et ed. pr. Sic supra c. 22. *his, rursus illis, exitiabile.* Atque id, ut exquisitius et Tacito aptius, cum J. Gronovio secutus sum, et *modo* delevi. ERN. Abest etiam a Bud. et Reg. Lall. Sed Rhen. servat.

*Abditos in tabernis*] *Abditos* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. idque bene restituit Lipsius. Ceteræ edd. inde a Beroaldina *abditi*. Mox *expostulantes* iidem MSS. et edd. omnes ante Rhen. qui (e Bud.) edidit *postulantes*. Illud restituit Pichena, quod hoc sensu subinde occurrit. Ap. Cicer. Rosc. C. 17. opponuntur *expostulare* et *impetrare*. *Erui* est protrahi e latebris, in eoque proprie et exquisite dicitur, ut mox c. 85. Adde Cicer. ep. 5, 10. et Constitution. Adrian. ap. Reines. Inscr. p. 505, *Scrutari et protrahere abditos* noster dixit H. 4, 1. ERN.

*Milite ad sanguinem et cædes obverso*]

guinem et cædes obverso, spolia in vulgus cedebant. Sæva ac deformis urbe tota facies: alibi prœlia et vulnera; alibi balineæ popinæque: simul cruor et strues corporum: juxta scorta et scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum; quicquid in acerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eandem civitatem et furere crederes et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in urbe, bis L. Sulla, semel Cinna victoribus: nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissæ: velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exsultabant, fruebantur; nulla partium cura, malis publicis læti.

LXXXIV. Plurimum molis in oppugnatione castrorum fuit, quæ acerrimus quisque, ut novissimam spem, retinebant. Eo intentius victores, præcipuo veterum cohortium studio, cuncta validissimarum urbium excidiis reperta simul admovent, testudinem, tormenta, aggeres, facesque: "quidquid tot prœliis laboris ac periculi hausissent, opere illo consummari," clamitantes. "Urbem Senatui ac Populo Rom. templa Diis reddita: proprium esse militis decus in castris: illam patriam, illos Penates: ni statim recipiantur, noctem in armis agendam." Contra Vitelliani, quamquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore fœdare, suprema victis solatia amplectebantur.

MS. Agr. ed. pr. *ad cædes et sangu.* Præterea ed. pr. *adverso:* male. *Obversus in aliquid*, pro *conversus*, pluribus locis dictum Livio 6, 7. 24. etc. ERN. Bud. vulg. tenet.

*Scortis similes*] Ita scr. et edd. pr. Rhen. etc. Medii, Puteol. Beroald. Alc. *scortis miles.* Non male, nam quid *scortis similes?* int. adjacebant. ERN. Bud. clare *et scortis similes:* recte, intelliguntur pathici. Bip. legunt *in scortis*, quod mihi displicet.

*Exultabant, nulla partium cura*] Vox interjecta in priscis libris, *exultabant. Fruebantur nulla p. c.* quam aut meo exemplo ejiciendum est, aut flectendum scribendumque *furebant.* LIPS. Hæc nota omissa in ultimis edd. Lipsianæ recensionis, nescio quare: cum sententiam non mutarit Lipsius. Itaque nec in Gronovianis edd. comparet. Sumsi e tertia a. 1585. Ceterum veterem lectionem mox restituit Pichena, mutata tamen interpunctione. Sane vox illa loco hoc nimis lenis est: quippe fruendi significatio jam est in verbis *ne minimo quidem temporis voluptates intermissæ*; ut magis Lipsiana correctio probanda videatur. Omitti malebat Acidalius; quod mihi quoque optimum videtur. Neque est prætermittendum, in ed. pr. esse *gaudium accideret:* in MS. Guelf. autem sec. manum ex *accedere*, quod ante erat, fecisse *accidere.* Male utrumque. Ceterum interpunctionem mutavi hactenus, ut verba, *id quoque gaudium accederet*, παρένθεσιν facerem, ut placuit jam Acidalio. Nam alias nil frigidius verbis istis. ERN. Lipsii nota extat et in ed. 8. Aur. All. 16, 19. Parenthesin Ernestinam sustuli, quæ sensum turbat. Nec video, quid hic hæreant interpretes; planus mihi sensus videtur. Fruebantur eo gaudio, voluptatibus istis, quasi festorum dierum suetæ lætitiæ accederent. Bip. legunt *accedere: et.* Acid. deleri volebat *fruebantur*, et pro *accederet* legi suadebat *excederet.* Hillerus Racem. 11. 12. conjicit *ferebantur;* Trillerus *feriabantur.*

*In oppugnatione castrorum*] Prætoriana intelligi, vix attinet monere. Mox pro *spem* exhibent *speciem* Guelf. a manu pr. sed correctum a m. s. edd. Put. Ber. Alc. male et solenni confusione. ERN. *Spem* restituit Rhen. e Bud.

*Numero fatoque*] Ed. pr. (et cod. Bud.) *factoque:* frequenti in libris antiquis confusione. ERN.

*Arasque cruore fœdare*] Faernus corrigebat *fœdatas* (vel *fœdas*): Muretus *fœdas.* Sed non credo, domos et aras

Multi semianimes, super turres et propugnacula mœnium exspiravere. Convulsis portis, reliquus globus obtulit se victoribus: et cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.

LXXXV. Vitellius, capta urbe, per aversam palatii partem, Aventinum, in domum uxoris, sellula defertur: ut, si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, et quæ natura pavoris est, cum omnia metuenti præsentia maxime displicerent, in palatium regreditur, vastum desertumque: dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum ejus declinantibus. Terret solitudo et tacentes loci: tentat clausa: inhorrescit vacuis; fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab Julio Placido, Tribuno cohortis, protrahitur. Vinctæ pone tergum manus: laniata veste, fœdum spectaculum, ducebatur, multis increpantibus, nullo inlacrimante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibriis eximeret, an

cruore fœdas, esse suprema victis solatia. Nam quod ap. Virgil. Æn. 2, 517. Hecuba aliæque mulieres *aram et Penates amplexæ* sedent, id faciunt, ut se religione adversus vim tueantur, non ut solatia novissima sint. Cruore fœdant domos arasque, invidiam facere victoribus, et incestare castra cupientes. *Suprema solatia* sunt res cuique carissimæ, conjuges, liberi, quos velut morituri, amplectuntur. Pro *complectebantur* MS. Flor. *amplectebantur*, quod recepit J. Gron. Ovid. Trist. 1, 3. 67. *dum licet, amplectar*. Contra Liv. 40, 4. sic Theoxena moritura: *virum comitem mortis complexa:* ubi cod. Lond. sec. *amplexa*. Igitur ob unum librum nil mutem. Eadem varietas 4, 11. Ed. pr. *contemplabantur*. ERN. Bud. *complectebantur*. Parum interest; repono tamen Flor. lectionem et cum Bip. non ad amplexus conjugum et liberorum, sed ad ista vindictæ facinora, *inquietare vict. morari pacem* etc. referendum arbitror *amplectebantur*. Atque hoc ipsum sic quoque Bahrdtio placuisse video.

*Contrariis vulneribus, versi in hostem*] *Contraria vulnera* proprie sunt, quæ mutua alias dicuntur. Liv. 2, 6. de Bruto et Tarquinio: *contrario ictu per parmum uterque transfixus, duabus hærentes hastis, moribundi ex equis lapsi sunt*. Sed verba, *versi in hostem*, mihi de glossa suspecta sunt. Nam quid ex iis intelligitur, quod non in verbis, contrariis vulneribus cadere, insit? aut in præcedentibus, *obtulit se victoribus*? ERN.

*Per aversam palatii partem*] Roman. *portam*, quod præfero: aut potius, utraque voce spreta, *per aversa palatii*. Sæpe ita noster loquitur: itemque Velleius 2, 63. *Antonius per aversa castrorum, proruto vallo, receptus est*. LIPS. Defendit vulgatum Pichena e c. 70. *ut per secretam ædium partem occulte abiret*, et Vossius ad Vell. l. c. e Sallustio, qui *in abditam partem ædium secessit* Catil. c. 20. etiam Gronovius pater ad Livium, si recte memini. Ed. pr. habet *portam:* quod æque ac *partem* probari posset, si pluribus libris firmaretur, nam *partem* subinde e *porta* fecere librarii. V. Drakenb. ad Liv. 4, 46. et e *parte* contra *portam:* ibid. ad 24, 47. Post MS. Bud. *Aventini*, quod male probat Vertranius. Intellige *in:* quæ solet in partibus urbium omitti. Sueton. Tib. 15. *e Carinis ac Pompeiana domo Esquilias transmigravit*. V. J. F. Gron. ad Liv. 2, 28. Add. ibid. Drakenb. quem hic locus Taciti non effugit. Denique pro *vitavisset* ed. pr. corrupte *visitasset*. ERN. Bud. *partem*. Cf. et H. 2, 51.

*Terret solitudo et tacentes loci*] Virgilius arcanum hunc naturæ nostræ motum pariter effert Æn. 2, 755. *Horror ubique animos atque ipsa silentia terrent*. LIPS.

*Pudenda latebra*] Suet. c. 16. *cellulam janitoris* dicit, *religato pro foribus cane*. Dio 65, 20. cellam canum vocat.

*Ludibriis eximeret*] MS. Guelf. edd. ante Rhen. *ludibrio*. Is de conjectura dedit *ludibriis*, quod in MS. Bud. erat

Tribunum appetierit, in incerto fuit: aurem Tribuni amputavit ac statim confossus est. Vitellium, infestis mucronibus coactum, modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque Rostra, aut Galbæ occisi locum contueri; postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum Tribuno insultanti, "se tamen Imperatorem ejus fuisse," respondit. Ac deinde ingestis vulneribus concidit. Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem.

LXXXVI. Patria illi Luceria: septimum et quinquagesimum ætatis annum explebat. Consulatum, Sacerdotia, nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipsum non noverant. Studia exercitus, raro cuiquam, bonis artibus quæsita, perinde adfuere, quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas: quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias, dum magnitudine munerum, non constantia morum, contineri putat, meruit magis, quam ha-

*ludibus.* Credo *ludibriis* esse et in Flor. quia nihil notatum diversi a vulgato reperi. Mox in Guelf. *incerto* a m. pr. omisso *in*: hinc man. sec. correxit *incertum.* ERN. Bud. *in incerto.*

*Rostra aut Galb.*] *Aut* MSS. Flor. Agr. Bud. edd. omnes ante Rhenanum. Is edidit *et* tacite, ac forte non data opera: quod omnes secuti ante Ryckium. Mox *Una vox* Guelf. et edd. ante Rhen. ERN. Qui duce Bud. mutavit.

*Pater illi L. Vitellius*] Sic edd. inde a Puteolano omnes, sequente *nam.* Consentit MS. Guelf. At non profecto de nihilo est, quod MSS. Flor. Bud. *Patrem illi Luceriam*: ed. pr. *P. i. Lucerium*: non sequente *nam.* Ex eo videtur effictum, quod alii libri habent, et vulgo editur. Rhenanus conjicit legendum *Pater illi L. Nucerin.* vel *Nuceria*: nam hæc patria Vitelliorum. Gruterus: *Patria illi Nuceria.* E *nam* autem Pichena faciebat *jam.* Jac. Gron. nihil vidisse Rhenanum et Gruterum præfatus, per ambages nihil dicit, nisi Tacitum dicere voluisse, qualem pater Imp. Vitellii se in honoribus gesserit, idque ample eum hic et liquide facere. Quod refellere nihil attinet, adeo clare consuetudine Taciti, et verbis ipsis refellitur. Ego Gruterum verum vidisse puto. *Nam* natum est ex ultima præcedentis verbi syllaba. ERN. Bip. ingeniose magis quam vere: *Peracta ille luce jam septimum.* Propius vero Gruterus, cui adplaudit Lallem. Codices laudati levi emendatione sinceram lectionem exhibent: *Patria illi Luceria.* Scilicet Suetonius c. 1. *tempore Samnitici belli, præsidio in Apuliam misso, quosdam ex Vitelliis subcdisse Nuceriæ* refert: ubi certe legendum *Luceriæ*; hanc enim Daunis Apuliæ adsignant Strabo 6. p. 284. et Plin. 3, 10 (16). contra *Nuceriam* Campaniæ hic c. 5 (9). ille 5. p. 249. aliamque hic Umbriæ p. 227. Utramque bene distinguit etiam Livius 9, 2. et 41. Ceterum Dio 65, 22. quinquaginta quatuor annos vixisse Vitellium tradit.

*Ei detulere*] Bud. *eidem.* Sic Put. Alc. sed Rhen. *ei.*

*Non constantia morum*] Egregium dogma: etsi quis hæc notet? millena sunt. Sed in *constantia* aliquis hæreat; et an non melius, *convenientia*, aut tale? Res ita habet, consensum et similitudinem morum ac virtutum veram amicitiam parere: sed nec virtus sine *constantia* est: ergo nec mutemus. LIPS. Ceterum verissime Acidalius corrigit *contineri. Continere* esset conservare: at id requireret *instituit, tentat*, non *putat.* Cic. Offic. 2, 24. *nulla res vehementius Remp. continet, quam fides*: pro Marcell. 9. *vita corpore et spiritu continetur. Constantia morum* est æquabilitas et consensus morum cum placabilitate, gravitate, ut philosophis constantia tribuitur, cum omnia placita consentiunt

buit. Reipublicæ haud dubie intererat, Vitellium vinci: sed inputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent. Præcipiti in occasum die, ob pavorem Magistratuum Senatorumque, qui dilapsi ex urbe, aut per domos clientium semet occultabant, vocari Senatus non potuit. Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad Duces partium progressum et *Cæsarem* consalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos Penates deduxit.

inter se. ERN. Bud. *continere*: sed rectius omnino *contineri*, quod et Bip. recepere.

*Reip. haud dub. int.*] *Reip.* est in MSS. Flor. Vatic. Guelf. edd. pr. Put. ceterisque ante Rhen. Is delevit auctore MS. Bud. restituit Lipsius. ERN.

*Imputare perfidiam*] Quasi Vespasiani caussa fidem Vitellio fregissent. Non inquam, possent adscribere hoc Vespasiano: et proprio verbo, *imputare*: neque aliud ea vi reperies. LIPS. Ut ap. Phædrum I, 22. *Noli imputare vanum beneficium mihi.*

*Præcipiti in occasum die*] E Vatic. nam alii *præcipitanti*. LIPS. Nempe Rhen. (e Bud.) cum sequacibus. *Præcipiti* etiam MSS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) Guelf. edd. ante Rhen. nisi quod quidam *præcipite*, ut ed. pr. ERN.

# C. CORNELII TACITI

# HISTORIARUM

## LIBER QUARTUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Interfecto Vitellio, milites Flaviani in urbe sæviunt. 2. Domitianus, nomen sedemque Cæsaris nactus, adulteriis filium Principis agit. L. Vitellius interficitur. 3. Campania composita, Vespasiano Senatus Consulatum cum Tito filio, Prætoram Domitiano et Consulare imperium, decernit. 4. Muciani, Antonii, ceterorum honores. Restituendi capitolii consilium. Libertati consulit Helvidius Priscus, cujus 5. vita et mores, 6—8. et cum Eprio Marcello acre jurgium de legatis ad Principem mittendis. 9. De impensis publicis dissensio. 10. Musonius Rufus in P. Celerem invehitur. 11. Mucianus, urbem ingressus, cuncta in se trahit, Calp. Galerianum cædi curat, Asiaticum libertum servili supplicio tollit.

12. Germanicæ cladis fama. Ejus belli caussa in Batavis, 13. Duce Claudio Civile. 14—16. Is Batavos, Canninefates, Frisios, excitat, statim dolo, mox aperta vi, Romanos superat. 17. Victoriæ hujus fama motæ Germaniæ auxilia offerunt Civili, qui et Galliarum societatem adfectat. 18. Hordeonii Flacci segnitia. Victi Romani in Vetera castra fugiunt. 19. Batavorum et Canninefatium cohortes, jussu Vitellii in urbem pergentes, corruptæ, Civili junguntur, et 20. Bonnensi prœlio Romanorum aciem perfringunt. 21. Civilis, consilii ambiguus, suos in verba Vespasiani adigit, hostilia velans; 22. 23. mox Vetera obsidet, frustra. 24. 25. Hordeonius Flaccus, seditione conflictatus, summam rerum Voculæ permittit. 26. 27. Huic additus Herennius Gallus, re male gesta, verberatur. Nova seditio. 28—30. Civilis, inmensis auctibus ab universa Germania elatus, obsidium Veterum urget, Ubios vexat. Varia certamina.

31. Nunciato Cremonensi prœlio, auxilia Gallorum a Vitellio desciscunt. Suos quoque Hordeonius in Vespasiani verba adigit hæsitantes. 32. Ad Civilem missus Montanus, ut a bello absistere jubeat, ab ipso tentatur. 33. 34. Cum Vocula confligit Civilis vario eventu, non sine utriusque Ducis culpa. 35. Vocula male utitur victoria. Vetera obsidione liberat. 36. Civilis Geldubam capit. Romani milites Hordeonium necant. Vocula per tenebras evadit. 37. Mox a Civile superati Voculam denuo sequuntur, quocum obsidione Magontiacum liberant. Treveri, nunc fidi, mox rebelles.

38. Vespasianus cum Tito Consulatum init. Falsi pavores in urbe et a L. Pisone. 39. Domitianus Prætor. Vis penes Mucianum. Is Primi Antonii potentiam infringit. 40. Restituti Galbæ

honores. Bareæ Sorani Manibus, P. Celere damnato, satisfactum. 41. Alii quoque delatores castigati. 42. In his Aquilium Regulum, a Messalla fratre defensum, Montanus percellit. 43. 44. Idem in Marcellum tentat Helvidius, intercedente Cæsare, abolendam priorum temporum memoriam, rato. Itaque in paucos modo sævitum. 45. Senenses ob pulsatum Senatorem puniti. Antonius Flamma lege repetundarum damnatus. 46. Militaris seditio a Muciano repressa. 47. Abrogati Consulatus, quos Vitellius dederat. Funus Censorium Flavio Sabino ductum. 48—50. L. Pisonis, Africæ Proconsulis, cædes. Servi ejus egregium mendacium. Œensium Leptitanorumque discordiæ compositæ. Fusi Garamantes. 51. Parthorum auxilia non recipit Vespasianus. 52. Hunc iratum Domitiano Titus mitigat. 53. Cura restituendi capitolii in L. Vestinum conlata.

54. Audita mors Vitellii duplicaverat bellum per Gallias Germaniasque. Cum incendio capitolii finis Imperio adesse creditus. 55—58. Interfecto Hordeonio, conspirant cum Civile et Classico Julius Tutor et Julius Sabinus: nutant reliquæ Galliæ. Romanæ quoque legiones tentantur, frustra renitente Vocula, quo 59. 60. cæso, vinctisque Herennio et Numisio Legatis, istas pro Imperio Galliarum sacramento adigit Civilis, Tutor Agrippinenses, Classicus obsessos ad Vetera. 61. Civilis, voti compos, crinem deposuit. Tum et major auctoritas Veledæ. 62. Captarum legionum mœstum silensque agmen. Ala Picentina necem Voculæ vindicat. 63—65. Colonia Agrippinensis, Transrhenanis gentibus invisa, in summum discrimen adducta, cum Civile societatem init, Veledæ Numen donis placat. 66. Civilis Betasios, Tungros, Nervios in fidem accipit. 67. Fusi Lingones a Sequanis; J. Sabinus victus latet. 68. Mucianus cum Domitiano ad bellum accingitur. 69. Remi Gallias in fide Romana conservant, exceptis Treveris atque Lingonibus. 70. Sed nec iis nec reliquis civitatibus, nec ipsis Ducibus satis consilii ac concordiæ. Tutor ad Bingium victus. 71. Petilius Cerialis Magontiacum venit, spes Romanorum erigit, Valentinum Ducem magna strage adfectum capit. 72. Treveros intrat. Militibus, exitium urbis poscentibus, resistit. Victas legiones in castra recipit. 73. 74. Treveros et Lingonas officii admonet. 75. Civilis et Classicus ad Cerialem litteras mittunt, ad quas ille nihil. 76. Civilis cunctandum, Tutor et Classicus statim pugnandum, statuunt. 77. 78. Atrox prœlium, quo Cerialis, initio victus, mox victor castra hostium exscindit. 79. Agrippinenses a Germanis desciscunt. 80. Mucianus Vitellii filium interficit. Antonius Primus, ad Vespasianum profectus, non pro spe excipitur. 81. Multis miraculis cœlestis in Vespasianum favor ostensus. Ipse oculorum tabe notum, alium manu ægrum, sanitati restituit. 82. Confirmatur omine in templo Serapidis, cujus 83. 84. origo Sinopensis, templum Alexandriæ magnificum, nomen. 85. Valentinus supplicio adfectus. 86. Domitianus, frustra tentato Ceriale, an sibi exercitum imperiumque traditurus foret, litterarum studium et amorem carminum simulat. Gesta hæc partim eodem anno, partim

IMP. VESPASIANO ITERUM, TITO FIL. COSS.

I. Interfecto Vitellio, bellum magis desierat, quam pax cœperat. Armati per urbem victores inplacabili odio victos consectabantur: plenæ cædibus viæ, cruenta fora templaque, passim trucidatis, ut quemque fors obtulerat. Ac mox, augescente licentia, scrutari ac protrahere abditos: si quem procerum habitu et juventa conspexerant, obtruncare, nullo militum aut populi discrimine. Quæ sævitia, recentibus odiis, sanguine explebatur, dein verterat in avaritiam: nihil usquam secretum aut clausum sinebant, "Vitellianos occultari" simulantes. Initium id perfringendarum domuum; vel, si resisteretur, caussa cædis, nec deerat egentissimus quisque ex plebe: et pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur. Ubique lamenta, conclamationes et forma captæ urbis: adeo ut Othoniani Vitellianique militis invidiosa antea petulantia desideraretur. Duces partium, accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ inpares: quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent.

II. Nomen sedemque Cæsaris Domitianus acceperat: nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium Principis agebat. Præfectura Prætorii penes Arrium Varum: summa potentiæ in Primo Antonio: is pecuniam familiamque e Principis domo, quasi Cremonensem prædam, rapere: ceteri modestia vel ignobilitate, ut in bello obscuri, ita præmiorum ex-

*Ut quemque fors obtulerat*] *Fors* edidimus, ut supra 14, 5. Latinitate jubente et perpetua bonorum scriptorum consuetudine: et sic placebat magno Bentleio ad Horat. S. I, 6, 54. Vulg. *sors*. Ern. Sic et Bud. Ernestium sequuntur Brot. et Lall.

*Procerum habitu et juventa*] Duas notas Germanici militis habebant, proceritatem corporis itemque juventam. Nam Germani plerumque proceri; et milites, a flore et robore ævi colligebantur. Lips. (Sic c. 14. de Batavis: *et est plerisque procera pueritia.*) Sed male *prospexerant* edebatur ante vulgo: quod sane sic non dicitur: et MSS. Flor. Reg. (Bud.) Harl. Agr. Oxon. Guelf. ed. pr. consentiunt in *conspexerant*. Id itaque cum J. Gronovio edidi. Ern.

*Nullo militum a. populi discrimine*] Cum milites tantum, Germani in primis, viderentur ac dicerentur peti, etiam alii togati et innoxii promiscue interficiebantur. Ern.

*Verterat in avar.*] Groslot. quid, si *vertebat?*

*Fortuna captæ urbis*] Non displicet Vertranii divinatio, *forma captæ urbis*. Lips. Frustra repugnant Salinerius et Gruterus, cujus rationem ne intelligo quidem. *Fortuna captæ urbis* ante declarata: sequebatur, ut luctus inde ortus describeretur, quæ est species et forma captæ urbis, non fortuna. Habuit Tacitus in animo locum Livii, velut 1, 29. *non fuit tumultus ille, nec pavor, qualis captarum urbium esse solet. Fortunam* et *formam* in MSS. sæpe confundi, supra jam monuimus. Similiter A. 15, 63. confusa *formido* et *fortitudo*. Ern. Cf. H. 3, 28. 83. et Ann. 1, 41. Sic et Ovid. Trist. 1, 3, 26. *Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.*

*Nomen sedemque Cæsaris* etc.] Qui attente hæc leget, animadvertet, aliquid esse, quod offendat. Constaret oratio, si esset *agens*, pro *agebat*; aut *sed*, quod est post *intentus*, ante *nondum*. Sed libri scr. et edd. in vulgato consentiunt. Fortasse consulto a Tacito forma orationis mutata est. Cf. ad c. 4. Ern. Hoc *Cæsaris* nomine nullum imperium in Domitianum esse collatum, sed jurisdictionem tantum, ex c. seq. patet, ubi *Prætura* illi et *Cons. imperium* decretum narratur. Cf. Cuperi præf. ad Lact. de mort. persec. et epist. H. Norisii subjuncta.

pertes. Civitas pavida et servitio parata, " occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus, exstinguique reliqua belli," postulabat. Præmissi Ariciam equites: agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minus ira, quam metu abjecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per urbem incessit: nemo supplici vultu, sed tristes et truces et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi inmobiles: paucos erumpere ausos, circumjecti pressere: ceteri in custodiam conditi. Nihil quisquam locutus indignum, et, quamquam inter adversa, salva virtutis fama. Dein L. Vitellius interficitur, par vitiis fratris, in Principatu ejus vigilantior; nec perinde prosperis socius, quam adversis abstractus.

III. Iisdem diebus Lucilius Bassus, cum expedito equite, ad componendam Campaniam mittitur: discordibus municipiorum animis, magis inter semet, quam contumacia adversus Principem. Viso milite quies: et minoribus coloniis inpunitas. Capuæ legio tertia hiemandi caussa locatur, et domus inlustres adflictæ; cum contra Tarracinenses nulla ope juvarentur. Tanto proclivius est injuriæ, quam beneficio, vicem exsolvere; quia gratia oneri, ultio in quæstu, habetur. Solatio fuit servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinensium diximus, patibulo adfixus, in iisdem annulis, quos acceptos a Vitellio gestabat. At Romæ Senatus cuncta Prin-

*Servitio parata, occupari*] Rhen. (e Bud.) edidit *occupare*. Vetus restituit Lipsius. Sed interpunctio ab Rhenano inducta, recte habet. Superiores valde hic turbant. Mox MS. Agr. *postulabant*. ERN.

*Ariciam equites*] Liber unus, *Arriani equites*: quid? an Arrii Vari turmas intelligit? Non opinor: et magis est, ut vera sit vulgata. LIPS. Intelligi opinor ed. pr. in qua est *Artiani*, vitiose pro *Arriani*. Sequentia satis indicant, hic nomen loci requiri. ERN. Bud. vitiose *Ariciani*.

*Circumjecti pressere*] Dictum esse pro oppressere, interfecere, supra A. 14, 5. monuimus, et sequentia facile arguunt. Itaque Faernus etiam corrigebat *oppressere*. Etiam ap. Cic. Verr. 4, 6. in libris confunduntur *opprcssere* et *pressere*. Sed ibi *oppressere* verius est. Mox idem *par vitiis fratri*, pro *fratris*, idque probabat Ursinus. ERN. Brot. mallet *oppressere* et *fratri*. Bud. *fratris*.

*Adversis abstractus*] Adversa fratris fortuna et exitio et ipse adflictus, ad perniciemque vocatus est, ut Ann. 4, 13. ubi eadem loquendi forma. Faernus, non adsecutus, corrigebat *in gemonias tractus*, probante Ursino, et viro docto in marg. Gryph. ERN. Pro *in gemonias* legitur in ed. 8. Frf. 1607. et fol. Par. 1608. *in Germanias*, turpi vitio.

*Acceptos a Vitellio*] Rhenanus (duce Bud.) delevit *a*. restituit Lipsius. ERN.

*Senatus cuncta Principibus solita*] Putant intelligi SC. cujus fragmentum post alios ad h. l. edidit Ryckius: quod mihi non videtur. In eo SC. est lex et formula imperii ac potestatis, quam Imperatores habuere, quo de alio die actum: v. ad c. 6. hic intelliguntur honores, qui novis Principibus decerni soliti. Ii qui fuerint, docebit et sententiam nostram confirmabit locus similis de initiis Othonis H. 1, 47. *Accurrunt Patres: decernitur Othoni Tribunitia potestas, et nomen Augusti et omnes Principum honores*. Add. 2, 55. Infra *Illyrico*, quod edidit Rhen. (e Bud.) pro *Illyricos*, etiam MS. Guelf. ed. pr. ERN. Vide dicta ad c. 6.

cipibus solita Vespasiano decernit, lætus et spei certus: quippe sumpta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico, postquam Ægyptum, Judæam Syriamque et omnes provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum orbe, cepisse finem videbantur. Addidere alacritatem Vespasiani litteræ, tamquam manente bello scriptæ: ea, prima specie, forma: ceterum ut Princeps loquebatur, civilia de se et Reipublicæ egregia: nec Senatus obsequium deerat. Ipsi "Consulatus cum Tito filio, Prætura Domitiano et Consulare imperium" decernuntur.

IV. Miserat et Mucianus epistolas ad Senatum, quæ materiam sermonibus præbuere: "si privatus esset, cur publice loqueretur? potuisse eadem, paucos post dies, loco sententiæ dici:" ipsa quoque insectatio in Vitellium sera et sine libertate.

*Ea prima specie forma*] sc. literarum: hæc erat forma epistolæ primum et obiter legenti: sed, si accuratius considerabatur, reperiebatur loqui, ut jam confecto bello, et Principatum jam adeptus. Omnes libri in hac lectione consentiunt, præter MS. Agr. qui habet *formidata*: quod placet Ryckio, non mihi, qui sensum commodum hujus lectionis nullum video. Quid enim formidabile in eo, si ita scribit, tanquam nondum finito bello, nondum certo, uter victor: in quo non poterat non modeste scribere, nihil sibi arrogans. Ceterum, etsi non dicam cum Ryckio, in vulgata nullum sensum esse, quem satis ante declaratum puto; tamen eam non admodum elegantem credo, et verba illa supervacua; quæ, si abessent, nemo desideraret. Neque enim aliud his verbis inest, quam quod in antecedentibus est: *ut manente bello scriptæ*. Unde mihi suspicio nata est, ea verba esse a glossatore, qui præcedentia sic interpretatus sit: prima specie eam formam literarum fuisse, tamquam adhuc durare bellum crederet, re vera ut Principem, velut jam parto Principatu, scripsisse. Tanto facilius recipi glossa poterat, quod cum ea melius coire sequentia videbantur, quam cum *ut manente bello scriptæ*. ERN.

*Civilia de se et Rep. egregia*] Sic vett. edd. omnes et MS. Guelf. Sed Muretus emendabat, *c. d. se, de Rep. e.* quod placebat et Groslotio, recepitque Pichena, secutis posteris editoribus omnibus. At J. Gronovius putat scripturam Flor. *et R. P.* legendam *et Reipublicæ*: quod non spernendum. ERN. Immo unice verum. Sic et Bud. *et r. p. egregia*. Recepere Brot. et Lall.

*Consulare imperium*] Intelligit *potestatem Consularem*, ut Suetonius loquitur Domit. c. 1. *Cæsar consalutatus, honorem Prætoræ urbanæ, cum potestate Consulari suscepit* etc. LIPS. Add. Græv. ad Sueton. l. c. Pagius ad a. C. 69. qui intelligi putant potestatem Proconsularem, qua posset mitti in provincias quascunque. Dio 54, 10. p. 527. non adversatur, sed tamen latius patuisse ostendit, dicens, imperii Cons. fuisse, ut posset quis semper et ubique duodecim lictoribus uti, et semper sella curuli sedere inter Consules. ERN. Egregie hunc locum illustrat nummus, in quo hinc IMP. CÆSAR. VESPASIANUS. AUG. caput laureatum; illinc T. CÆS. AUG. F. COS. D. CÆSAR. AUG. F. PR. Capita adversa Titi et Domitiani. De quo Eckhel Doctr. NN. vet. t. 6. p. 368.

*Cur publice loqueretur*] Idem fere est, quod ap. Cic. Ep. 15, 1 et 9. et Livium 1, 45. 5, 50. *publice scribere*: sed tamen aliquid amplius. Nam illud quoque, qui non Principes essent, fecere, de rebus a se gestis scribentes ad Senatum, a quo missi essent. Sed Mucianus, non ut Magistratus provinciales solebant, de rebus a se gestis scripserat, sed alia ad Remp. pertinentia literis complexus erat, quæ pro sententia coram dicere cuivis Senatori licebat, scribere ad Senatum, non nisi Principes solebant. ERN.

*Sera et sine libertate*] Sera, quis jam afflicti aut nulli erant: non libera, quia sine periculo mortuis vel invalidis insultabatur. LIPS. *Sine libertate* capio: sed

Id vero erga Rempublicam superbum, erga Principem contumeliosum, quod, "in manu sua fuisse Imperium donatumque Vespasiano," jactabat. Ceterum invidia in occulto; adulatio in aperto erant: multo cum honore verborum "Muciano triumphalia" de bello civili data: sed "in Sarmatas expeditio" fingebatur. Adduntur "Primo Antonio Consularia, Cornelio Fusco, et Arrio Varo, Prætoria insignia." Mox Deos respexere: "restitui" placuit "capitolium:" eaque omnia Valerius Asiaticus, Consul designatus, censuit: ceteri vultu manuque: pauci, quibus conspicua dignitas, aut ingenium adulatione exercitum, compositis orationibus adsentiebantur. Ubi ad Helvidium Priscum, Prætorem designatum, ventum, prompsit sententiam,

ea insectatio jam non indicabat, liberum esse Mucianum, h. e. audere, quæ recta essent, quæque sentiret, etiam cum periculo dicere: cum jam nullum a Vitellio periculum esset. Ante Pichena bene edidit *Vitellium* e MS. Flor. cui consentit ed. pr. Ceteri libri, quos vidi ante Pich. *Vitellianos*. Ern. Sic et Bud.

*De bello civili data*] MS. Flor. *civilium*, ut et ed. pr. quod corruptum videtur Pichenæ. J. Gronovius putat corrigi posse *civium*. *Bellum civium* etiam c. 72. Tacito reddidimus. Sed mavult: *de bello civili non data:* quod nullo modo probari potest. Nam, sive capias, de bello civili non solita dari, quod ita est, eoque haud dubie respexit Tacitus: deerit verbum, ad quod referantur *triumphalia*. Sin sic, ut Gron. haud dubie voluit, data triumph. non de bello civili, sed de Sarmatis, structura verborum est durissima et a more Latinorum abhorrens. Sensus est: re vera de bello civili data sunt, sed sub prætextu belli Sarmatici feliciter gesti, ut sc. sine reprehensione darentur. Ern. J. Gron. conjectura nititur lectione cod. Flor. in quo est *civilium*.

*In Sarmatas expeditio*] Quæ fuerit, non dixit; neque debuit: nam apparet, exiguum aliquid fuisse. Atque hoc factum opinari licet ipso civili isto bello, cum Mucianus lento itinere in Thraciam et Mœsiam venit. Lips. Per Sarmatas intelligi Dacos credo cum Colero, Gronovio, Ryckio, e 3, 46. Sarmatarum, Getarum, Dacorum nomina sæpissime confunduntur apud veteres, propter viciniam. *Fingebatur* intelligo prætendebatur, caussa tribuendorum triumphalium ferebatur. Ern. Junguntur etiam Sarmatæ Dacique c. 54.

*Mox Deos respexere*] Sic MSS. Flor. Bud. Guelf. et sic primus edidit Rhenanus cum seqq. omnibus. At ed. prima ceteræque ante Rhen. MS. Agr. *respicere restituique*. Ern. De Puteol. ed. id non valet. Is dedit: *respexere. Restitui.*

*Ceteri, vultu manuque*] Ratio assentiendi in Senatu, voce aut signo. Signo dupliciter, pedibus aut manu. Pedum in discessione usus. Manus etiam in sessione aut statione, cum ea exporrecta significarent talem sententiam se approbare. Vopiscus in Aurel. 20. *Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in sententiam cuntibus, plerisque verbo consentientibus conditum est SC.* Seneca ep. 8. *Non videor tibi plus prodesse, quam si in Senatu candidato vocem et manum commodarem?* Isidorus hanc notam ad exercitum quoque transfert 1, 25. *Mos est militaris, ut, quoties consentiat exercitus, quia voce non potest, manu promittat.* Lips.

*Prompsit sententiam, falsa*] Aut mihi mens, aut huic loco aliquid desit. Quid enim hic, in quo Helvidius offenderit? Sed nec ista ipsa sententiola integra: scripseritque Tacitus, *ut honorificam in bonum Principem, ita adulationis expertem*. Certe membrum tale aliquod requiro. Rodolphus enim non explet, qui legit: *ut honorif. in bon. Principem, ita falsa aberant:* qui sententiam sequentem debilitat et enervat. Lips. Lectionem MS. Agr. probant Grotius et Freinsh. in textum recepit Ryckius. Lipsii supplementum probari non potest: existeret enim ταυτολογία: quippe *falsa aberant*, nihil aliud est, quam expers adulationis erat sententia. Nam *falsa* sunt ficta, simulata, ut sæpe apud alios, quæ maxime sunt in adulatione, et de adulationibus dicuntur, ut adulatores ipsi *falsi* appellantur A. 1, 7. 3, 3. etc. Add. Cort. ad Sall. Cat. 10. Ego non dubitavi

ut honorificam in bonum Principem, ita falsa aberant, et studiis Senatus adtollebatur. Isque præcipuus illi dies, magnæ offensæ initium et magnæ gloriæ fuit.

V. Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri, sæpius memorandi, ut vitam studiaque ejus, et quali fortuna sit usus, paucis repetam. Helvidius Priscus, Tarracinæ municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset, ingenium inlustre altioribus studiis juvenis admodum dedit: non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret,

Ryckii exemplum sequi. Corruptelæ caussa, quod non putabant librarii, verba *falsa aberant*, coire posse cum *honorificam in bonum Principem*; quod et alibi turbas dedit. V. ad c. 3. Sed Tacitus et alibi hac forma utitur, ut adjectivum per talem periphrasin exprimat. Nec ignoro, *ita* ab optimis scriptoribus interdum post *ut*, *sicut*, omitti et intelligi. V. intt. ad Liv. 34, 9. sed id in præsenti forma nimio plus durum foret. Nam in omnibus, quæ vidi, exemplis consequens simile est antecedenti, genere verborum. Itaque si, pro *falsa erant*, esset *adulationis expertem*, nihil addendum censerem. *Adtollebatur* MSS. Flor. Agr. ed. pr. quod recte recepit Pichena. Alii (in his Bud.) *attollebantur*. Ern. Loci nebulas dispulisse se credit Colerus legendo *honorificam, ut in b. Pr.* transposita particula. Bip. sic: *(falsa aberant) item st. S. att.* Equidem non video, qui τὸ *item* τῷ *ut* respondeat. In Ryckii lectione adquiesco.

*Iterum*] Cf. H. 2, 91.

*Italiæ septima, Tarracinæ municipio*] Locus nec bonus, nec firmus, de firmissimo viro. Nam libris, (etiam Bud.) abest vox *septima*: quam nos tamen inseruimus, sententiæ utcumque fulciendæ, admonitionibus Vertranii et Ferretti. Scimus enim, Italiam totam in XI regiones divisam ab Augusto: itaque cum regionis hic mentio, σύλογον, aiunt, numerum ejus a Cornelio expressum. Sed jure ambigo: primum, quia non Tacito, non aliis historicis usurpatum, ut in oppidi mentione regionem Italiæ adjungant. Et, ut id in loco ignotiore fiat, quid opus in Tarracina, municipio tam vicino urbi, tam noto? Denique libri etiam in illo ipso verbo vacillant. Nam Vaticano est, *Tarentum municipio*: Farnes. *Tarentinæ*: priscis editionibus, *Tarentino*. Mirum vero, si libri omnes in oppido toties jam ante sine errore ullo nominato, hic demum offendant. At pro, *regione Italiæ*, subit opinari, *origine Italica*. Non exterum scilicet fuisse, ut tunc in Senatu plurimi, non solum multi. Lips. Rationes Lipsii contra vulgatum bene habent. Nec spernam ejus correctionem, si corruptela loci nata est a vitiosa scriptura. Sed valde vereor, ne quis in margine adscripserit regionem Italiæ, cujus esset Tarracinense municipium et quidem sic, ut Freinshemio placebat legendum esse, *regione I. Italiæ*: nam regioni primæ adscriptum omne Latium, in quo Tarracina: idque in textum migraverit, et quidem alieno loco: nam esse debebat post verba *Tarracinæ municipio*, e consuetudine aliorum scriptorum. Sed urbibus tam notis non solent tale quid addere historici elegantiores, nec aliud exemplum in Tacito reperi. Probat sententiam nostram Broterius. Ceterum ed. pr. habet mox *Clunio*. Ern. Jam Mercerus sensit, glossema esse. Tollo cum Bip. Dein Bud. *Cluino*.

*Ingenium illustre*] Cicero Cælium appellat *adolescentem illustri ingenio, industria, gratia*. Valerius M. 9, 12, 7. de C. Licinio Calvo: *illustris ingenii orator*. Noster A. 5, 8. *Pomponius multa morum elegantia et ingenio illustri*. Nihil aliud de hoc quam 6, 47. de Vibio Marso dicit: *illustris studiis erat*. *Illustre* igitur *ingenium* est eloquentiæ speciminibus celebratum. Lib. hoc 4, 42. *ignotum adhuc ingenium et nullis defensionibus expertum*. A. 16, 29. *neque famosi carminis, quia protulerit ingenium*; i. specimen doctrinæ atque eloquentiæ ediderit. Apuleius in Apolog. post med. de accusationibus nobilium reorum: *qui mos incipientibus adolescentulis ad illustrandum ingenii florem apud antiquos concessus*. Nimirum, postquam eloquentia docteque dicendi ac scribendi arte inclaruisset, ad Philosophiam eum se vult contulisse. Gron.

*Non ut plerique*] Disce juventus, et vide verum finem, quem sapientiæ stu-

sed quo firmior adversus fortuita Rempublicam capesseret: doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantum, quæ turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant. Quæstorius adhuc, a Pæto Thrasea gener delectus, e moribus soceri nihil æque ac libertatem hausit: civis, Senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. Erant, quibus adpetentior famæ videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur.

VI. Ruina soceri in exsilium pulsus, ut, Galbæ Principatu, rediit, Marcellum Eprium, delatorem Thraseæ, adcusare adgreditur. Ea ultio, incertum, major an justior, Senatum in studia diduxerat. Nam, si caderet Marcellus, agmen reorum sternebatur. Primo minax certamen, et egregiis utriusque orationibus testatum. Mox, dubia voluntate Galbæ, multis

diis proponas. LIPS. Ceterum alterum *ut*, quia non est in MSS. Flor. Agr. ed. pr. delevit Ryckius, addito: *et solet subintelligi*: quod utinam exemplis idoneis probasset. Sed falsum est, in tali structura omitti et intelligi posse, ut recte monuit J. Gronovius, qui hic aliquid vitii latere putat. Mox MS. Agr. *ceteraque, quæ extra animum.* ERN. Nec cod. Bud. alterum *ut* habet. Idem *doctores sapientum.*

*Quæstorius adhuc*] Quæstor autem fuit sub Nerone et Achaiam administravit: quod scholiastes in Sat. 5, 36. Juvenalis prodidit. At Prætor demum sub Vespasiano, diserte ita scribente Suetonio cap. 15. Nominatur tamen Tacito A. 12, 49. *Helvidius Priscus legatus legionis*, a. u. 805. quem, ex more ejus ævi, Prætorium Legatum fuisse probabile est: quis ergo iste? non noster, quia tunc sub Claudio nec Quæstor. An pater ejus? non, quia Tacitus hic *Cluvium* illi patrem dat dumtaxat *Primipilarem.* Suspicor avunculum fuisse, et ab eo in nomen et familiam adoptatum. Nam unde alioqui *Helvidius* e *Cluvio* patre? Notandum hoc sane est ad viri magni notitiam. Item illud, quod aliam etiam uxorem ante habuerit, et ex ea *Helvidium juniorem*, quem Domitianus interfecit: Plinio Ep. 3, 11. et Tacito Agr. 45. laudatum item, et patre dignum virum. Vide, quæ noto in fine Agricolæ. LIPS.

*Gener delectus*] Cf. A. 16, 28, 35.

*Civis, Senator*] Magnæ laudes; et quæ jure nos rapiant in admirationem viri. Cui Tacitum ipsum perfamiliarem fuisse, mihi liquet. Non minora de eo elogia sparsim reperias in Diss. Epicteti apud Arrianum 1, 2. 4, 1. et Plinius etiam in Epistolis celebrat 7, 19. 9, 13. At tam illustre fidus (heu, quid speremus?) in tenebris pæne jacebat, absque una hac Taciti face. LIPS.

*Quando etiam sapientibus*] Verissime: nec mutandum. Omnes adfectus facilius a sapiente exuuntur, quam hæc cupido: et in magnis viris (Val. Flacc. 1, 76.) —*tu sola animum mentemque peruris Gloria.* Plato ad hanc mentem aptissime ap. Athen. 11. p. 250. Τὴν κενοδοξίαν, ὡς τελευταῖον χιτῶνα, ἡ ψυχὴ πίφυκεν ἀποτίθεσθαι. Et noster in Agr. 9. *Fama, cui sæpe etiam boni indulgent.* LIPS. Cf. et Simplic. ad Epict. c. 48. ubi melius φιλοδοξίας loco δόξης.

*In exilium pulsus*] A. 16, 33. Mox Bud. *deduxerat*, male.

*Galbæ principatu rediit*] Unde? Apollonia. Illic enim in exsilio egit: quod nos docet scholiastes in Sat. Juvenalis 5, 36. *Helvidius Priscus, post damnationem soceri Pæti Thraseæ, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit.* LIPS.

*Agmen reorum*] *Rei* omnes litigatores dicti, adcusati et delatores. V. Cic. de Orat. 2, 79. Cf. Marc. Don. ad h. l. Taciti.

*Et egregiis utriusque orationibus testatum*] Nostri libri. Visum Rhenano (e Bud.) *certatum.* LIPS. Sane *testatum* vix convenit verbo *certamen.* Dicitur enim de rebus in animo latentibus, ut amore, odio, cum actionibus, verbis patefiunt. Itaque *certatum* non displicet, quod inde a Rhen. usque ad Lipsium editum est. Muretus etiam malebat *utrin-*

Senatorum deprecantibus, omisit Priscus; variis, ut sunt hominum ingenia, sermonibus, moderationem laudantium, aut constantiam requirentium. Ceterum, eo Senatus die, quo "de Imperio Vespasiani" censebant, placuerat "mitti ad Principem legatos." Hinc inter Helvidium et Eprium acre jurgium. Priscus, "eligi nominatim a Magistratibus juratis," Marcellus "urnam" postulabat: quæ Consulis designati sententia fuerat.

VII. Sed Marcelli studium proprius rubor excitabat, ne, aliis electis, posthabitus crederetur. Paullatimque per altercationem ad continuas et infestas orationes provecti sunt, quærente Helvidio, "quid ita Marcellus judicium Magistratuum pavesceret? esse illi pecuniam et eloquentiam, quis multos anteiret, ni memoria flagitiorum urgeretur. Sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem Senatus reperta, ut in cujusque vitam famamque penetrarent: pertinere ad utilitatem Reipublicæ, pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi, quos innocentissimos Senatus habeat, qui honestis sermonibus aures Imperatoris inbuant. Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio; quorum accusatores, etiamsi puniri non oporteat, ostentari non debere:

*que* pro *utriusque*, probante Pichena. Utrumque rectum est. Mox *omittere reum*, supra jam illustravimus. ERN. Cod. Flor. et Agr. *utriusq. orat.* sic et edd. ante Rhen. qui e Bud. ordinem invertit.

*Eo Senatus die, quo de Imperio Vespasiani censebant*] Hoc factum credo alio die et conventu Senatus, quam de quo supra dixit c. 3. Nullo modo intelligi potest, quomodo omnia, quæ supra commemorata sunt, et hanc concertationem Helvidii et Marcelli, idem dies capere potuerit. Ceterum hic sermonem esse arbitror de SC. cujus fragmentum superest, quodque nos ad calcem voluminis exprimi curavimus, cum quibusdam animadversionibus. Legatos mitti placuit, qui SC. perferrent, ut alias quoque factum Republ. libera. ERN. Mihi, ut Bipontinis, secus videtur. Gesta unius diei huc usque procurrunt. Id narrationis series docet. Regiæ legis formula, cujus fragmentum in Basilica Lateranensi servatur, prioribus jam Principibus concessa repetit. Parum ergo ea res temporis absumsit. Tum properati aliis quoque honores. Sententia Helvidii Prisci, ut inter Patres concertationi, sic narrandis vitæ ejus momentis, ansam dedit Cornelio, quibus expositis redit ad persequendam litem ipsam. Denique, si alio die de lege Regia esset actum, clarius id indicaturum fuisse auctorem puto.

*Posthabitus*] Bud. inepte *prehabitus*.

*Per altercationem*] Verbum proprium de disputationibus adversantium sibi Senatorum, de quo tirones videant dicta in Clav. Cic. *Altercationibus* opponuntur *continuæ orationes*. Et verbum *infestas* indicat, in altercationibus nihil inimici necessario inesse. ERN.

*Urgeretur*] Ita Flor. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. et seqq. omnes. Lipsius tacite edidit *urgeret*, pro quo statim Pichena vetus restituit. Utrumque eodem redit. Mox ed. pr. *extimationem*. V. ad A. 15, 21. ubi quæ diximus, ex h. l. confirmantur. Nam et hic, quæ nunc *existimatio* est, mox *judicium* vocatur. Post *in cujusque* MS. Flor. ed. pr. Pich. sqq. Alii (et Bud.) *unius cujusque*. Porro Flor. *vita famamque*. Guelf. ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. *vitam, famamque*. Put. Ber. Alc. *vitam, famam*. ERN.

*Senecione*] Male: fateor fuisse Herennium Senecionem insignem virum, sed quem Domitianus occiderit, non Nero. Sequor igitur libros scriptos, qui hic, *Sentio*: etsi virum ignoro. LIPS. *Sentio* Flor. (Bud.) ed. pr. MS. Guelf. Agr. *Senecio*, e qua lectione natum videtur *Senecione*. Mox negatio *non*, quam se addidisse (e Bud.) ait Rhenanus auto

hoc Senatus judicio velut admoneri Principem, quos probet, quos reformidet: nullum majus boni Imperii instrumentum, quam bonos amicos. Esse satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium inpulerit. Frueretur præmiis et impunitate; Vespasianum melioribus relinqueret."

VIII. Marcellus, "non suam sententiam inpugnari, sed Consulem designatum censuisse," dicebat, "secundum vetera exempla, quæ sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret. Nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent; aut Principis honor in cujusquam contumeliam verteretur: sufficere omnes obsequio: id magis vitandum, ne pervicacia quorundam inritaretur animus, novo Principatu suspensus, et vultus quoque ac sermones omnium circumspectans. Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, præsentia sequi: bonos Imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. Non magis sua oratione Thraseam, quam judicio Senatus, adflictum. Sævitiam Neronis per hujusmodi imagines inlusisse, nec minus sibi anxiam talem amicitiam, quam aliis exilium. Denique constantia, fortitudine, Catonibus et Brutis æquaretur Helvidius: se unum esse ex illo

*oporteat*, in ed. Alciati exciderat errore operarum. Nam in aliis ante eam edd. omnibus est. ERN. Brot. conjectat, leg. *Seneca*, ut superadditum in cod. Vatic. 1958.

*Quam bonos amicos. Esse satis Marcello*] MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhen. *Quam bonos amicos esse. Satis Marcello* quam interpunctionem recepit Ryckius. ERN. Item Brot. Lall. Contra nostram Rhen. e Bud. dedit. Recepere Bip.

*Secundum vetera exempla*] Hoc virum doctum valde anxium habuit; qui negabat de more eo se legisse. Ego ita accipio: non quasi semper legati forte olim missi, sed sæpe: et in eam rem exempla hæc reperio. Cicero ad Att. 1, 19. *Senatus decrevit, ut legati cum auctoritate mitterentur.* Addit post pauca: *Hoc non queo præterire, cum de Consularibus mea prima sors exisset, una voce Senatus frequens retinendum me in urbe censuit.* E quibus, sortitionem illic fuisse, clare vides. Dio 59, 23. Πρίσθεις τε ἐπ' αὐτοῖς ἄλλους κλήρῳ, καὶ τὸν Κλαύδιον αἱρετὸν, ἔπεμψαν. Plura exempla avide quæsivi: sed, ut verum fatear, clamavi Hylam. LIPS. Ceterum edd. pr. Beroald. Alc. addunt *sed*. Contra MS. Guelf. ed. Puteol. *sed vetera*: ut tamen in margine MS. sit alia manu *secundum*. *Sed* delevit Rhenanus (duce Bud.). Si *censuisse* abesset, probarem lectionem MS. Guelf. Nunc alterum *sed* locum non habet. Ceterum oratio est, ut alibi, durior: quæ molliretur, si esset: *sed Cons. designatum: eum censuisse* etc. Verum non necessarium puto, aliquid mutari. ERN. Repetito *sed* subesse vim judicabat Gruterus.

*Id magis vitandum*] *Vitandum* non erat in MS. Bud. Guelf. Sed in hoc est scriptum alia manu ad marginem: nec id verbum intelligi omissum potest. Verum excidit, ut alia in his aliisque Taciti MSS. Mox *quorundam* Flor. ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. Reliqui edd. et Guelf. *cujusquam*, quod e præcedentibus temere repetitum. Denique pro *se meminisse* Rhenanus (ex ingenio) malebat *meminisset*. ERN.

*Per hujusmodi imagines illusisse*] Bene ita libri. Hoc enim dicit Eprius: non se magis auctorem interficiendi claros viros Neroni fuisse, quam Senatum universum qui eos damnaverit. Sed Neronem videlicet hoc quasi velum prætendisse sceleribus, ut, quæ sponte jussurus erat, ea per accusatores et Senatum exerceret; atque ita imagine quadam justitiæ hominibus vere illuderet. Vulgo est *illuxisse*. LIPS. Nempe in edd. inde a Puteol. Nam in ed. pr. est *inlusisse*, ut in MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ERN.

Senatu, qui simul servierit. Suadere etiam Prisco, ne supra Principem scanderet: ne Vespasianum, senem triumphalem, juvenum liberorum patrem, præceptis coerceret. Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis, placere." Hæc, magnis utrimque contentionibus jactata, diversis studiis accipiebantur. Vicit pars, quæ sortiri legatos malebat, etiam mediis Patrum adnitentibus, retinere morem. Et splendidissimus quisque eodem inclinabat, metu invidiæ, si ipsi eligerentur.

IX. Secutum aliud certamen. Prætores ærarii (nam tum a Prætoribus tractabatur ærarium) "publicam paupertatem" questi, "modum inpensis" postulaverant. Eam curam Consul designatus, ob magnitudinem oneris et remedii difficultatem, Principi reservabat. Helvidius, "arbitrio Senatus agendum," censuit. Cum perrogarent sententias Consules, Vulcatius Tertullinus, Tribunus plebis, intercessit, "ne quid super tanta re, Principe absente, statueretur." Censuerat Helvidius, "ut capitolium publice restitueretur, adjuvaret Vespasianus." Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit. Fuere qui et meminissent.

X. Tum invectus est Musonius Rufus in "Publium Celerem, a quo Baream Soranum falso testimonio circumventum," arguebat. Ea cognitione renovari odia adcusationum videbantur: sed vilis et nocens reus protegi non poterat. Quippe Sorani sancta memoria: Celer professus sapientiam, dein testis in Baream, proditor corruptorque amici, et cujus se

*Senem triumph.*] Vid. Suet. Vesp. 4.

*Contentionibus jactata*] Cod. Agr. *concertationibus jact.*

*Prætores ærarii*] De his dictum ad A. 1, 75. Add. ad 13, 28. Sequentia suspecta esse possunt. Quorsum enim hoc additur? cum non additum sit A. 1, 75. cum res nota esset ex ipsius traditione 13, 28. quæ et ad Trajanum usque duravisset. Pro *impensis* MS. Guelf. vitiose *impensius.* Ern.

*Perrogarent sententias*] Sic ed. pr. Rhen. (e Bud.) seqq. Ceteri edd. etiam MS. Guelf. *prorogarent:* male. Sueton. Aug. 35. *sententias de majore negotio, non more atque ordine, sed, prout libuisset, perrogabat:* ubi similiter variatur. Vid. ibi Oudend. Ern.

*Fuere, qui et meminissent*] Qui et apud Vespasianum nempe deferrent: quare? quia hæc sententia dignitatem Principis minuebat, Senatus Populique augebat: a quo restitui capitolium, dumtaxat adjuvante Vespasiano, volebat. Lips.

*Protegi non poterat*] Cod. Agr. *eripi n. p.* De P. Egnatio Celere v. A. 16, 32.

*Proditor corruptorque amicitiæ, cujus*] Non damno: revera enim philosophus magister amicitiæ, uti et aliarum virtutum est. Nec tamen vetus conjectura mea mihi eviluit, *corruptorque amici et cujus se magistrum ferebat.* Vix enim est, ut Tacitus omiserit, quod valde ad rem et ad culpam facit, fuisse hunc Celerem Bareæ præceptorem. Juvenalis docet 3, 116. *Stoicus occidit Baream, delator amicum, Discipulumque senex.* Interpres Juvenalis hanc quoque rem affirmat, in versum 1, 33.—*magni delator amici. Alii dicunt, Philosophum Egnatium Celerem, Bareæ Sorani magistrum, qui ipsum apud Neronem detulit et damnavit: et ipse postea sub Vespasiano, hoc ipsum Musonio Rufo accusante, damnatus est.* Lips. Recepit Lipsii correctionem Pichena, quem omnes deinceps secuti sunt. Ed. pr. *cujus se ingratum ferebat.* Ceterum etiam dure dicitur *corruptor amici*, et alio, quam Latinitas fert, sensu. Nam *corruptores* dicuntur, qui quocunque modo animum moresque aliorum depravant, ut male sentire et agere incipiant; quod

magistrum ferebat. Proximus dies caussæ destinatur. Nec tam Musonius aut Publius, quam Priscus et Marcellus ceterique, motis ad ultionem animis, exspectabantur.

XI. Tali rerum statu, cum discordia inter patres, ira apud victos, nulla in victoribus auctoritas, non leges, non Princeps in civitate essent, Mucianus, urbem ingressus, cuncta simul in se traxit: fracta Primi Antonii Varique Arrii potentia, male dissimulata in eos Muciani iracundia, quamvis vultu tegeretur. Sed civitas, rimandis offensis sagax, verterat se transtuleratque. Ille unus ambiri, coli: nec deerat ipse: stipatus armatis, domos hortosque permutans, adparatu, incessu, excubiis, vim Principis amplecti, nomen remittere. Plurimum terroris intulit cædes Calpurnii Galeriani. Is fuit filius C. Pisonis, nihil ausus: sed nomen insigne, et decora ipsi juventa, rumore vulgi celebrabantur: erantque in civitate adhuc turbida, et novis sermonibus læta, qui Principatus inanem ei famam circumdarent. Jussu Muciani custodia militari cinctus, ne in ipsa urbe conspectior mors foret, ad quadragesimum ab urbe lapidem, via Appia, fuso per venas san-

ab h. l. alienissimum. Delator potius amici fuit Celer. Hoc sensit Heinsius unus, quem sciam; qui propterea legendum censebat *correptor*. ep. ad Græv. t. 4. Coll. Burm. p. 162. idque probabat Græv ius ib. p. 170. Verbum *corripere* de accusatoribus frequens est hoc sensu. Sed *correptor* nondum sic reperi. Verbum tamen ipsum usitatum fuit illa ætate, obvium aliquoties apud Senecam (de ira 2, 10. 3, 37.) est. Ern. Bud. *pr. c. amicitie ejus se m. f.* Sic se dedisse notat Rhen. sed in textu est vulgatum, quod et Brot. servat, *amicitiæ, cujus*. Contra Lall. et Bip. Lipsii lectionem recepere. Quin in voce *correptor* verum viderit Heinsius, nullus dubito. Quum enim *corripere* nostro sit *adcusare* (v. index), quidni *correptor*, adcusator? Itaque istam emendationem meam facio. In *corruptore* saltem sensus hic nullus. Si cui hoc minus adrideat, servet, hortor, vulgatum. Ibi *corruptor amicitiæ* erit ejus violator.

*Motis ad ultionem animis*] Corruptissimus antea locus, quem restituimus ab ingenio: cum libris (etiam Bud.) esset, *motis adulationibus animis*: aut, ut Vatic. *motis adulationi*. Sententia est: Non tam minuti illi et plebeii delatores exspectabantur, aut expetebantur, quam, erectis semel cupidine ulciscendi animis, illi Senatorii et illustres Priscus et Marcellus. Lips.

*Inter patres*] Ita Mercerus, et recte; non *partes*. Senatum nempe intelligit discordem, ut ante ostendit. Lips. Recepit Pichena. Recte. Et clare *Patres* exhibet MS. Guelf. in quo alias loco non uno *partes* pro *patres* reperi: quippe sæpe et facile hæc verba confusa sunt. Mox idem liber cum MS. Flor. (et Bud.) habet *princeps*, ut inde edidit Pichena, pro vulg. *principes*. Ern.

*Varique Arrii potentia*] Ita MSS. Flor. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. At MS. Bud. ed. pr. *Ariique*. In ed. Rhenani haud dubie casu excidit *Arrii*: nam exhibet tantum *Varique*: cum in lemmate notæ, in qua tradit, MS. Bud. tantum habere *Ariique*, sit *Varique Arrii*. Forte *Vari* deleri et tantum *Arriique* edi voluit, et operæ aberrarunt. Et tamen id vitium operarum diligenter propagatum est, usque ad Pichenam. Ern. In Bud. *Varique* deest.

*Unus ambiri, coli*] De hac flagranti ambitione Muciani locus incerti scriptoris apud Suidam, in voce. Ἀγήλειεν, ait; Ὅτι Μουκιανὸς ὁ Ῥωμαῖος τιμᾶσθαι ὑφ' ἁπάντων ὑπὲρ πάντας ἤθελε, καὶ ἤχθετο, εἰ καὶ ὁστισοῦν οὐχ ὅτι ὑβρίσειεν αὐτὸν, ἀλλ' ὅτι μὴ οὐ μεγάλως ἀγήλειεν. Lips. Sunt verba Dionis, ut cognitum est, editis Excerptis de vitiis et virtutib. a Valesio, ubi reperies p. 702. ut observavit Kusterus. Mox MS. Fl. Agr. ed. pr. *amplecti*. Vid. ad 3, 84. Vulgo, *compl.* Ern. Sic et Bud.

*Ad quadr. ab urbe lap.*] Ibi villa

guine, exstinguitur. Julius Priscus, Prætoriarum, sub Vitellio, cohortium Præfectus, se ipse interfecit, pudore magis, quam necessitate. Alphenus Varus ignaviæ infamiæque suæ superfuit. Asiaticus enim (is libertus) malam potentiam servili supplicio expiavit.

XII. Iisdem diebus crebrescentem cladis Germanicæ famam, nequaquam mœsta civitas excipiebat: "cæsos exercitus, capta legionum hiberna, descivisse Gallias," non ut mala loquebantur. Id bellum quibus caussis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, altius expediam. Batavi, donec trans Rhenum agebant, pars Cattorum: seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ, vacua cultoribus, simulque insulam, nunc Bataviam, occupavere,

erat et monumentum Calpurniorum ubi hodieque reperiuntur lapides, ad gentis ejus libertos spectantes, ut bene notat ex Corradini Latio vet. t. 2. p. 202. Broterius.

*Se ipse interfecit*] Ita e MSS. Flor. Oxon. bene editum a Ryckio. Idem fuit in Guelf. a m. pr. correctum a sec. in *ipsum*. Quo exemplo discitur, alia loca, ubi hæc pronomina in eodem casu, extra oppositionem, occurrunt, suspecta merito esse debere, ut infra c. 70. ERN. Bud. *se ipsum*.

*Asiaticus enim libertus*] Ita edidi ex ed. princ. Ceteræ omnes, ut MS. Guelf. (Bud.) *Asiaticus* (*enim is libertus*) inepte, ut dudum judicavere viri docti. *Enim* et *nam* serviunt transitioni, centiesque sic occurrunt ap. Ciceronem et alios. MS. Agr. *etiam*: quod cum *enim* confundi constat. Si esset (*etenim is libertus*) ferri posset. Nam *etenim* in parenthesibus usitatum Liv. 3, 24. *at illi* (*etenim extremum anni jam erat*) etc. et sic idem sæpe. Sed malui lectionem veteris libri, quam conjecturam, sequi. Forte tamen *liberti* verbum est spurium et non a Tacito, sed e nota marginis, *is enim libertus*, in textum venit. ERN. Boxh. interpungi sic jubebat: *Asiaticus enim* (*is libertus*) *m. p.* Sed sic jam Puteol. et Alc. et Lipsius in primis editionibus, bono sensu. Recepere Bip. quos sequor, notantque *enim* pro *autem* positum, ut apud Cæs. B. G. 5, 7. et B. C. 2, 32. Addo Plauti Mostell. 5, 2, 12. *Non enim ibis*. Brot. conjectabat *Asiaticus autem*.

*Legionum hiberna*] *Castra* addunt Rhen. (e Bud.) et seqq. omnes usque ad Pichenam: male, et contra MSS. ERN.

*Id bellum*] De quo Josephus ἀλωσ. 7, 4 (23). Mox Bud. *quantum*.

*Donec trans Rhenum agebant*] *Batti* tum dicti, sive *Catti* promiscuo nomine, habitarant ad Adranam flumen, ubi hodieque nominis documentum in *Battenberg*, *Battenfeld*, *Battenhausen*. Vid. Altingii Not. Bat. t. 1. p. 15. Cf. Poeta Saxo ad a. 778. in Leibnitii SS. RR. Brunsv. t. 1. p. 128. Tempus migrationis incertum. Diu ante Cæsaris ævum contigisse videtur; is enim, ubi de iis agit B. G. 4, 10. nil adspergit, unde nuperi adventus suspicio.

*Insulam inter vada*] Valde turbant libri. Quidam *insulam vocatam sitam*: alii *insulam vacasitam*: Budensis *insulam Juvata sitam*. Et certe, inter vada, aut vadosa loca, proprie sita non est hæc nobilis insula: quippe inter Rhenum Mosamque, alta et profunda plane flumina: sed vadorum scilicet voce paullo laxius et latius Tacitus usus pro aquis. Quomodo Catullus pro mari 64, 6. *vada salsa cita decurrere puppi*: Virgilius, Ovidius, aliique. Etsi revera vada et brevia multa olim (ut opinor) in illis fluminibus, cum aggeres nondum et certæ ripæ coercerent; ideoque late diffundebantur. An alicui placeat, *insulam Vahali assitam*? LIPS. Vulgata lectio primum edita est a Puteolano, quam et clare exhibet MS. Guelf. ut non dubitandum sit, τὸ *inter* esse e MSS. Ryckius id quomodo intelligat, apud ipsum vide. MS. Flor. *juvata sit an.* ed. pr. *vocata sit an.* In lectione Florentina quid lateat, se propediem daturum promisit J. Gronovius: nescio an, aut ubi, dederit. Colerus corrigebat, *insulam Batavam*, sive *Bataviam*, ut diserte vocant Dio 55, 24. p. 565. et Zosimus 3, 6. ERN. Alting. l. c. vulgatum explicat ex H. 5, 23. ubi *superfusus amnis palustrem humilemque insulam in fa-*

quam mare Oceanus a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit: nec opibus, societate validiorum, adtriti, viros tantum armaque Imperio ministrant: diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, transmissis illuc cohortibus, quas vetere instituto nobilissimi popularium regebant. Erat et domi delectus eques, præcipuo nandi studio, arma equosque retinens, integris turmis Rhenum perrumpere.

XIII. Julius Paullus et Claudius Civilis, regia stirpe,

*ciem stagni opplesse* fertur, quod ante aggeres structos frequenter fieri debuit. Id potissimum de Canninefatum, Frisiabonum Frisiorumque minorum regione valere Ryckius putat, quæ demum Wilhelmi R. R. tempore sit Oceani incertis exemta altioribus aggeribus. Ipse Ryckius Coleri conjecturam probat, sed malit *Bataviam*. Bipontini male negant, τοῦ *inter* ullum esse vestigium in codd. quippe quod in Guelf. extat, et ex notis literarum exsculpunt *Batavam a se dictam*. Mihi videtur legendum *nunc Bataviam*, et sic refingo. In codd. olim *nunc* ita pingebatur *nc*, unde intelligitur, qui ex *nunc bataviam* ortum *juvata sitam* et similia monstra, vel *inter vada sitam*. Heins. volebat *in Vahali sitam*, quod cod. Spinæ habebat *vata sitam*. Dotteville præfert Lipsii *Vahali assitam*, quia nomen *Batavia* videatur Tacito ignotum fuisse.

*Mare Occanum*] Sic libri edd. omnes (et Bud.). At MS. Reg. et Harl. a m. sec. *Occanus*, quod recepit Broterius. Eum imitatus sum: quia in neutra forma, aut adjective, nuspiam occurrit. *Mare Oceanus* dicitur ut *Rhenus amnis*. ERN.

*Societate validiorum attriti*] Sententia est: quamquam Romanis socii et fœderati Batavi, quæ societas apud potentiores plerumque in servitutem transit, tamen non ita eis factum: libertatem tenuere: nec tributa iis imposita, aut servitii aliæ notæ. Vaticanus liber, *societateve aliorum adstricti*: quod minus placet. LIPS. Sic etiam ed. pr. *Societateve* etiam MS. Agr. Deinde MS. Guelf. *atteriti*, quæ scriptura et aliis in libris antiquis observata: de eaque jam ad Annales dictum. De re vid. infra c. 17. ERN. Vertranius volebat *a Romanis*. Reg. Lall. *nec opibus Romanis societateve valentiorum adstricti*. Bud. vulg. habet *nec op. Rom. societate validiorum attriti*, in quo equidem cum Colero τὸ *Romanis* insititium esse puto et expungo, sensum enim turbat. *Validiores* vel *valentiores* esse Romanos, res ipsa docet. Suffixum *ve* cum seq. *aliorum* ex voce *validiorum* est ortum. Bip. locum ita constituunt: *nec operibus Romanis societateve alienorum attriti*.

*Aucta per Britanniam gloria*] *Aucta*, quod se addidisse (e Bud.) ait Rhenanus, jam ed. pr. exhibet. Ceteræ non habent. Exciderat et in MS. Guelf. sed additum est in margine, alia, ut videtur, manu. Mox MSS. Flor. (Bud.) Guelf. *erant*: quod mihi tamen h. l. durum videtur: nec ausim textui inferre. Post MS. Reg. et ed. pr. *præcipuus n. st.* non recte: ars nandi laudatur, non gratia aut dignitas præcipua. Item durius est *perrumpere*, pro quo MS. Reg. (Bud.) et ed. pr. *perrupere*. In illo int. *suetus, doctus*, ut vidit Broterius. ERN. Ita jam Pich. et Colerus. In Bud. bene *precipuo*.

*Arma equosque retinens*] Rom. cod. *arma quoque retinens*: quod haud spreverim: uti non tam ipsi tranatasse, quam equis tramisisse intelligantur. Certe ambiguum mihi, Batavorumne hæc ars et opera fuerit, ita ut ipsi, nantes, equos armaque tenuerint; an potius equi ipsi docti sic et facti. E Tacito aut priscis scriptoribus litem hanc haud facile decidas. Noster in Agric. c. 18. viris ipsis tribuere iterum videtur: (de Batavis enim illa capio:) *lectissimos auxiliarium, quibus nota vada, et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, repente immisit*. Xiphilinus in Hadriano, ambigue 69, 9. Τὸ ἱππικὸν τῶν καλουμένων Βατάβων μετὰ τῶν ὅπλων διενήξαντο. Hadrianus de Sorano Batavo: *Hadriano, potui qui, judice, vasta profundi Æquora Danubii cunctis tranare sub armis*. LIPS. Bud. *arma quosque*.

*Claudius Civilis*] Hist. 1, 59. vocatur *Julius Civilis*, aliisque (Plut. Ἐρωτ. p. 770. Frontin. Strat. 4, 3, 14.) Græcis et Latinis, ut monet Savilius, qui Paul-

multo ceteros anteibant. Paullum Fonteius Capito, falso rebellionis crimine, interfecit. Injectæ Civili catenæ, missusque ad Neronem et a Galba absolutus, sub Vitellio rursus discrimen adiit, flagitante supplicium ejus exercitu. Inde caussæ irarum, spesque ex malis nostris. Sed Civilis, ultra quam barbaris solitum, ingenio sollers, et "Sertorium se," aut "Hannibalem" ferens, simili oris dehonestamento, ne ut hosti obviam iretur, si a Populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium prætendit: missis sane ad eum Primi Antonii litteris, quibus, "avertere accita Vitellio auxilia et, tumultus Germanici specie, retentare legiones," jubebatur. Eadem Hordeonius Flaccus præsens monuerat, inclinato in Vespasianum animo, et Reipublicæ cura; cui excidium adventabat, si redintegratum bellum et tot armatorum millia Italiam inrupissent.

XIV. Igitur Civilis, desciscendi certus, occultato interim altiore consilio, cetera ex eventu judicaturus, novare res hoc modo cœpit. Jussu Vitellii, Batavorum juventus ad delectum vocabatur; quem, suapte natura gravem, onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent: rursus inpubes, sed forma conspicui (et est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc invidia: et compositæ seditionis auctores perpulere, ut delectum

lum et Civilem fratres fuisse putat. Simile est, quod *Felix*, Procurator Judææ, modo *Antonius*, modo *Claudius* dicitur. Mox *adiit* edidit Rhen. (e Bud.) Superiores dederant *adit*, ut est in MS. Guelf. Eadem varietas supra A. 15, 5. ERN. Mox Bud. *illi* loco *Civili*.

*Simili oris dehonestamento*] Cum item, ut Hannibal, altero oculo captus esset. Liv. 22, 2. ERN. Cf. et Plut. in Sertorio ab initio: et supra A. 2, 9.

*Prætendit*] Simulat, ad tegenda consilia utitur. Intelligendum: *consiliis*. Ea simulatio unde speciem acceperit, statim traditur. ERN.

*Avertere accita auxilia*] MSS. Flor. Agr. (Bud.) et Guelf. (in quo tamen ultima litera a sec. m. addita) *averteret*: quod est et in ed. pr. deficiente mox præpositione, quæ et a Flor. (et Bud.) abest. Utrumque repetere voluit Rhenanus, sed operæ non paruerunt, ne in secunda quidem edit. Unde altera lectio: *avertere accita a Vit.* in omnibus sequentibus expressa: quam et veram puto: quia et mox *retentare*. Igitur non inspecto ipso textu Rhenani, sed e notula ejus tradit Ryckius, Rhenanum edidisse *averteret accita Vitellio*. Ceterum præpositionem merito delevi. Illud autem bene Rhenanus, quod pro *redintegrandum* edidit (e Bud.) *redintegratum*: quod est etiam in MS. Guelf. ed. pr. ERN.

*Dissidii certus*] Libri veteres, *desciscendi certus*. Utrum mavis, rectum. LIPS. *Desciscendi* etiam Flor. Agr. Guelf. edd. pr. Puteol. Ber. Alc. At nec spreverim lectionem MS. Budens. *discidii*, unde male, ut alibi, factum per operas *dissidii*, jam in prima Rhen. cum in notis diserte *discidii* habeat. Illud (*desciscendi*) restituit Pichena. ERN. In notis ed. sec. male legitur *dissidii*.

*Delectum suapte natura gravem*] Quippe in longam et longinquam militiam. Velleius in laudibus Tiberii c. 130. *Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum, sine trepidatione, delectus provident?* LIPS.

*Invalidos conquirendo*] MS. Guelf. vitiose *conquirendos*. Mox Flor. (Bud.) ed. pr. *impubes*, non *impuberes*, quod bene, ut alibi, a Pichena restitutum: de eoque supra dictum. Post *et ex plerisque* itidem male MS. Agr. Guelf. sed a manu sec. ed. pr. ERN. Bud. *et est*. Heins. volebat *ut est pl.*

*Compositi seditionis auctores*] Ver-

abnuerent. Civilis primores gentis et promptissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac lætitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus, injurias et raptus et cetera servitii mala enumerat. " Neque enim societatem, ut olim, sed tamquam mancipia haberi: quando Legatum, gravi quidem comitatu et superbo cum imperio, venire? tradi se Præfectis Centurionibusque: quos ubi spoliis et sanguine expleverint, mutari, exquirique novos sinus et varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus, velut supremum dividantur. Nunquam magis adflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis, quam prædam et senes: adtollerent tantum oculos et inania legionum nomina ne pavescerent: at sibi robur peditum equitumque: consanguineos Germanos: Gallias idem cupi-

bum *compositi* semper suspectum habui, quod in MSS. (est etiam in Bud.) et edd. esse videbam: quamquam enim defendi posse videtur loco *Sallustii* ap. Carisium, ubi *lanii* etc. *pretio compositi*, i. e. parati, occurrunt, sicque interpretatur h. l. Gesnerus, tamen durissimum esse nemo neget. Neque vero auctores seditionis parantur, sed socii ab auctoribus. Sed suspicionem corruptelæ confirmavit ed. princ. quæ habet *compositæ seditionis auctores;* quod, ut verissimum, recipere non dubitavi. Sic et in MS. Reg. reperit Broterius, idque et ipse (et Lall.) recepit. Sallust. Jug. 43. *rebus paratis compositisque:* ib. 111. *compositus dolus.* Liv. 4, 13. *composita consilia. Composita seditio* est præparata clam et instructa. Alias non ignoro, *compositam seditionem* dici etiam, quæ finita sit, ut ap. Sueton. Cæs. 4. et alibi. Atque hæc forte caussa corruptelæ, quod librarii eo sensu compositam seditionem dici non putabant: quod non mirandum, cum etiam Sigonio *componere consilium* ap. Livium l. c. dura phrasis visa sit. Mox *servitia mala*, quod se (e Bud.) correxisse Rhenanus dicit *servitii mala*, erat vitium operarum in ed. Alciati. Nam superiores omnes *servitii*. ERN.

*Sacrum in nemus*] Vide de Germ. 9. Ubinam hoc fuerit, disquirit Alting. in Not. G. Inf. t. 1. p. 103.

*Quando Legatum*] Nota interrogandi hæc scripserim: atque interpreter: En, usque eo viles Romanis sumus, ut non Legati aut Prætores saltem nos diripiant: id est, honestiorum manibus peream: sed latrunculi aliquot minuti, Præfecti et Centuriones. LIPS. Si hæc interrogative capiantur, sensus e consuetudine loquendi erit: non venire Legatum, sed Præfectos et Centuriones ad se spoliandos: quod est falsum. Igitur veterem revocavi interpunctionem, quæ ante Lipsium fuit. *Quando* accipio dictum pro *quippe*, quod in oratione obliqua, ut *quando*, cum infinitivo dicitur. Ceterum non pro certo dicam, locum nihil corruptelæ habere. MS. quidem Agric. habet: *quando Legatum—venire parum:* idque melius putabat Ryckius. In ed. pr. autem est *quemdam*, pro *quondam*. Etiam *quidem* friget. ERN. Clarior omnino loci sensus admisso interrogationis signo, ut et Broterio visum et Bip. Nec enim continuo Legati in Batavis adfuisse putandum est. *Quidem* erit pro *etiamsi*. Mox Bud. *Centurionibus* sine copula.

*Exquirique novos sinus*] *Sinus* sc. pecuniæ, qui sint, dictum ad H. 2, 92. Ed. pr. *exequique*. ERN. Bene Bip. huc adferunt locum Plinii 11, 24 (28). ubi *sinus* de aranei reticulis, quibus qui inplicantur, exitum non habent prædæque sunt.

*Attollerent tantum oculos* etc.] *Attollere oculos* dicuntur, qui animum capiunt amoliendæ a se servitutis, qui pati injurias amplius nolunt etc. Formula sumta e Livio 6, 16. etc. *Inania legionum nomina* vocat legiones infrequentes, invalidasque, quas nemo debeat timere: cum alias vel nomen legionum Rom. ut olim phalangis Maced. terrori esset. ERN.

*Esse sibi robur—Germanos*] *Esse* abest a Flor. Agr. Bud. sed ejus loco in hoc *et:* ut ed. pr. *Germanos* a MSS. Bud. Guelf. in quo tamen in margine, ab eadem, ut videtur, manu additum est. Verba sequentia: *Gallias idem cupientes* exciderunt in ed. J. Fr. Gronov. In MS. Vatic. supra *Gallias* scriptum *Gallos*. ERN. Teste Ryckio in Flor. 2. m. loco

entes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cujus ambiguam fortunam Vespasiano inputaturos: victoriæ rationem non reddi."

XV. Magno cum adsensu auditus, barbaro ritu et patriis exsecrationibus universos adigit. Missi ad Canninefates, qui consilia sociarent. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute, par Batavis; numero superantur. Mox occultis nuntiis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes, missas in Germaniam, ut supra retulimus, ac tum Magontiaci agentes. Erat in Canninefatibus stolidæ audaciæ Brinno, claritate natalium insigni: pater ejus, multa hostilia ausus, Caianarum expeditionum ludibrium inpune spreverat. Igitur ipso rebellis familiæ nomine placuit, inpositusque scuto, more gentis, et sustinentium humeris vibratus, Dux deligitur.

*esse*, quod deest, adposuit *at.* Bud. habet *et.* Agr. sic: *Sibi robur* sine copula. Male hæc narrant Bip. sed recte recepere *at.* Sequor.

*Ne Romanis quidem ingratum id bellum*] Flavianis et melioribus omnium Romanorum, quos erat credibile Vespasianum Vitellio prælaturos, et ideo hos, qui limitem obsidebant, tanquam portionem Vitellianæ factionis impediri proprio negotio, ne creato et subornato ab sese Imperatori, si necessum foret, auxilio venire possent, visuros haud invitos. Sic et *imputaturos* profecto Batavos, non Vitellianorum Duces, ut putavit optimus Pichena. GRON. Hæc sunt subobscura, nec, ut opinor, vera. Sensus est: Romanis gratum faciemus bello movendo, quia putabunt, id in Vespasiani gratiam motum esse. Itaque, si male successerit, culpam Vespasiani fore judicio Rom. sibi nil metuendum. Mox *adigit barbaro r. et p. exsec.* est imitatio formulæ *adigere sacramento.* ERN.

*Canninefates*] Ursinus ex lapide cit. ad A. 4, 23. ubivis vult scribi *Cannanefas*, sed neque lapides neque libri in hac scriptura consentiunt. Antiqui nominis memoria videtur superesse in vico *Kennebourg.* Cf. Bucher. in Belg. Rom. p. 183. Plura Ryckius.

*Missas in G.*] Brot. forsan *remissas.*

*Ut supra retulimus*] Hist. 2, 69. Ceterum cohortes Batavorum sunt ipsa Britannica auxilia, quod diu in Britannia auxiliorum nomine militaverant. ERN.

*Brinno*] Vide notam mox sequentem. ERN.

*Cai. expeditionum ludibrium*] Intelligi planum est puerilem illam expeditionem, quam describit Suet. in Caio 43. sq. ERN.

*Nomine placuit*] Sive etiam, *omine.* At *Brinionem* ipsum *Brunonem* scribi, verius fortasse sit. LIPS. Ed. pr. (et cod. Bud.) habet *homine.* Puteolanus edidit *omine*, quod omnes secuti sunt ante Lipsium, in cujus editione primum *nomine* reperi. Videtur sic habuisse exemplum, quod ille primum accommodavit novæ editioni. Id an habuerit hanc lectionem e MS. consulto positam, ignoro. Pichena, qui *nomine* dicit se præferre lectioni *omine*, non dicit, quid sit in MS. Flor. nec J. Gron. In eo tamen esse *nomine*, ut in Guelf. Reg. et aliis, videtur. *Omine* reperit Broterius in MS. Harl. Oxon. et alio, idque prætulit. Nunc vulgatum nec mihi displicet: videturque fortius *nomine*, si id est pro *caussa*, non ut illud nomen illi familiæ usitatum, proprium ac perpetuum fuerit. MSS. Flor. Agr. *Brinno:* quibus consentiunt MS. Guelf. ed. pr. in quibus *Brino;* nisi quod hæc semel *Brumo*, quod favet Lipsii conjecturæ. Nec aliud est *Breno* et *Brenno*, quod Puteol. Ber. Alc. habent. Rhenanus induxit e Bud. *Brinio:* ipse tamen magis inclinat in *Brinno.* Et tamen illud omnes secuti sunt, usque ad Ryckium, qui *Brinno* cum J. Gron. edidit. ERN. *Homine* est pro *omine*, ut medio ævo *hortus* pro *ortus.* Quæ mox de *omine* et *nomine* dicta sunt in edit. priore, turbata fuere; puto me verum sensum restituisse. Mox Rhen. duce Bud. sustulit verbum *placuit.*

*Impositusque scuto, more gentis*] Mos igitur ille ignotus Romanis, eo quidem ævo. Nam postea irrepsit, sed non nisi cum Barbaris. Galli, Gothi, Franci hunc in cooptando Principe ritum habuerunt: et notavit atque exemplis firmavit P. Pi-

Statimque accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, Oceano inrumpit. Nec præviderant impetum hostium milites; nec, si prævidissent, satis virium ad arcendum erat. Capta igitur et direpta castra: dein vagos, et pacis modo effusos, lixas negotiatoresque Romanos invadunt. Simul excidiis castellorum inminebant; quæ a Præfectis cohortium incensa sunt, quia defendi nequibant. Signa vexillaque et quod militum in superiorem insulæ partem congregantur, Duce Aquillio, Primipilari; nomen magis exercitus, quam robur. Quippe, viribus cohortium abductis, Vitellius, e proximis Nerviorum Germanorumque pagis, segnem numerum armis oneraverat.

XVI. Civilis, dolo grassandum ratus, incusavit ultro Præfectos, " quod castella deseruissent. Se cum cohorte, cui præerat, Canninefatem tumultum compressurum: illi sua quisque hiberna repeterent." Subesse fraudem consilio, et dispersas cohortes facilius opprimi, nec Brinnonem Ducem ejus

thœus. Illum vide Subsecivor. 2, 6. Sed addo, etiam Græcis levationem hanc in scutum usurpatam, inter solennia Principatus. Zonaras de Hypatio 14, 6. qui seditiose contra Justinianum electus, καὶ ἐπὶ ἀσπίδος αὐτὸν μετάρσιον ἄραντες, ἀναγορεύουσι βασιλέα. Nicephorus Gregoras 1, 2. de Theodoro Ducæ filio: Ἀνηγορεύετο δ' ὕστερον βασιλεὺς παρ' ἑκόντων τῶν ὑπηκόων ἁπάντων, καθεσθεὶς ἐπ' ἀσπίδος, κατὰ τὸ ἐν τούτοις ἐπικρατοῦν ἔθος. Curopalates de officiis Aulæ c. 17. Ὁ νέος βασιλεὺς ἐπὶ σκουταρίου καθεσθεὶς, ἐπαίρεται ἐς ὕψος. In Excerptis Georgii Pachymerii 2, 4. *Imperatorio clypeo insidet is, qui Imperio destinatur.* Adde Zosimum 3, 9. in electione Juliani. LIPS.

*Proximo occupato Oceano*] Legam *proxima occupatu, Oceano irrumpit:* hac mente; ut Brinio duarum cohortium castra, quæ finitima Canninefatibus, per Oceanum irruperit. Et accedit, quod in Flor. est *proxima occupata.* LIPS. Recepit Pichena. MSS. Agr. (Bud.) Guelf. *proximo occupata Oceano:* ed. pr. consentit cum Flor. Ceteræ usque ad Pich. *proximo occupato Oceano.* ERN. Acid. volebat *qua proxima occupatu*, et deinde *adscitis* pro *accitis.* Dotteville e cod. suo dat *uni hiberna proximo occupata Oceano.*

*Congregantur*] Ed. pr. *congregabantur*, non male. ERN. *In superiorem insulæ partem.* Sic Rhen. e Bud. prius *in superiore ins. parte.*

*Viribus cohortium abductis*] Bona et fida lectio e libris. Frustra Rhen. e Bud. admutilato codice turbat, miscet. Vitellius quidem non cohortes ipsas aut legiones omnes e Germania abduxit: sed illis, manentibus nomine et specie, valentissimum quemque militem subtraxit: id est, vires cohortium abduxit, ut hic ait. LIPS. Nempe, quia in MS. abfuerat *quippe viribus*, Rhenanus correxit, *robur, cohortibus abductis, Vitellius* etc. Eadem verba absunt a MS. Guelf. qui insuper habet *abductum*, refertque ad *numerum.* Ed. pr. *quibus viribus c. adductis.* Puteol. *quippe v. c. adductis* cum seqq. usque ad Rhenan. quem ceteri deinde secuti sunt usque ad Lips. qui edidit, quod est in textu. Mox pro *proximis* ed. pr. *primis*, solenni confusione. ERN.

*Tumultum compressurum*] Sic bene e MS. Bud. edidit Rhen. sic ante ed. pr. sic MS. Reg. Ceteri ante Rhen. dedere *oppress.* quod est et in MS. Guelf. Paullo post MS. Reg. ed. pr. *ducem esse belli, sed Civilem, eis patuit.* In vulgata lectione *ejus* languet, in altera *eis*; quod si deleatur, *ducem esse belli* prætulerim. ERN. Bud. levi errore *tumulum* habet pro *tumultum*, sed bene *compressurum.*

*Nec Brinnonem*] MS. Agr. ed. pr. *nec Br. esse Ducem belli, sed Civilem eis patuit.* Mox *indiciis, quæ occultaverant*, pro *indiciis conjurationis, quam* etc. Vid. ad A. 1, 4. Deinde in MS. Guelf. verba *propriis cuneis* in margine sunt a manu sec. ERN. Bud. male *ejus* pro *eis patuit.*

belli, sed Civilem esse, patuit: erumpentibus paullatim indiciis, quæ Germani, læta bello gens, non diu occultaverant. Ubi insidiæ parum cessere, ad vim transgressus, Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit; directa ex diverso acies, haud procul a flumine Rheno, et obversis in hostem navibus, quas, incensis castellis, illuc adpulerant: nec diu certato, Tungrorum cohors signa ad Civilem transtulit; perculsique milites inprovisa proditione a sociis hostibusque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia. Pars remigum e Batavis, tamquam inperitia, officia nautarum propugnatorumque inpediebant: mox contra tendere, et puppes hostili ripæ objicere: ad postremum gubernatores Centurionesque, nisi eadem volentes, trucidant, donec universa quatuor et viginti navium classis transfugeret, aut caperetur.

XVII. Clara ea victoria in præsens, in posterum usui: armaque et naves, quibus indigebant, adepti, magna per Germanias Galliasque fama, " libertatis auctores" celebrabantur. Germaniæ statim misere legatos, auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque adfectabat, captos cohortium Præfectos suas in civitates remittendo: cohortibus, abire, an manere mallent, data potestate: manentibus honorata militia; digredientibus spolia Romanorum offerebantur. Simul secretis sermonibus admonebat " malorum, quæ tot annis perpessi, miseram servitutem falso pacem vocarent. Batavos, quamquam tributorum expertes, arma contra communes dominos cepisse: prima acie fusum victumque Romanum: quid? si Galliæ jugum exuant? quantum in Italia reliquum? provinciarum sanguine provincias vinci. Ne Vindicis aciem cogitarent. Batavo equite protritos Æduos Arvernosque: fuisse inter Verginii auxilia Belgas: vereque reputantibus, Galliam suismet viribus concidisse. Nunc easdem omnium partes, addito, si quid militaris disciplinæ in castris Romanorum viguerit: esse secum veteranas cohortes, quibus nuper Othonis legiones procubuerint. Servirent Syria Asiaque et suetus Regibus Oriens: multos adhuc in Gallia vivere, ante

*Directa ex diverso acies*] Sic libri omnes, nisi quod princ. (et Bud.) *detecta*, vitiose. At Pichena corrigebat *acie*, quia sequitur *obversis navibus*; quod placet. Mox pro *quas* ed. pr. (et Bud.) *quasi*: et sic volebat Rhen. sed operæ non paruere. Itaque illud in omnibus sqq. est, et simul *appulerat*, vitio operarum: quod tamen usque ad Lipsium servatum. Infra: *Centurionesque eadem vol.* in MS. Guelf. sunt in marg. a man. sec. Ern. Bud. *appulerant*. Dein *nisi eadem volentis*.

*Vindicis*] Hoc nomen deest in Bud. spatio relicto.

*Multos adhuc in Gallia*] Caute vide legas. Si enim de prima servitute et stipendio, quod Cæsar imposuit, capis, capieris: quomodo enim vera hæc adsertio, cum ab eo tempore ad hunc diem, anni sint inter fere CXX? nec tam vitales, ut opinor, tunc nostri Galli. Sed ad Augustum ejusque ævum id referri verius erit: qui censum tributumque instituit, quod penderent Galli: idque in Consulatu suo septimo. Ad quam rationem nihil absurdi aut vani in hac oratione Civilis. Lips.

tributa genitos. Nuper certe, cæso Quinctilio Varo, pulsam e Germania servitutem. Nec Vitellium Principem, sed Cæsarem Augustum bello provocatum. Libertatem natura, etiam mutis animalibus, datam. Virtutem proprium hominum bonum. Deos fortioribus adesse. Proinde adriperent vacui occupatos, integri fessos: dum alii Vespasianum, alii Vitellium, foveant, patere locum adversus utrumque."

XVIII. Sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno inminebat. At Flaccus Hordeonius primos Civilis conatus per dissimulationem aluit. Ubi " expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen," trepidi nuntii adferebant, Mummium Lupercum, Legatum, (is duarum legionum hibernis præerat) " egredi adversus hostem" jubet. Lupercus legionarios e præsentibus, Ubios e proximis, Treverorum equites, haud longe agentes, raptim transmisit, addita Batavorum ala, quæ jam pridem conrupta, fidem simulabat, ut, proditis in ipsa acie Romanis, majore pretio fugeret. Civilis, captarum cohortium signis circumdatus, ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur, matrem suam sororesque, simul omnium conjuges parvosque liberos, consistere a tergo jubet: hortamenta victoriæ, vel pulsis pudorem. Ut virorum cantu, feminarum ululatu, sonuit acies, nequaquam par a legionibus cohortibusque

*Mutis animalibus*] Acidalius conjicit *brutis*. Quasi non *muta* eadem, quæ bruta, et quidem elegantius. Vide ad Senecam ep. 90. GRON. Cicer. N. D. 2, 53. *An bestiarum? nihilo probabilius, Deos mutarum et nihil intelligentium caussa tantum laborasse.* Sc. *mutæ* non intelligendum, quæ soni nihil edant, sed quæ loqui non possint. MS. tamen Guelf. *multis*, sed ita ut *l* supra adscriptum sit, item ed. pr. Ea verba in MSS. confundi, dudum alii notarunt. ERN. Bud. *mutis*.

*Hominis bonum*] MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. *hominum*: quod cum J. Gronovio recepimus. Nam et alia sunt in Tacito similiter desinentia. V. Jac. Gron. ad H. 3, 11. ERN.

*Arriperent vacui occupatos*] Int. in utroque, *aliis bellis*. *Arripere* autem pro vim inferre, bellum, eleganter. ERN.

*Mummium Lup.*] MS. Guelf. (Bud.) et alii *Munium*. Idem videtur dare voluisse Spirensis in ed. pr. ubi *munivit*: nam aliis locis est *Munius*, ut c. 22. ubi et Put. sic. (non Bud. qui ut) ceteræ edd. *Mumius*. Vera et antiqua scriptura *Mummius*, quam et Ryckius expressit. Fuisse Legatum legionis, non Legatum simpliciter, patet e c. 22. ERN.

*Fidem simulabat*] Sic rescripsi necessario, propter rationem linguæ Latinæ pro vulgato *simulat*, quod hic stare nullo modo potest. Id ortum est e compendiaria scriptura, ut sæpe alibi in libris scriptis et editis. Res est ita evidens, ut omnes probaturos correctionem confidam. Paullo post pro *fugeret* MS. Bud. *fungeretur*: male. ERN. Quid hoc monstri? Vulgatum ego ubivis deprehendo *simulabat*, non *simulat*. Vana ergo querela.

*Ante oculos et hostes*] Bip. ex ingenio *ante oculos esset, hostes*. Egregie, quæritur, an vere? codices obstant; nec in vulg. dura ellipsis. Mox *hortam. vict.* etc. cf. Germ. 7.

*Nequaquam par*] Quod valde Romani observabant, et velut omen habebant eventus. Appianus in Parthicis 27. *Crassus jussit eos clamorem tollere: in quo maxime militum mœstitia deprehensa est, exilem et dissonum clamorem edentium. Contra, a Barbaris clarus et fortis est redditus.* LIPS.

redditur clamor. Nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens, statimque in nos versa: sed legionarius miles, quamquam rebus trepidis, arma ordinesque retinebat. Ubiorum Treverorumque auxilia, fœda fuga dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuere Germani. Et fuit interim effugium legionibus in castra, quibus *Veterum* nomen est. Præfectus alæ Batavorum, Claudius Labeo, oppidano certamine æmulus Civili, ne interfectus invidiam apud populares, vel, si retineretur, semina discordiæ præberet, in Frisios avehitur.

XIX. Iisdem diebus, Batavorum et Canninefatium cohortes, cum jussu Vitellii in urbem pergerent, missus a Civile nuntius adsequitur. Intumuere statim superbia ferociaque, et "pretium itineris, donativum, duplex stipendium, augeri equitum numerum," promissa sane a Vitellio, postulabant, non, ut adsequerentur, sed caussam seditioni. Et Flaccus, multa concedendo, nihil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quæ sciebant negaturum. Spreto Flacco, inferiorem Germaniam petivere, ut Civili jungerentur. Hordeonius, adhibitis Tribunis Centurionibusque, consultavit, "num obsequium abnuentes vi coerceret." Mox, insita ignavia et trepidis ministris, quos ambiguus auxiliorum animus et subito delectu suppletæ legiones augebant, statuit, continere intra castra militem. Dein pœnitentia, et arguentibus ipsis, qui suaserant, tamquam secuturus, scripsit Herennio Gallo, legionis primæ Legato, qui Bonnam obtinebat, ut "arceret transitu Batavos: se cum exercitu tergis eorum hæsurum." Et opprimi poterant, si hinc Hordeonius, inde Gallus, motis utrimque copiis, medios clausissent. Flaccus omisit inceptum, aliisque litteris Gallum monuit, ne terreret abeuntes. Unde suspicio, sponte Legatorum excitari bellum: cunctaque, quæ acciderant aut

*Claudius Labeo*] In MS. Guelf. est in marg. (in Bud. deest) mox habet *oppidanorum*; male. Deinde *esset invidia* MS. Agr. ed. pr. Ryckius conjiciebat *invidiæ esset*, non male. Mox *advehitur* ed. pr. ceteræque ante Rhen. V. ad A. 16, 2. ERN. Bud. *oppidano* i. e. ut inter cives ejusdem oppidi certamen fieri solet. Mox idem *invidio*, puto, lineola omissa. Dein *avehitur*.

*Batavorum et Canninef. cohortes*] Ego auxiliares scriptas ex istis populis puto: quod patet e c. 20. init. aliter sentit Schelius ad Hygin. p. 87. ERN.

*Nihil aliud effecerat*] Bud. *nihil effecerat*.

*Qui Bonnam obtinebat*] MS. Guelf. *q. B. partem obt.* et in marg. insuper additum *exercitus* post *obt.* Sed *partem* est in litura: nempe est lectio ed. pr. *bonam obtinebat partem exercitus*. Mox *terreret* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. pr. Put. Ber. Alc. idque restituit Pichena. Ceteræ inde a Rhen. *teneret*, quod melius videbatur Freinshemio. ERN. Bud. *qui bona obtinebat*. Dein *tenerct* ap. Rhen. vitio operarum debetur; ipse enim nihil notat. Id perperam retentum a seq.

*Cunctaque, quæ acc.*] Hæc est scriptura MSS. Flor. Agr. Guelf. (in quo tamen *quæ* excidit) edd. ante Rhen. omnium, nisi quod in pr. *quc* abest. Itaque merito restituit J. Gronovius pro vulgato *quin cuncta*, quod est e conjectura Rhenani, ducta e MS. Bud. in quo corrupte erat *qui cunctaque*. ERN. Put. Ber. Alc. sane istud *quin* non habent.

metuebantur, non inertia militis, neque hostium vi, sed fraude Ducum evenire.

XX. Batavi, cum castris Bonnensibus propinquarent, præmisere, qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret: "nullum sibi bellum adversus Romanos, pro quibus totiens bellassent. Longa atque inrita militia fessis patriæ atque otii cupidinem esse. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore; sin arma occurrant, ferro viam inventuros." Cunctantem Legatum milites perpulerant, "fortunam prœlii experiretur." Tria millia legionariorum et tumultuariæ Belgarum cohortes, simul paganorum lixarumque ignava, sed procax ante periculum, manus, omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero inpares circumfundant. Illi, veteres militiæ, in cuneos congregantur, densi undique et frontem tergaque ac latus tuti. Sic tenuem aciem nostrorum perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio, et vallum portasque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis: cumulatæ corporibus fossæ: nec cæde tantum et vulneribus, sed ruina et suis plerique telis interiere. Victores, colonia Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi, Bonnense prœlium excusabant; tamquam petita pace, postquam negabatur, sibimetipsi consuluissent.

XXI. Civilis, adventu veteranarum cohortium, justi jam exercitus ductor, sed consilii ambiguus et vim Romanam reputans, cunctos, qui aderant, in verba Vespasiani adigit: mittitque legatos ad duas legiones, quæ, priore acie pulsæ, in Vetera castra concesserant, "ut idem sacramentum acciperent." Redditur responsum, "neque proditoris, neque hostium se consiliis uti. Esse sibi Vitellium Principem, pro quo fidem et arma usque ad supremum spiritum retenturos: proinde perfuga

*Fraude Ducum evenire*] Vocem sustuli, *metuebantur*, auctore Vaticano, quæ perperam hic inserta, et de priore linea repetita. LIPS. Est vitium operarum, quod ex ed. Rhen. ad ceteras propagatum est. ERN. Immo hoc vitium est cod. Bud. in quo id verbum ita repetitur. Mox idem male *Bononiensibus*, sic et paullo post.

*Mandata exponeret*] MS. Flor. (Bud.) ed. pr. *exponeret*, quod probat J. Gron. Sic et MS. Reg. Ad rem nihil interest. Recepit tamen Broterius. ERN. Bene.

*Lixarumque ignavia*] Sic MSS. et edd. ante Rhen. qui (ex ingenio) correxit *ignava*; recte: nec ullo modo *ignavia* ferri potest: ut mirum sit a Gronoviis id esse repetitum. Mox *circumdant* male MS. Bud. quod tamen probat Rhen. syllaba excidit, ut alias. ERN. Varie hic peccat Bud. *manibus...rumpunt...patebant* etc.

*Illi veteres militiæ*] Ipsa est Taciti phrasis, et egregia restitutio Florentino codici debetur, atque industriæ Pichenæ. LIPS. Sic et in cod. Vatic. ed. pr. Altera lectio *veteris militiæ memores* alii MS. et edd. inde a Puteol. usque ad Lipsii posteriores edd. quæ post Pichenæ ed. prodiere. Post *in cuneis* male edd. Puteol. seqq. usque ad Pich. *In cuneos* verum est, quod habent Flor. Agr. ed. pr. ex qua male in nota Gruteri apud Gronovios laudatur *in æneis*. ERN. Bud. *veteris militiæ incivilesque congr.* unde Rhen. fingebat *vi habiles*. Vitium, quod in Gronoviis notatur, ad eos ex ipsa editione Gruteri transiit a. 1607.

*Perfuga Batavus* etc.] Edd. Put. Ber. Alc. *perfugus*. (Bud. bene *perfuga*.)

Batavus arbitrum rerum Romanarum ne ageret, sed meritas sceleris pœnas exspectaret." Quæ ubi relata Civili, incensus ira, universam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri Tencterique et excita nuntiis Germania ad prædam famamque.

XXII. Adversus has belli concurrentis minas, Legati legionum, Mummius Lupercus et Numisius Rufus, vallum murosque firmabant. Subversa longæ pacis opera, haud procul castris, in modum municipii exstructa, ne hostibus usui forent. Sed parum provisum, ut copiæ in castra conveherentur: rapi permisere. Ita paucis diebus per licentiam absumpta sunt, quæ adversus necessitates in longum suffecissent. Civilis, medium agmen cum robore Batavorum obtinens, utramque Rheni ripam, quo truculentior visu foret, Germanorum catervis complet, adsultante per campos equite. Simul

Videtur Puteol. in cod. *profuga* habuisse, atque inde fecisse *perfugus*: nam illæ voces sæpe in MSS. permutantur a librariis, ignaris *perfugam* pro desertore dici. Vid. Drakenb. ad Liv. 22, 23. Post *arbitrium* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. Ceteræ omnes *arbitrum*. Illud præfert J. Gronovius. Recte. Vid. ad A. 13, 14. Ceterum utrumque Latine dicitur. Mox pro *quæ* male *quippe* ed. Beroald. Alc. Puto esse vitium operarum in ed. Ber. Ern. A. 13, 14. noster admisit *arbitrum*. Quidni et hic? Sic et Brot. Lall. Bip. Vide et dicta ad 15, 17. 16, 11.

*Bellō concurrentis*] Non est *ingruenti* simpliciter, ut Ryckius interpretatur, sed undique ingruentis, propter concursum populorum ad Civilem. Sic *concursum occupationum* dixit Cicero epist. 7, 33. Ern. Recte Bip. monent adcusandi casu non gignendi accipiendum *concurrentis*, pro quo propterea usitatius ponunt *concurrentes*. Sufficit monuisse.

*Numisius Rufus*] Μνημονικὸν ἁμάρτημα putat Savilius: nam solum Lupercum *duarum legionum hibernis præfuisse* c. 18. nec Numisium ad Vetera fuisse, sed ap. legionem XVI, cujus castra ad Novesium. Primum argumentum infirmum. Nam, etsi pares Legati Legionum, tamen ei potuit a Legato Hordeonio summa rei tradita esse, ut ei alter parere cogeretur, ut Voculæ c. 24. Dein c. 26. XIII legio Novesii est, Legato Gallo: quamquam de legione ambigi potest. Vid. ibi not. Ern.

*Longæ pacis opera*] Id est procestria, et quæ ædificari ante castra solent, usibus lixarum aut advenarum. Me vide Milit. Dial. 5, 1. Lips.

*Sed parum provisum, ut*] Itane in litteræ unius salebra viri docti hæserunt? Nam, *ni*, antea legebatur, non, *ut*, velut nos emendavimus. Itaque consensu Vertranius et Rhenanus corrigunt, *sed parvum provisum, ni copiæ*: et provisum interpretantur commeatum, annonam. (ut H. 2, 5.) Ludibria. Nostra sententia clara. Peccatum, inquit, in eo a Ducibus, quod, dum ædificia pro castris diruuntur, commeatum aliaque tolerandæ obsidioni diripi permisere potius, quam ut in castra conveherent ad usum. Lips. Ed. pr. (et cod. Bud.) *vi*. *Ni* tamen defendunt Salinerius et Ryckius et sic capiunt: sed parum consultum castris erat diruendis procestriis, si non curaretur simul, ut inde copiæ in castra conveherentur, alendis per obsidionem militibus. Non male. Et sic MSS. plures, unde recepit Broterius. Mihi tamen *ut* rectius videtur sensu meo, propter formam orationis: *nam rapi permiserc*. Ern.

*Utramque Rheni ripam*] Vox *utramque* Budensi abest. Et vero, cur utramque ripam milite compleverit, cum hæc in altera gesta? Inducatur igitur id verbi, aut rescribatur, *utrimque*. Id enim veri speciem habet, supra infraque castra militem locatum; ad obsessorum terrorem. Lips. Sed bene defenditur *utramque* a Pichena; idque habent libri præter Bud. omnes. Consulto utramque ripam implevit milite, ut abundare copiis videretur, et tanto plus adspectus terroris incuteret. Ern. Acid. volebat *utrimque*. Mox Bud. *visui*.

naves in adversum amnem agebantur. Hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptæ silvis lucisve ferarum imagines, ut cuique genti inire prœlium mos est, mixta belli civilis externique facie obstupefecerant obsessos: et spem oppugnantium augebat amplitudo valli, quod, duabus legionibus situm, vix quinque millia armatorum tuebantur. Sed lixarum multitudo, turbata pace illuc congregata, et bello ministra aderat.

XXIII. Pars castrorum, in collem leniter exsurgens; pars æquo adibatur: quippe, illis hibernis obsideri premique Germanias, Augustus crediderat: neque unquam id malorum, ut oppugnatum ultro legiones nostras venirent. Inde non loco, neque munimentis labor additus: vis et arma satis placebant. Batavi Transrhenanique, quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens consistunt, eminus lacessentes. Post, ubi pleraque telorum turribus pinnisque mœnium inrita hærebant, et desuper saxis vulnerabantur, clamore atque in-

*Silvis lucisque*] Sic libri nostri, non *jugisque*. Enimvero in sacris Germanorum lucis ferina ista signa. Tacitus de moribus gentis 7. *Effigiesque et signa quædam detracta lucis in prœlium ferunt.* LIPS. Ed. pr. *lucisve*. Ceteræ usque ad Lips. *jugisque*, quod et Guelf. (et Bud.) habet. Broterius suspectum habet *lucisque* l. c. ut e Mor. Germ. additum. Proprium in hac re est verbum *lucis*, ut ex illo loco et aliis patet: id adeo deleri non potest. Si *silvis* quis deleri malit: frequens est verbo speciei addere genus, lucis silvas. ERN. Grut. præferebat *lucisve*. Placet.

*Juxta belli civilis*] Puto germanum esse. Romanus tamen codex itemque Flor. *mixta belli civilis*: non item male. LIPS. Rom. cod. est ed. pr. eam lectionem bene recepit Pichena. MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. *justa*. Rhen. seqq. *juxta*: quod sane eundem sensum efficeret, si a libris scr. firmaretur. ERN. Est in Bud. et sic A. 1, 48. *innocentes ac noxios juxta cadere*. J. Fr. Gronovius Obs. 1, 17. hoc loco quoque legebat *juxta* reddebatque ἐξ ἴσης. Utrum Taciti sit, non dixerim. Recentiores editores in *mixta* conspirant.

*Quinque millia armatorum Rom.*] Verbum *Romanorum* agnoscunt omnes MSS. præter Budens. et edd. ante Rhenanum: a quo deletum restituit Pichena. Recte *Romanorum* additum dicit Pichena, ut *armatos* a lixis et id genus hominibus distinguantur, quos ad belli ministeria adsumtos, mox dicit Tacitus. ERN. Quasi vero, si absit *Romanorum*, milites a lixis distingui nequeant. Ea vox profecto abundat. Delevi. Prius pro *situm* Rhen. volebat *tum*.

*Leniter assurgens*] MSS. Flor. Agr. (Bud.) ed. pr. *exsurgens*. Eodem verbo usus est II. 2, 14. Et hic potius alterum substitutum a librariis videtur, quod tritum est usu, quam *exsurgens* illi. ERN. Suus sit honor codicibus. Repono *exsurgens*. Sic et Bip.

*Neque umquam id malorum*] *Crediderat* intell. timuerat: Numquam eo rem redituram putarat. Est durus loquendi modus; sed in quo libri omnes consentiunt. ERN. Cur timuerat? Potius suo sensu, *crediderat*, sic coerceri Germanias, neque unquam id malorum *oriturum* etc.

*Non—labor additus*] Formula Virgiliana (G. 1, 150.) *mox et frumentis labor additus*; sed alio sensu: h. l. est, nihil artis aut operæ adsumtum, ad locum munitiorem operibus reddendum, ut major in oppugnando labor esset. ERN.

*Quo discreta virtus* etc.] Simile quid 3, 27.

*Sibi quæque gens consistunt*] Durius dictum pro *seorsim*, non permixti inter se. Rhenanus conjiciebat *simul*: quæ verba et alibi confusa notarat: si quid mutandum, malim *soli*: sic infra c. 46. *separatim assistere*. Mox pro *hærebant* MSS. Vatic. Agr. ed. pr. *pendebant*, quod magis placebat Grutero. ERN. *Sibi* Bip. reddunt *secum*. Livius dixisset *pro se quæque*; ut 26, 36. Cf. Hiller. Racem. 12. Mox Bud. *oppositis plerique scalis*, ut Rhen. notat. In edd. Gronov. ea verba deesse dicuntur, perperam. Bud. *herebant*: hujus glossa mihi videtur esse *pendebant*. Bip. hoc præferunt.

petu invasere vallum, adpositis plerique scalis, alii per testudinem suorum: scandebantque jam quidam, cum, gladiis et armorum incussu præcipitati, sudibus et pilis obruuntur, præferoces initio et rebus secundis nimii. Sed tum prædæ cupidine adversa quoque tolerabant. Machinas etiam, insolitum sibi, ausi: nec ulla ipsis solertia: perfugæ captivique docebant struere materias in modum pontis, mox subjectis rotis propellere: ut alii superstantes, tamquam ex aggere, prœliarentur; pars intus occulti muros subruerent. Sed excussa balistis saxa stravere informe opus: et crates vineasque parantibus adactæ tormentis ardentes hastæ: ultroque ipsi oppugnatores ignibus petebantur; donec, desperata vi, verterent consilium ad moras, haud ignari paucorum dierum inesse alimenta et multum inbellis turbæ. Simul ex inopia proditio et fluxa servitiorum fides ac fortuita belli sperabantur.

XXIV. Flaccus interim, cognito castrorum obsidio, et missis per Gallias, qui auxilia concirent, lectos e legionibus Dillio Voculæ, duodevicesimæ legionis Legato, tradit, ut quam maximis per ripam itineribus celeraret. Ipse pavidus, invalidus corpore, invisus militibus: neque enim ambigue fremebant, "emissas a Magontiaco Batavorum cohortes, dissimulatos Civilis conatus, adsciri in societatem Germanos: non Primi Antonii, neque Muciani, ope Vespasianum magis adolevisse: aperta odia armaque palam depelli: fraudem et

*Per testudinem suorum*] Explico in Poliorc. 1, 5. LIPS.

*Scandebantque jam quidam*] Hæc interpunctio est a Pichena, auctore Flor. nam ante conjungebantur hæc cum antecedentibus et punctum erat post *vallum*. Sed eadem interpunctio in ed. pr. Infra ed. pr. *nec ullam sibi ipsis solertiam*, et post *ducebant*. ERN. Bud. *nec ulla ipsis solertia—docebant*. Prius *scandebant* sine copula. Mox *suprastantes*.

*Struere materias*] Sic edidit primus Rhen. (e Bud.) idemque est in Guelf. Ante erat *machinas*. Materias struebant in modum pontis, i. e. e trabibus conficiebant machinas altas, in quibus, ut pontibus, consisterent. ERN. Cf. Veget. 4, 17.

*Sperabantur*] Cod. Agr. *spectabantur*.

*Lectos e legionibus*] Præpositio addita a Pichena (suadente Mureto). *Duodevicesimæ* idem restituit, ut alibi. At *duo et vices*. edd. pr. Rhen. (e Bud.) seq. usque ad Pich. et MSS. Flor. Reg. Oxon. unde restituit Broterius. Vid. ad H. 1, 55. ERN.

*Ipse pavidus torpere*] Quædam editiones, *ipse navibus invalidus corpore*. Forte, *ipse pavidus, invalidus: torpere*. Duplex certe vitium et segnitas huic seni, corporis animique. LIPS. Lectio *ipse navibus invalidus corpore* est et in Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. nec in alia ed. reperi. Unde Pichena conjiciebat: *ipse pavidus, invalidus corpore*. Jac. Gronovius *navibus* suspicatur factum ex *ignavus*. Ceterum Pichenæ correctionem recepit. ERN. Bud. *ipse navibus corpore invisus mil.* quod ad vulg. propius accedit. Sed lectio Flor. a Pichena emendata mihi potior videtur, quam cum Brot. et Lall. recipio. Dotteville istam servat totidem verbis, *navibus* intelligit secutum Flaccum in Rheno, verum dura nimis hæc ellipsis. Mox Bud. Agr. *premebant*.

*Adsciri in societatem*] *Adsciri* MSS. Flor. et edd. ante Rhen. qui, nescio an e Bud. prætulit *acciri* (ita Bud. *acciri*). Vetus Pichena restituit. Idem verbum c. 80. de eo diximus ad Agric. 19. ERN.

*Aperta odia, armaque*] Sallustiana imitatio est in Or. 2. ad Cæs. *Hostem adversum deprimere, homini strenuo haud difficile est: occulta pericula neque vitare, neque facere, bonis in promptu est.* LIPS.

dolum obscura, eoque inevitabilia. Civilem stare contra, struere aciem: Hordeonium e cubiculo et lectulo jubere, quidquid hosti conducat. Tot armatas fortissimorum virorum manus unius senis valetudine regi. Quin potius, interfecto traditore, fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent." His inter se vocibus instinctos flammavere insuper adlatæ a Vespasiano litteræ, quas Flaccus, quia occultari nequibant, pro concione recitavit: vinctosque, qui adtulerant, ad Vitellium misit.

XXV. Sic mitigatis animis, Bonnam, hiberna primæ legionis, ventum. Infensior illic miles, culpam cladis in Hordeonium vertebat: "ejus jussu directam adversus Batavos aciem, tamquam a Magontiaco legiones sequerentur; ejusdem proditione cæsos, nullis supervenientibus auxiliis. Ignota hæc ceteris exercitibus, neque Imperatori suo nuntiari: cum adcursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit." Hordeonius exemplaria omnium litterarum, quibus per Gallias Britanniamque et Hispanias auxilia orabat, exercitui recitavit; instituitque pessimum facinus, ut epistolæ Aquiliferis legionum traderentur; a quis ante militi, quam Ducibus, legebantur. Tum e seditiosis unum vinciri jubet, magis usurpandi juris, quam quia unius culpa foret. Motusque

*Interfecto traditore*] *Traditorem* pro proditore non dixere veteres: nec huc pertinent *traditores* Christiani, quos Ryckius adfert. N. Heinsius corrigit: *interfecto traditove*, nempe custodiæ, quæ ad Imperatorem adduceret. Alii malunt *proditore*, quod magis placet: nam illud durius, sive custodiæ intelligas, sive hostibus. Mox ei c. 25. *proditio* exprobratur. *Tradere* et *prodere* in libris permutari aliquot locis notavit ad Livium Drakenb. (V. saltem ad 3, 54.) Mox ed. pr. *a malo omine*. ERN. *Tradere* et noster et Livius eo sensu. Quidni et *traditor* noster dixerit? Nec obstat, quod aliis alia significatione accepta vox sit. Brot. et Lall. præferunt *traditove*.

*Vocibus insistentes*] Alii, *vocibus instinctos*. LIPS. Hoc verum, beneque receptum a Pichena, auctore Flor. Consentit MS. Reg. Agr. ed. pr. similiter Tacitus A. 2, 46. ERN. Et in Agr. 35. Bud. *vocis insistentes*.

*Exemplaria o. l.*] MSS. Flor. Bud. Guelf. *exemplares*: edd. omnes *exemplaria*. ERN. *Exemplares*, Rhen. intelligit litteras. Sed adjectivum id primum occurrit apud Macrob. qui in Somn. Scip. 1, 8. habet *exemplares virtutes*.

*Epistolæ Aquiliferis*] Cur Aquiliferis? quia legendæ nimirum ad signa: id est, in principiis. Facit omnino ad hunc morem, quod Spartianus in Pescennio Nigro c. 4. refert ex epistola M. Antonini Imp. *Itaque misi litteras recitandas ad signa*. LIPS. Si Aquiliferi Centuriones primipilares, ut supra diximus placere Fabretto, alia caussa instituti erit. Nam per Centuriones talia vulgari solita. Mox Lipsius volebat legi *legantur*: sine necessitate. Verba posteriora dicuntur e persona Taciti. MS. Agr. *Duci*. ERN. Bud. *Ducibus*. Acid. *pessimum facinus* includit parenthesi cum exclamatione.

*Magis usurpandi juris*] Vaticanum jure sequor in elegantissimo genere dicendi. Nam vulgati scilicet, *caussa*, inculcaverant, sine caussa. Prisci autem hac brevitate sermonis usi sæpe. Sallustius Jug. 88. *Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit*. Livius 27, 9. *Ea prodendi Imperii Romani, tradendæ Annibali victoriæ, esse*. Plautus Rud. 5, 3, 18. *Jusjurandum rei servandæ, non perdundæ, conditum est*. Ulpianus: *Siquis evitandi criminis id egit, ut Reip. caussa abesset*. Recte enim ita liber Flor. LIPS. Abest *caussa* etiam ab ed. pr. ERN. Item a Bud. et Reg. Lall.

Bonna exercitus in coloniam Agrippinensem; adfluentibus auxiliis Gallorum, qui primo rem Romanam enixe juvabant: mox, valescentibus Germanis, pleræque civitates adversum nos armatæ spe libertatis; et, si exuissent servitium, cupidine imperitandi. Gliscebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderant: quin idem ille arguebat ultro "conscientiam Ducis: tamquam nuntius inter Civilem Flaccumque falso crimine testis veri opprimeretur." Conscendit tribunal Vocula mira constantia, prehensumque militem ac vociferantem "duci ad supplicium" jussit. Et, dum mali pavent, optimus quisque jussis paruere. Exin consensu "Ducem Voculam" poscentibus, Flaccus summam rerum ei permisit.

XXVI. Sed discordes animos multa efferabant: inopia stipendii frumentique; et simul delectum tributaque Galliæ adspernantes; Rhenus incognita illi cœlo siccitate vix navium patiens; arcti commeatus: dispositæ per omnem ripam stationes, quæ Germanos vado arcerent: eademque de causa minus frugum, et plures, qui consumerent. Apud inperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tamquam nos amnes quoque et vetera Imperii munimenta desererent: quod in pace "fors," seu "natura," tunc "fatum et ira Dei," vocabatur. Ingressis Novesium tertiadecima legio conjungitur. Additus Voculæ in partem curarum Herennius Gallus, Legatus: nec ausi ad hostem pergere, loco, cui Gelduba nomen est, castra fecere. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque et ceteris belli meditamentis militem firmabant. Utque præda ad virtutem accenderetur, in proximos Gugernorum pagos,

*Adversum nos armatæ*] MSS. Fl. Bud. ed. pr. *arma*, quod recepit J. Gron. intelligique vult *sumisere*, quod additur in MS. Agr. Sane *armis* sæpe *armati* substituti in libris scr. ut pluribus locis ad Livium docuit Drakenb. (ut ad 22, 37.) Sed mihi durior illa ellipsis videtur. Hæsit fortasse librarius in verbo, quod hic significat, arma capere. Itaque non sensus sum imitari Gronovium. In ed. pr. excidit *nos*, ut in MS. Agr. Ern. Bip. legunt *armari*.

*Incognita illi cœlo*] *Illi* abest a MSS. Bud. Guelf. Ern.

*Tunc fatum*] Simile huic 1, 86.

*Tertiadecima legio*] MS. Agr. ed. pr. XVI. Cetera edd. vulgatum habent. Ejusdem legionis iterum mentio infra c. 62. ibi quoque XVI. MS. Flor. sed MS. Agr. ed. pr. XIII. Ex quibus patet, ex priori loco petitum argumentum Pichenæ pro legione XIII adversus Mercerum, corrigentem c. 62. XVI nil valere. Illud efficacius, quod 3, 22. legio XVI a Vitellio in Italiam abducta dicitur. Sed et aliæ ab eo abductæ tum, in hoc bello memorantur. Ern. Bud. hic et c. 62. XIII. Fuere autem duæ legiones hoc numero, altera, quæ Vespasiano accesserat H. 2, 86. altera, de qua h. l. in verba Vespasiani adigetur serius c. 62.

*Loco Gelduba nomen est*] Ed. pr. habet *loco, cui G. n. e.* quod cum Grutero verum puto. Scio, formulam illam usitatam Livio: sed, ubi ea occurrit, semper præcedit *ibi*, aut simile quid: idque ubi est, male pronomen inseritur, ut fit subinde in libris: quod hic secus est, ubi nil præcessit, ad quod verba *loco G. n. e.* referantur. Noster infra c. 84. *loco, cui nomen Rhacotis*. Ita omnes libri. Mox *incenderetur*, edd. Puteol. sqq. usque ad Pich. MS. Guelf. *incederetur* vitiose. Paullo post *Vocula* sine præpositione MSS. Flor. Bud. edd. pr. Rhen. Gryph. Ceteri libri addunt. MS. Agr. *Voculæ*. Ern. Bud. *accederetur*.

*Gugernorum pagos*] De scriptura nominis vid. ad 5, 16. Ern.

qui societatem Civilis acceperant, ductus a Vocula exercitus. Pars cum Herennio Gallo permansit.

XXVII. Forte navem, haud procul castris, frumento gravem, cum per vada hæsisset, Germani in suam ripam trahebant. Non tulit Gallus, misitque subsidio cohortem. Auctus et Germanorum numerus, paullatimque adgregantibus se auxiliis, acie certatum. Germani multa cum strage nostrorum navem abripiunt. Victi (quod tùm in morem verterat) non suam ignaviam, sed perfidiam Legati culpabant. Protractum e tentorio, scissa veste, verberato corpore, "quo pretio, quibus consciis, prodidisset exercitum," dicere jubent. Redit in Hordeonium invidia. Illum "auctorem sceleris," hunc "ministrum" vocant; donec, exitium minitantibus exterritus, proditionem et ipse Hordeonio objecit: vinctusque, adventu demum Voculæ exsolvitur. Is postera die auctores seditionis morte adfecit. Tanta illi exercitui diversitas inerat licentiæ patientiæque. Haud dubie gregarius miles Vitellio fidus: splendidissimus quisque in Vespasianum proni: inde scelerum ac suppliciorum vices, et mixtus obsequio furor; ut contineri non possent, qui puniri poterant.

XXVIII. At Civilem inmensis auctibus universa Germania extollebat, societate nobilissimis obsidum firmata. Ille, ut cuique proximum, "vastari Ubios Treverosque, et aliam manum Mosam amnem transire" jubet, "ut Menapios et Morinos et extrema Galliarum quateret." Actæ utrobique prædæ; in-

*Auctus et Germ. numerus*] Edd. Puteol. Ber. Alc. *est*, male: item mox *arripiunt*, quod est etiam in ed. pr. Ceteræ inde a Rhen. (e Bud.) omnes *abripiunt*, consentiente Guelf. ERN. Bud. *auctus et.*

*At Civilem immensum*] Locum recte ita purgavimus, cum legeretur, *immensis actibus*, vulgo. In Covarr. erat *auctibus*: in Rodolphi codice *laudibus*. Quæ omnes externæ et addititiæ voces, pro libito explentium. At mihi Vaticanus ille bonus bene præivit, qui legit, *immensis universa Germ.* Ex quo phrasim facile elicui Tacito et Sallustio notam. Noster A. 3, 30. *Opumque, quis domus illa immensum viguit, primus accumulator.* Sallustius 3. Hist. ap. Non. 1, 83. *Neque jam sustineri poterant, immensum aucto mari et vento gliscente.* Nec tamen absurde etiam scripseris, *immensum quantum.* Nam Vaticano certe spatium aliquod post eam vocem est, quasi altera defiat. Pichenæ quidem placere video, ex Flor. *immensis auctibus*: quod interpretatur, auctum valde viribus copiisque, a Germanis. Ut quisque volet: at nimia pro re et vero illa locutio sit *immensis auctibus.* Ubi hæc tam magna? ne dicam, *immensa.* LIPS. Pichenæ correctionem omnes postea recepere. Recte. *Actibus* edd. omnes ante Lips. *Actus* et *auctus*, ut ipsa verba *agere* et *augere*, sæpe in libris confunduntur, v. Drakenb. ad Liv. 4, 2. 21, 61. Bene comparavit Acidalius Vell. 2, 40. *hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit*: ususque eo verbo aliquoties Livius, ut ll. cc. ERN. In verbis Lipsii in utraque editione Ernesti, immo et utraque Gronoviorum, ultima phrasis turpiter truncata hic a me est restituta. Bud. *immensis artibus*, vitiose. Faernus legebat *auctibus.*

*Transire jubet*] Faernus, Acidalius, Freinsh. corrigunt *transiri*, aut *et aliam manum.* Excusari vulgatum utcunque potest, si intelligas *Duces populorum.* Mox *quateret* MSS. (Flor. Agr. Reg. Lall.) edd. vett. ante Rhen. nisi quod princ. vitiose *quæreret*: refer. *ad manum.* Rhenanus correxit (e Bud.) *quaterent*, quod omnes secuti sunt usque ad Ryckium. ERN. Lego cum Freinsh. et Bip. *aliam manum.* Solet in MS. codd. lineola adcusativi index omitti. Ryckius subaudiebat *suos* et vulg. servat *alia manu.*

festius in Ubiis, quod gens Germanicæ originis, ejurata patria, Romanorum nomen, *Agrippinenses*, vocarentur. Cæsæ cohortes eorum, in vico Marcoduro, incuriosius agentes, quia procul ripa aberant. Nec quievere Ubii, quominus prædas e Germania peterent: primo inpune, dein circumventi sunt; per omne id bellum meliore usi fide, quam fortuna. Contusis Ubiis, gravior et successu rerum ferocior Civilis, obsidium legionum urgebat: intentis custodiis, ne quis occultus nuntius venientis auxilii penetraret. Machinas molemque operum Batavis delegat: Transrhenanos, "prœlium" poscentes, "ad scindendum vallum ire, detrusosque redintegrare certamen," jubet: superante multitudine et facili damno: nec finem labori nox adtulit.

XXIX. Congestis circum lignis accensisque, simul epulantes, ut quisque vino incaluerat, ad pugnam temeritate inani ferebantur. Quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem, et, si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant. Intellectum id Civili: et, "restincto igne, misceri cuncta tenebris et armis," jubet. Tum vero strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi, neque declinandi providentia. Unde clamor acciderat, circumagere corpora, tendere arcus: nihil prodesse virtus, fors

*Quos genus Germanicæ*] E Budensi et Romano colligas, *quod gens German.* et statim, *vocarentur.* LIPS. Ita placebat et Rhenano aliisque: aliis aliter. Mox Lipsius aliique *Romano:* Gruterus per glossam additum *Romanorum nomen* (quod habent MSS. Flor. Bud. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr.) idque in textum venisse, dein mutatum esse in *R. nominc*, favente Ryckio. At J. Gronovius (it. Brot. Lall.) illud ipsum *Romanorum nomen* recepit, comparans illud: *nomen ego Ausonius:* quem nos, ob auctoritatem librorum, secuti sumus. Iidem libri *vocarentur:* ceteri inde a Puteol. usque ad Pichenam *vocarent.* ERN. Bud. *quos gens.* Bip. lectionem Gronovii et Ernesti servant, sed *Romanorum nomen* iis est *Rom. colonia*, quasi *familia* vel *clientela*, ut A. 3, 30. *in nomen adsciscere.*

*In vico Marcoduro*] Hodie *Düren* ad Ruram.

*Nec finem labori nox attulit*] Ed. Ven. *nec finem quidem labori.* Videtur iste codex significare: *Ne nox quidem finem labori attulit.* GRON. Similiter Oxon. Guelf. *ne finem quidem labori.* Ed. Venetæ i. e. Puteol. consentiunt Ber. Alc. Vulgatum est ab ed. pr. Rhen. idque verum, quod et MS. (Flor. Agr.) Reg. habet. Gronovianam tamen correctionem, si libri magis faverent, probarem. ERN. A *Nec* caput incipere jubet Freinsh.

*Insignibus effulgens*] MS. Agr. addit *armis. Insignia arma* non uno loco dixit Livius: sed et infra c. 46. *insignia* et *arma* distinguuntur. *Insignia* de toto ornatu militari capienda. H. 1, 38. *ut Prætorianus aut legionarius suis insignibus distingueretur.* Mox *miscere* J. Gronovius: quod et ipsum Latinum est, sed *misceri* melius, quod MSS. (etiam Bud.) et edd. veteres habent. ERN.

*Tendere arcus*] Mihi suspectum, et tibi, si attendes. Quorsum hic arcus? De Germanis sermo est, quibus haud crebra ea arma: sed nec ille sensus ad Taciti sensum. Mihi videbatur, *tendere armis.* Et ita solet: ubi periculum, eo armis tendimus. LIPS. Acidalius malebat *jactus. Arcus* certe verum esse vix potest. Nam intelligitur *eo*, quod respondet τῷ *unde.* Sed *arcus tendi* vulgo dicitur simpliciter, non *aliquo.* Tela diriguntur in certum locum, non arcus, proprie. Itaque Lipsiana correctio valde arridet: nec sufficit pro vulgata lectione, demonstrasse, aliquem usum arcus etiam inter Germanos fuisse. Mox in ed. pr. excidit *virtus.* ERN. Bud. habet. De arcuum usu apud Batavos nullum dubium. *Tendere arcus*, propria et apta dictio. Lipsius τῷ *arcus* prius substituere parabat *artus*, quod Colerus inpugnat, cui

cuncta turbare et ignavorum sæpe telis fortissimi cadere. Apud Germanos inconsulta ira: Romanus miles, periculorum gnarus, ferratas sudes, gravia saxa, non forte jaciebat. Ubi sonus molientium, aut adpositæ scalæ hostem in manus dederant, propellere umbone, pilo sequi: multos, in mœnia egressos, pugionibus fodere. Sic exhausta nocte, novam aciem dies aperuit.

XXX. Eduxerant Batavi turrim, duplici tabulato, quam, Prætoriæ portæ (is æquissimus locus) propinquantem, promoti contra validi asseres et incussæ trabes perfregere, multa superstantium pernicie. Pugnatumque in perculsos subita et prospera eruptione. Simul a legionariis, peritia et arte præstantibus, plura struebantur. Præcipuum pavorem intulit suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso, præter suorum ora singuli pluresve hostium sublime rapti, verso pondere intra castra effundebantur. Civilis, omissa oppugnandi spe, rursus per otium adsidebat, nuntiis et promissis fidem legionum convellens.

XXXI. Hæc in Germania ante Cremonense prœlium gesta, cujus eventum litteræ Primi Antonii docuere, addito Cæcinæ edicto. Et Præfectus cohortis e victis, Alpinus Montanus, fortunam partium præsens fatebatur. Diversi hinc motus animorum. Auxilia e Gallia, quis nec amor, nec odium in partes, militia sine adfectu, hortantibus Præfectis, statim a Vitellio desciscunt: vetus miles cunctabatur. Sed adigente Hordeonio Flacco, instantibus Tribunis, dixit sacramentum, non vultu, neque animo, satis adfirmans: et, cum cetera jurisjurandi verba conciperent, "Vespasiani" nomen hæsitantes, aut levi murmure et plerumque silentio, transmittebant.

XXXII. Lectæ deinde pro concione epistolæ Antonii ad Civilem, suspiciones militum inritavere, tamquam ad socium

posteriores istius curæ nondum visæ. Lall. probat *armis*, frustra. Recte Ryckius non magis de Germanis hic, quam de Romanis, esse sermonem adnotat.

*Periculorum gnarus*] Edd. ante Rhen. omnes, MS. Guelf. (et Bud.) *ignarus*. Ern. Rhen. emendavit ex ingenio.

*Pavorem intulit*] Cod. Agr. et Reg. Lall. *terrorem*. Prius Bud. *ruptione*.

*Verso pondere*] Machina fuit similis Archimedeæ ap. Liv. 24, 34. Sed est aliquid obscuritatis in *verso pondere*. Nam in sublime rapiebantur pondere tollenonis, e quo manus ferreæ pendebat, in solum depresso, ut naves apud Livium. Sed *rapti in altum* deinde dicuntur in castra *effusi verso pondere*: sc. conversione quadam ponderis et tollenonis ipsius, ut manus ferrea versus castra torqueretur, et rapti supra castra penderent, atque ita in castra præcipites darentur, vel machinæ totius, verso ejus cardine. Ern. Cf. Veget. 4, 21. et Festus.

*Nuntiis et promissis*] Copulam bene Rhen. inseruit e Bud.

*Cæcinæ edicto*] Is enim tum Consul. Videtur cohortatus esse edicto alias legiones, ut partes Flavianas amplecterentur. Ern.

*Alpinus Montanus*] Trevir, de quo 3, 35.

*Hort. Præfectis*] Bud. *Tribunis*.

*Verba conciperent*] Ita, ut præibantur verba, pronunciarent. Verbum proprium in jurejurando. Unde *conceptis verbis jurare*. Eadem formula mox c. 41. Ern.

partium scriptæ, et de Germanico exercitu hostiliter. Mox adlatis Geldubam in castra nuntiis, eadem dicta factaque: et missus cum mandatis Montanus ad Civilem, " ut absisteret bello; neve externa armis falsis velaret. Si Vespasianum juvare adgressus foret, satisfactum cœptis." Ad ea Civilis primo callide: post, ubi videt Montanum præferocem ingenio, paratumque in res novas, orsus a questu periculisque, quæ per quinque et viginti annos in castris Romanis exhausisset, " Egregium," inquit, " pretium laboris recepi, necem fratris et vincula mea et sævissimas hujus exercitus voces, quibus ad supplicium petitus, jure gentium pœnas reposco: vos autem Treveri, ceteræque servientium animæ, quod præmium effusi totiens sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures et dominorum ingenia? En ego Præfectus unius cohortis et Canninefates Batavique, exigua Galliarum portio, vana illa castrorum spatia excidimus, vel septa ferro fameque premimus: denique ausos aut libertas sequetur, aut victi iidem erimus." Sic accensum, sed " molliora referre" jussum, dimittit. Ille, ut irritus legationis, rediit, cetera dissimulans, quæ mox erupere.

XXXIII. Civilis, parte copiarum retenta, veteranas cohortes, et quod e Germanis maxime promptum, adversus Voculam exercitumque ejus mittit; Julio Maximo, et Claudio Victore, sororis suæ filio, Ducibus. Rapiunt in transitu hiberna alæ, Asciburgii sita: adeoque inprovisi castra involavere, ut non adloqui, non pandere aciem Vocula potuerit.

*Neve externa armis falsis velaret*] Clarius, *externa arma:* hoc sensu, ne Civilis ultra tegeret perfidiam et rebellionem: neu, quod revera externum bellum erat, tegeret et velaret, quasi pro Vespasiano sumtum et civile. LIPS. Nulla est necessitas ita corrigendi. *Externa* sunt hostilia, hostilis animus, ut alibi. *Armis* omnes scr. (Bud. etiam) et edd. ante Lipsium. Itaque id post Ryck. et J. Gron. restitui. Sensus est, he specie belli pro Vespasiano gerendi hostilem adversus Romanos animum tegere conaretur. ERN. *Externa* noster non semel ita sumit. Vid. H. 1, 79. 3, 5. et infra c. 72.

*Pretium laboris cepi*] Edd. Puteol. Ber. Alc. *cœpi* vitiose, pro *cepi*, quod ceteræ edd. habent inde a Rhen. Sed MS. Flor. (et Bud.) *recipi*, Agr. ed. pr. *recepi:* quod verum esse locus Virgilii arguit, quem haud dubie in animo habuit, Æn. 4, 93. *Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis:* ubi etiam sufficiebat *fertis:* itaque recepi in textum. Infra cum Ryckio edidi *præmium effusi* etc. pro *pretium*, quod alibi defendi, quia illud MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. habent, et ne bis eodem verbo utatur. Sic placebat et J. Gron. ERN.

*Vos autem Treveri*] Bud. *Vosque Treveri.*

*Molliora referre*] Sic MS. Flor. unde recepit Pichena cum seqq. Consentit ed. pr. At Puteol. Ber. dedere *molliora*, quod eodem redit: nam sæpe talis scriptura in vett. libris. Id mutatum est in *meliora* in ed. Alc. forte ab operis, velut vitiosum: nam alias presse Beroaldum sequitur. Inde omnes *meliora*, quod tamen et MS. Reg. (et Agr.) habet. Illud h. l. melius putavi. Vid. tamen ad 1, 69. ubi paullo aliter est. ERN. Bud. quoque *molliora referre* licet syllabis male distractis.

*Sororis suæ filio*] Romanus cod. et Rodolphus *sororis suæ viro.* LIPS. In ed. Rom. quam Lipsius laudat, non est *viro*, sed *sororis suæ victores*, vitiose repetito verbo, quod ante erat *Claudio victores* pro *victore.* Mox quæ edd. habeant *capiunt* pro *rapiunt*, ut tradit Gruterus, nescio. Mss omnes (et Bud. cod.) *rapiunt.* V. ad 2, 17. ERN. Bud. *sor. sue filio.* Mox *Asciburgium* hodie *Asburg.*

Id solum, ut in tumultu, monuit, " subsignano milite media firmare:" auxilia passim circumfusa sunt. Eques prorupit, exceptusque compositis hostium ordinibus, terga in suos vertit. Cædes inde, non prœlium. Et Nerviorum cohortes, metu seu perfidia, latera nostrorum nudavere. Sic ad legiones perventum; quæ, amissis signis, intra vallum sternebantur; cum repente novo auxilio fortuna pugnæ mutatur. Vasconum lectæ a Galba cohortes ac tum accitæ, dum castris propinquant, audito prœliantium clamore, intentos hostes a tergo invadunt, latioremque, quam pro numero, terrorem faciunt: aliis a Novesio, aliis a Magontiaco, universas copias advenisse credentibus. Is error Romanis addit animos, et, dum alienis viribus confidunt, suas recepere. Fortissimus quisque e Batavis, quantum peditum erat, funduntur: eques evasit cum signis captivisque, quos prima acie conripuerant. Cæsorum eo die, in partibus nostris, major numerus et inbellior; e Germanis ipsa robora.

XXXIV. Dux uterque, pari culpa meritus adversa, prosperis defuere. Nam Civilis, si majoribus copiis instruxisset aciem, circumiri a tam paucis cohortibus nequisset, castraque

*Subsignano milite* etc.] Subsignani militis et supra l, 70. mentio a Tacito injecta. Is qui sit, parum inter eruditos convenit. Adhuc nihil melius vidi, quam quod Salmasio de Mil. R. c. 4. p. 40. et Schelio ad Hygin. p. 40. placet, *subsignanos* dici, qui sint sub signis, et armati sua signa, sive in acie, sive in agmine, sequantur. Nam *legiones* dicuntur *sub signis esse* Pollioni ap. Cic. ep. 10, 33. et *duci*, ad Att. 16, 8. Itaque antesignani primi subsignanorum, postsignani postremi. Sed tamen adversatur locus Livii 8, 8. ubi dicit: *hoc XXX manipulorum agmen antesignanos appellabant* (sic enim legendum, non *antepilanos*) *quia sub signis alii XV ordines locabantur:* qui locus est huic nostro similis. Unde suspicor *subsignanum* militem h. l. esse subsidia, quibus acies firmatur, h. l. media, idque est verbum proprium de subsidiis. Ceterum non negem, *subsignanos* etiam eo modo dici, quo Salmasius vult, sicut et formula, *sub signis esse*, duobus modis dicitur. Sed illud h. l. est aptius. Ceterum illud convenit ex h. l. intelligere, eo nomine solos legionarios intelligi. Distinguuntur enim clare ab auxiliis. Itaque dicuntur discessu Nerviorum (ea erant auxilia) Romanorum i. e. legionariorum latera nudata: sensus igitur loci hic: mediam aciem, in cujus robore et firmitate res maxime verteretur, firmarent milite, non quovis, sed legionario, cujus maxima vis: h. e. quam plurimum legionarii militis ibi locarent. Ceterum *maxia* pro *media* habent MS. Agr. ed. pr. Male. Item uterque liber *latera nostra.* ERN. Bud. *media.* Dein *latera nostrorum.*

*Terga in suos vertit*] Non est argutandum in verbis cum Mureto, qui *in suos* deleri volebat, quod terga hostibus darentur, non in eos verterentur, qui fuga petuntur. Fugam direxere versus suos. ERN.

*Dum castris propinquant*] Bud. *appropinquant.*

*Intentos hostes*] Intell. in milites, qui in castris. Liv. 2, 53. *pars Romanos toto impetu intentos in castra adoriuntur:* et sic alibi sæpe. Etiam sequens forma, *latiorem, quam pro numero, terrorem faciunt*, est e Livio. Mox *Romanis* aberat a MS. Bud. nec est in Flor. (nec Agr.) ed. pr. sed vix commode abfuerit. J. Gronovius hoc sentiens, interpunctionem mutandam putat sic: *aliis* (i. e. Romanis) *a Novesio, aliis a Mag. n. c. a. credentibus, is error addit animum:* quod probari non potest. In verbis *Is error* initium esse novæ sententiæ, facile sentiat quivis. Scriptum fuit olim *is error Rom.* Itaque facile hoc excidere potuit. ERN. Mox cod. Agr. *suscepere.* Bud. priora sic: *clamore intento hostis* (adcusandi casu, puta) *a t. inv.*

*Circumiri a tam paucis*] MS. Reg. Agr. ed. pr. *circumveniri.* Eadem ed. *nequivisset* et *excidissent*, ut MS. R. Mox Flor. Agr. ed. pr. *potuit:* idque recepit Ryckius. Pro *eodem* Rhen. (e Bud.) edidit *eo*, quod secuti sunt ceteri,

perrupta exscidisset. Vocula nec adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque: dein victoriæ parum confisus, tritis frustra diebus, castra in hostem movit: quem si statim inpellere, cursumque rerum sequi maturasset, solvere obsidium legionum eodem inpetu potuit. Tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tamquam perditæ apud Romanos res, et suis victoria provenisset. Circumferebantur signa vexillaque: ostentati etiam captivi: ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis: unde major indici fides. Simul vastatione incendiisque flagrantium villarum, venire victorem exercitum, intelligebatur. "In conspectu castrorum constitui signa, fossamque et vallum circumdari," Vocula jubet: "depositis inpedimentis sarcinisque, expediti certarent." Hinc in Ducem clamor pugnam poscentium; et minari adsueverant. Ne tempore quidem ad ordinandam aciem capto, incompositi fessique prœlium sumpsere: nam Civilis aderat, non minus vitiis hostium, quam virtute suorum, fretus. Varia apud Romanos fortuna, et seditiosissimus quisque ignavus: quidam, recentis victoriæ memores, retinere locum, ferire hostem, seque et proximos hortari; et, redintegrata acie, manus ad obsessos tendere, "ne tempori deessent." Illi, cuncta e muris cernentes, omnibus portis prorumpunt. Ac forte Civilis lapsu equi prostratus, credita per utrumque exercitum fama, "vulneratum aut interfectum," inmane quantum suis pavoris, et hostibus alacritatis, indidit.

XXXV. Sed Vocula, omissis fugientium tergis, vallum turresque castrorum augebat, tamquam rursus obsidium inmineret: conrupta totiens victoria, non falso suspectus bellum malle. Nihil æque exercitus nostros, quam egestas copiarum, fatigabat. Inpedimenta legionum cum inbelli turba Novesium missa, ut inde, terrestri itinere, frumentum adveherent: nam

usque ad Lips. ERN. Bud. *circuiri—nequivisset—excidisset.* Dein vox *potuit* vel *potuisset* deest in Bud. illud habet et cod. Reg. Lall. recepi cum Bip. Brot. Lall. Mox Bud. *promovisset.*

*Confossus illic*] Freinsh. corrigebat *illico;* non male: sed tamen sine necessitate. *Illic* est αὐτοῦ, ibi, in illo ipso loco: adeo ira incensi erant hostes, ut ne differre quidem cædem possent, et hoc ipso rem suspectiorem facerent. ERN. *Illico* omnino rectius. Sic et Bip. Vocalem finalem sequens *a* absorpsit.

*Depositis impedimentis*] *Ut depos.* habent edd. inde a Puteol. omnes. At *ut* omittunt MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. itaque cum Jac. Gronovio delevi. Commode enim abesse potest. Mox vitio operarum in ed. Puteol. *asseverant*, quod inde in edd. Beroald. et Alc. fluxit. ERN. Correxit Rhen. e Bud.

*Cuncta e muris cernentes*] Hæc desunt in Bud.

*Credita*] Rhenanus (ex ingenio) *edita:* ego *dedita*, vel *didita.* LIPS. *Credita* quoque bene habet, nec contra libros mutandum. Vid. Gron. Obs. 3, 10. p. 520. ERN.

*Ut inde terrestri*] Præcessit de *impedimentis legionum et inbelli turba:* an illi igitur frumenta adveherent, inter medios ita hostes? ridiculum: puto defectum aliquem esse, et asteriscum ante hæc verba ponendum *ut inde terrestri.* Vide sequentia, agnosces. LIPS. *Impedimenta*, id est, currus et jumenta.

flumine hostes potiebantur. Primum agmen securum incessit, nondum satis firmo Civile: qui, ubi "rursus missos Novesium frumentatores, datasque in præsidium cohortes, velut multa pace ingredi accepit," rarum apud signa militem, arma in vehiculis, cunctos licentia vagos, compositus invadit: præmissis, qui pontes et viarum angusta insiderent: pugnatum longo agmine et incerto Marte, donec prœlium nox dirimeret. Cohortes Geldubam perrexere, manentibus, ut fuerant, castris, quæ relictorum illic militum præsidio tenebantur. Non erat dubium, quantum in regressu discriminis adeundum foret, frumentatoribus onustis perculsisque. Addit exercitui suo Vocula mille delectos e quinta et quintadecima legionibus, apud Vetera obsessis, indomitum militem et Ducibus infensum. Plures, quam jussum erat, profecti, palam in agmine fremebant, "non se ultra famem, insidias Legatorum, toleraturos." At, qui remanserant, "desertos se, abducta parte legionum," querebantur. Duplex hinc seditio; aliis revocantibus Vocula, aliis redire in castra abnuentibus.

XXXVI. Interim Civilis Vetera circumsedit. Vocula Geldubam atque inde Novesium concessit. Civilis capit Geldubam. Mox, haud procul Novesio, equestri prœlio prospere certavit. Sed miles secundis adversisque perinde in exitium Ducum accendebatur. Et adventu quintanorum quintadecimanorumque auctæ legiones, "donativum" exposcunt, comperto, pecuniam a Vitellio missam. Nec diu cunctatus Hordeonius nomine Vespasiani dedit. Idque præcipuum fuit seditionis alimentum. Effusi in luxum et epulas, et nocturnos cœtus, veterem in Hordeonium iram renovant: nec ullo Le-

*Imbelli turba*, lixis et calonibus, ut multæ manus citius expedirent negotium frumentandi. Sed qui medios inter hostes? Primum præsidio cohortium additarum, quod hic tacuit, mox nominaturus. Deinde minus in itinere timebant ob recentem victoriam. GRON. In *imbelli turba* sunt et milites minus strenui. Respice ad c. 33.

*Qui reversus, missos*] Magis placet quod e quibusdam libris eruas, *qui ubi rursus missos*. Sententiam certe aptius nectit. LIPS. Sic et MSS. Flor. Agr. Guelf. nisi quod *urbi* pro *ubi* in margine, quæ scriptura et in ed. pr. Puteol. dedit *qui rursus miss.* cum seqq. (Sic et Bud.) *Reversus* nuspiam in meis, nisi in ed. Lips. reperi, quod nescio unde ductum sit. Haud dubie e vitio operarum natum est, aut ex ed. ignobili. ERN.

*Onustis pauculisque*] Ed. Rom. *onustis perculsisque*. LIPS. Decepit Lipsium quisquis ei dixit in illa ed. esse *perculsis*: at est in MS. Agr. a quo non longe abit Flor. (Bud.) et ed. pr. in quibus *periculis*. Itaque bene *perculsis* receptum a Ryckio et J. Gron. *Perculsi* erant frumentatores e calamitate paullo ante accepta. MSS. Guelf. Oxon. *vehiculisque*. Edd. inde a Puteol. usque ad Ryck. *pauculisque*: quod pro correctione τοῦ *periculis* habeo. ERN. *Perculsus* nostro frequens. V. c. 17. et 30.

*E quinta et quarta decima*] Mercerus recte judicabat, scribendum *quintadecima*, et pluribus id demonstrat Freinsh. Nam c. 36. clare *quintadecimani*, consentientibus libris, et *quartadecima* legio tum in Britannia, H. 3, 23. ubi v. Lips. In MS. Agr. (et Reg. Lall.) et ed. pr. *quinta et decima*: quod recte Ryckius judicat ei correctioni favere: nam nullam aliam ob causam excidit verbum, nisi quod librarius eandem vocem vitiose bis positam putaret. Itaque non dubitavit sic corrigere. ERN. Egregie Bud. *quinta et quintadecima*. Rhen. non adtendit.

*Effusi in luxum—renovant*] MS.

gatorum Tribunorumve obsistere auso, (quippe omnem pudorem nox ademerat) protractum e cubili interficiunt. Eadem in Voculam parabantur, nisi servili habitu, per tenebras, ignoratus evasisset. Ubi, sedato impetu, metus rediit; Centuriones cum epistolis ad civitates Galliarum misere, auxilia ac stipendia oraturos.

XXXVII. Ipsi, ut est vulgus sine rectore præceps, pavidum, socors, adventante Civile, raptis temere armis ac statim omissis, in fugam vertuntur. Res adversæ discordiam peperere, iis, qui e superiore exercitu erant, caussam suam dissociantibus. Vitellii tamen imagines, in castris et per proximas Belgarum civitates, repositæ, cum jam Vitellius occidisset. Dein mutati in pœnitentiam primani quartanique et duodevicesimani, Voculam sequuntur; apud quem resumpto Vespasiani sacramento, ad liberandum Magontiaci obsidium ducebantur. Discesserant obsessores, mixtus ex Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, satietate prædæ, nec incruenti. In via dispersos et nescios miles noster invaserat. Quin et loricam vallumque per fines suos Treveri struxere, magnisque invicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga Populum Romanum merita mox rebelles fœdarent.

Agr. ed. pr. *effusus in luxum—cœtus miles—renovavit.* Sic et ceteræ ante Rhen. nisi quod *miles* omittunt. ERN. In cod. Agr. a 2. m. additum. Rhen. e Bud. verum dedit, quod hic legitur.

*Auxilia ac stipendia*] i. e. milites et pecuniam, sc. quæ in stipendiis militum consumeretur. Livius 2, 54. *inducæ in annos quadraginta petentibus datæ, frumento stipendioque imperato.* Mox *pavidum* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. Put. Ber. ceteræque usque ad Lips. qui edidit *pavidus*, quod et ed. pr. exhibet. Pichena *pavidum* restituit. Tacitus nec illud genus refugit, sed libri plures et potiores sequendi. ERN.

*Vitellius occidisset*] Ita MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Pich. sqq. At Rhen. e MS. Bud. (qui habet *occurrisset*) edidit *corruisset*, quod servatum usque ad Pichenam: nec id minus bene dictum. ERN.

*Duodevicesimani*] Vide dicta ad H. 1, 55. et 4, 24. Bud. hic *duo et vic.*

*Ad liberandum Mag. obsidium*] *Liberandum* pro solvendum, antiquius genus dicendi: cui simile Ciceronis de Off. 1, 10. *quæ promissa liberantur jure Prætorio*, etc. pro a quibus, a quorum servandorum necessitate liberantur homines jure Prætorio: alias usitatum *urbem obsidione liberare.* ERN.

*Mixtus ex Cattis* etc.] Primo MS. Bud. ed. pr. *et*, solenni errore. MS. Agr. *Caucis*: ed. pr. *Cautis* (Bud. *Caitis*). Vulgatum verum vicinia populorum arguit. Deinde *societate prædæ*, pro *satietate prædæ*, MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. ut referatur non ad *discesserant*, sed ad *mixtus*. Societas prædæ sane barbaris istis caussa se jungendi et alibi traditur. Itaque blanditur ea lectio Ryckio; cui non vero simile videtur, in illa obsidione prædæ multum factum. Neque ipse adeo ab illa sententia abhorreo: sed tamen non ita firma ista, ut propterea aliquid mutare sustinuerim. Et alioqui *societas* passim in libris vitiose pro *satietas* datum est. V. v. c. ad Liv. 7, 40. ERN. Prius legebatur *Mixtus Cattis.* Præpositionem adjecit Rhen. e Bud. in quo *et* pro *ex*, quod et alibi in hoc codice occurrit. Sic c. 16. is habet *pars remigum et Batavis.*

*Nec incruentati. Ita dispersos et nescios*] Judicabam deesse quippiam: nunc restituere juvante Romano cod. posse videor, *nec incruenti. In via dispersos.* LIPS. Nempe illa editio habet, ut Flor. (et Bud.) *nec incruentari via disp.* MS. Agr. *incruenti. Via.* ERN.

*Vallumque per fines suos*] Transrhenanos intelligendos ad utramque Loganæ ripam, veram Trevirorum patriam, docet vir eximius Crollius, cui potissimum debentur Bipontinorum in Tacitum nostrum curæ.

## A. U. 824. A. C. 71.

XXXVIII. Interea Vespasianus iterum ac Titus Consulatum absentes inierunt; mœsta et multiplici metu suspensa civitate, quæ, super instantia mala, falsos pavores induerat: "descivisse Africam: res novas moliente L. Pisone." Is præerat provinciæ, nequaquam turbidus ingenio: sed, quia naves sævitia hiemis prohibebantur, vulgus, alimenta in dies mercari solitum, cui una ex Republica annonæ cura, clausum litus, retineri commeatus, dum timet, credebat; augentibus famam Vitellianis, qui studium partium nondum posuerant; ne victoribus quidem ingrato rumore, quorum cupiditates, externis quoque bellis inexplebiles, nulla umquam civilis victoria satiavit.

XXXIX. Kal. Januariis in Senatu, quem Julius Frontinus, Prætor urbanus, vocaverat, Legatis exercitibusque ac Regibus, "laudes gratesque" decretæ: et Tertio Juliano Prætura, "tamquam transgredientem in partes Vespasiani legionem deseruisset," ablata, ut in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas Equestris data. Et mox, ejurante Frontino, Cæsar Domitianus Prætoram cepit. Ejus nomen epistolis edictisque præponebatur, vis penes Mucianum erat: nisi quod pleraque Domitianus, instigantibus amicis, aut propria libidine, audebat. Sed præcipuus Muciano metus e Primo Antonio Varoque Arrio; quos recentes, clarosque

*Is præerat provinciæ*] *Præerat* non est in Flor. Bud. ed. pr. frustraque tentat explicare Rhenanus ita: non turbidus provinciæ, natura ingenii sui. Immo excidit vox, ut aliæ alibi (et in Bud. non raro). *Turbidus ingenio* usitata Tacito phrasis. Jac. Gronovius suspicatur fuisse *is proc.* vel *pro. provinciæ* i. e. *Proconsul*, atque hinc omissum verbum, non adsequente et vitiosum putante librario. Non credo. ERN.

*Una ex Rep. annonæ cura*] Nihil mutandum. Tale illud Juvenalis de populo Romano est 10, 80.—*duas tantum res anxius optat panem et circenses.* Nam *Pana* substituunt leguntque male. LIPS. *Cui una* excideranta MS. Bud. iterum tendente defendere Rhenano: frustra. ERN.

*Regibus*] Sohemo, Antiocho, Agrippæ.

*Tertio Juliano*] *Tertio* MS. Guelf. edd. Rhen. sqq. ut infra c. 40. quamquam et ibi Ursinus e cod. vet. laudat *Tito*, et 2, 85. Sed MSS. Flor. Agr. edd. ante Rhen. *Tito*. Mox *tanquam* Flor. ed. pr. Pich. sqq. Ceteri scr. et edd. *quod*: illud verum. Prætextui ficto aptius est. ERN. Bud. nec *quod* nec *tamquam* habet: male. Idem *Tito Juliano*. Sed Rhen. *Tertio*, idque ex ingenio, quia c. seq. etiam Bud. sic. In nota Ursini legitur *Titio* pro *Tito*, forsan per vitium operarum.

*Edictisque præponebatur*] *Præferebatur* edd. Puteol. Ber. Alc. *Præponebatur* edd. Rhen. (e Bud.) sqq. usque ad J. F. Gronovium, qui tacite edidit *præponebatur*, quod servavit filius: idque verum est. Firmant, præter Latinitatem, MSS. Agr. Guelf. Ursin. ed. pr. Deinde *vis* primus edidit tacite Lipsius: cum MSS. et edd. vett. habeant *jus*. Sed illud res et Latinitas probat: supra 2, 39. *honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac potestas penes Proculum*: et centies *vis* et *jus* permutantur, ut jam alibi diximus. Denique *erat* MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. Pichena seqq. ERN. Delevit Rhen. quia in Bud. deest. In eodem *jus*, an *vis*, dubium.

*Varoque Arrio*] Bud. *varioque ario*. Emendavit Pich. e Flor.

rerum fama ac militum studiis, etiam populus fovebat, quia in neminem ultra aciem sævierant. Et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum, egregiis majoribus et fraterna imagine fulgentem, ad capessendam Rempublicam hortatus: haud defutura consciorum manu, ni Scribonianus abnuisset, ne paratis quidem conrumpi facilis, adeo metuens incerta. Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in Senatu laudibus cumulatum, secretis promissis onerat, "citeriorem Hispaniam" ostentans, "discessu Cluvii Rufi vacuam;" simul amicis ejus Tribunatus Præfecturasque largitur. Dein, postquam inanem animum spe et cupidine inpleverat, vires abolet: dimissa in hiberna legione septima, cujus flagrantissimus in Antonium amor. Et tertia legio, familiaris Arrio Varo miles, in Syriam remissa. Pars exercitus in Germanias ducebatur. Sic egesto, quidquid turbidum, redit urbi sua forma legesque et munia Magistratuum.

XL. Quo die Senatum ingressus est Domitianus, "de absentia patris fratrisque ac juventa sua" pauca et modica disseruit, decorus habitu: et, ignotis adhuc moribus, crebra oris confusio pro modestia accipiebatur. Referente Cæsare, "de restituendis Galbæ honoribus," censuit Curtius Montanus, "ut Pisonis quoque memoria celebraretur." Patres utrumque jussere: de Pisone inritum fuit. Tum sorte ducti, "per quos redderentur bello rapta, quique æra legum, vetustate delapsa, noscerent figerentque, et fastos, adulatione temporum fœdatos, exonerarent, modumque publicis inpensis facerent." Redditur Tertio Juliano Prætura, postquam cognitus est ad Vespasianum confugisse: Gripho honor mansit. Repeti inde cognitionem inter Musonium Rufum et P. Celerem placuit, damnatusque Publius et Sorani Manibus satisfactum. In-

*Antonius Scrib.*] Fratrem L. Pisonis, quem Galba adoptaverat. ERN. Cf. 1, 15. 47. 48. Mox Bud. *patratis.*

*Inanem animum* etc.] i. e. inanis gloriæ et honorum cupiditate captum, adeoque facilem deceptu talibus promissis. Mox ed. pr. vitiose *adolet.* MS. Agr. *adimit.* ERN. Bud. *abolet.*

*Redit urbi sua f.*] Ed. pr. *redit sua forma legibus et muniis magistratuum.* Vulgatum melius est. Non forma legibus redit, sed vis. ERN. Mox Bud. *de essentia.*

*Et ignotis adhuc moribus*] MS. Guelf. *ignotus:* et in ed. pr. punctum post *moribus.* Vulgatum verum est. ERN. Bud. habet.

*Tum sorte ducti* etc.] Bud. *Tum rapta*, omissis intermediis. Et hanc lacunam tueri nititur Rhen.

*Quique æra legum* etc.] MS. Guelf. *erant:* vitio, quod natum e scriptura *era*, ut est in ed. pr. Deinde edidi *dilapsa* pro *delapsa*, quod nihili est, ex ed. pr. Adde ad Ann. 4, 43. ubi similiter Tacitum correximus. De re v. Sueton. Vesp. 8. ERN. Bud. male *erat.* Mox *delapsa*, bene. Nec huc facit locus Suetonii, in quo de conflagratis sermo, ut recte monent Bip.

*Et qui fastos*] Sic vulg. Sed Flor. et Bud. id *qui* non habent. Delevit jam Pichena. Prius Huetius volebat *refigerentque.*

*Fastos adulatione corruptos*] Adscriptis honoribus per adulationem, qui non contigerant hominibus: de quo et apud Ciceronem Liviumque reperiuntur querelæ. ERN.

signis publica severitate dies, ne privatim quidem laude caruit. Justum indicium explesse Musonius videbatur: diversa fama Demetrio, Cynicam sectam professo; quod manifestum reum ambitiosius, quam honestius, defendisset. Ipsi Publio neque animus in periculis, neque oratio suppeditavit. Signo ultionis in adcusatores dato, petit a Cæsare Junius Mauricus, " ut commentariorum Principalium potestatem Senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque adcusandum poposcisset." " Consulendum tali super re Principem," respondit.

XLI. Senatus, inchoantibus primoribus, jusjurandum concepit, quo certatim omnes Magistratus, ceteri ut sententiam rogabantur, " Deos testes" advocabant, " nihil ope sua factum, quo cujusquam salus læderetur, neque se præmium, aut honorem, ex calamitate civium cepisse:" trepidis et verba jurisjurandi per varias artes mutantibus, quis flagitii conscientia inerat. Probabant religionem Patres, perjurium argue-

*Justum judicium explesse*] Sic edd. Enimvero non convenit hoc accusatori, sed judicibus, qui justum judicium explesse dici possunt. Igitur correxi *indicium*, quod est accusatoris ut A. 4, 31. ubi accusator *indicio perculisse* aliquem dicitur. Sic *justa indicia*, quamquam alia in re, sunt H. 1, 3. Porro *indicium* dicitur *labare*, A. 15, 55. etc. Sæpe in veteribus libris ex *indicium* factum est *judicium*, præsertim in tali re. Mox *diversa fama* male abest ed. pr. ERN. Bud. *judicium*, et sic alii, ut puto, codices, nemo enim aliud indicat. Ernesti emendationem Bip. recepere tacite et Bahrdt expressit in versione. Reliqui vulg. servant. *Diversa fama* est in Bud.

*Ipsi Publio neque animus*] Vox *neque* addita, auctore Vatic. LIPS. Firmant Flor. Guelf. qui tamen in margine habet, ed. pr. A MS. Bud. voces *ipsi Publio neque* aberant, ut mox *dato*. ERN.

*Junius Mauricus*] MSS. Flor. (Bud.) Guelf. *Maricus*. Agr. ed. pr. *Martius*. Vulgatum defendit Ryckius e Plin. ep. 4, 22. ubi idem nomen. Sed et ap. Plin. 1, 5. codd. fluctuant inter *Mauricus* et *Maricus*: item 3, 11. ad quæ loca v. Cortium: quem dissensus librorum in hoc Taciti loco latuit. Mox male *Princeps* edd. Puteol. Ber. Alc. Domitianus Princeps non erat. ERN. Correxit e Bud. Rhenanus.

*Inchoantibus primoribus*] *Inchoare* dicitur exquisitius, ut passim apud Livium, pro *relationem facere*; quod hic per egressionem relationis factam: dicitur etiam apud eundem Livium *mentionem facere*. Iterum noster clare sic infra c. 44. ERN.

*Jusjurandum, quo certatim*] Est juramentum a toto Senatu editum, de calumnia quam nemini capitalem intulissent. Sed hic non video, cur ita *certatim* Magistratus præstiterit: neque enim in honorem Principis, aut adulatio aliqua fuit, immo cunctanter potius hoc agendum. Sane ea vox suspecta est, et *seriatim*, aut tale quid malim: quia certum habeo, ordine quodam Magistratus omnes id præstitisse, et digniores primo. LIPS. *Certatim* omnes libri habent, idque ponitur ad indicandam alacritatem et studium: sic *certamen* de studio, H. 1, 32. Mox in MS. Bud. erat *omnis inens* (vel *mens*, dubium enim) e quo Rhenanus faciebat *iniens*: male. Nam nec Magistratus illius anni esse possunt, quia hæc non Kal. Jan. acta; nec designati in proximum annum, qui nondum creati. Si quid hic latet, quod a Tacito sit, puto esse *deinceps*, i. e. ex ordine dignitatis ac loci, quod bene convenit sequentibus: *ceteri, ut s. r.* i. e. eo ordine, quo rogati essent. ERN.

*Probabant rel. Patres, perj. arguebant*] Recte hoc sic capit Pichena: Patres hos, de quibus ultimo loco dixit, laudasse quidem hactenus, quod non jurassent eodem modo, quo ceteri, quamquam per ironiam; ceterum tamen perjuros esse, qui ne cetera quidem vere jurassent, et ea re conscientiam scelerum prodidisse. ERN. *Religio* hic scrupulum notat, ut apud Cic. Catil. 3, 6. *ut, quæ religio C. Mario cl. viro non fuerat ...ea nos religione...liberaremur*. Bene

bant. Eaque velut censura in Sariolenum Voculam et Nonium Actianum et Cestium Severum acerrime incubuit, crebris apud Neronem delationibus famosos. Sariolenum et recens crimen urgebat, quod apud Vitellium molitus eadem foret: nec destitit Senatus manus intentare Voculæ, donec curia excederet. Ad Pactium Africanum transgressi, cum quoque proturbant; tamquam Neroni Scribonios fratres, concordia opibusque insignes, ad exitium monstravisset. Africanus neque fateri audebat, neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cujus interrogationibus fatigabatur, ultro conversus, miscendo quæ defendere nequibat, societate culpæ invidiam declinavit.

XLII. Magnam eo die pietatis eloquentiæque famam Vipstanus Messala adeptus est, nondum Senatoria ætate, ausus pro fratre, Aquilio Regulo, deprecari. Regulum subversa Crassorum et Orphiti domus in summum odium extulerat. Sponte ex SC. adcusationem subisse juvenis ad-

hoc expressit Dotteville in versione. Contra Bip. *religionem* intelligunt de verum jurantibus.

*Sariolenum Voc.*] *Sannolenum* MS. Agr. ed. pr. quæ tamen mox *Sariolenum* exhibet. Mox Guelf. ed. pr. *Novium*: edd. Puteol. Ber. Alc. *Nomium*. Ern. Bud. *Sariolenum*. Idem *Nonium*, unde Rhen. restituit.

*Scribonianos fratres*] Junctim eos iterum nominat A. 13, 48. *Ad Scribonios fratres ea cura transfertur*. Nec temere aut jungit, aut concordiam laudat. Audi Xiphilinum, qui unus hæc illustrat, in Nerone 63, 17. Ἀδελφοί τε, inquit, καὶ ἡλικιῶται τρόπου τινὰ ὄντες, καὶ μηδὲν' μηδέποτε ἄνευ ἀλλήλων πράξαντες, ἀλλ' ὥσπερ τῷ γένει, οὕτω καὶ τῇ προαιρέσει τῇ τε οὐσίᾳ, συμπνυκότες. Addit deinde: *cum utrique Germaniæ præfuissent, vocatos a Nerone in Græciam, ibique incisis sponte venis periisse*. Sed rectene *Scribonianos* hic legimus? non opinor. Taciti loco dicto *Scribonios* habes: et in Xiphilino Σκριβωνίων. Lips. *Scribonios* plane MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. Itaque bene recepere Ryckius et J. Gronov. Mox quod Rhenanus corrigere se dicit *Vibium Crispum*, id et aliæ ante habent edd. nam in ed. Alc. *Crispium* manifeste est vitium operarum. Ed. pr. *Jubium*, inversa, ut sæpe, prima syllaba. Ern. Bud. male *urbium scripsum*: et paullo ante *perturbant*. Scribonios istos *Rufum* et *Proculum* cognominatos fuisse, docet Xiph. l. c.

*Fatigabatur*] Sola ed. pr. *fatigarctur*: quod non spernendum. Mox verba *miscendo, quæ defendere nequibat*, sic accipienda sunt: dum iis, quæ in Vibium Crispum conferebat, admiscet ea, quæ abnuere ipse ac defendere non poterat, eaque cum Vibio communicat, impunitatem obtinuit societate alterius. Sic Or. 5. *non patiar, Maternum societate plurium defendi*. Ern.

*Vipstanus Mess.*] Sic cum Ryckio, ut alibi, edidimus MSS. et edd. inde a Puteol. usque ad Lips. *Vipsanus*. At ed. pr. (et cod. Bud.) *Viptanus*. Quibus lectionibus comparatis, prorsus confirmatur correctio Ryckiana, quam lapides veteres etiam desiderant: sed jam supra pluribus locis sic correctum est. Ceteræ edd. *Vipsanius* inde a Lipsio. Ern.

*Aquilio Regulo*] Est omnino ille Regulus, Plinio in Epistolis 1, 5. 2, 20. 4, 2. 6, 2. meritissimo flagellatus, et alibi *bipedum nequissimus* dictus. Observa ergo de Messala diversissimo fratre. Lips. Mox MS. Agr. ed. pr. *Orfita*. MS. Guelf. *Orficii*. Ern. Bud. *Orphici*.

*Sponte ex SC.*] Non de nihilo ambigit Rhenanus. Si enim ex SC. subiit, quomodo sponte? Divinat *sponte ex se*. Haud inepte. Quid si, *sponte, nec SC*. Lips. *Ex se* plane MS. Agr. sed ea lectio ταυτολογίαν ineptam, meo sensu, habet. Lipsiana ratio melior, probata et Pichenæ: nec tamen mihi satisfacit. Gruterus insititium putat: quod non adeo displicet. Sed non ex eo natum hoc ἐμβλημα putem cum Grutero, quod aliquis *sponte* interpretatus erat in libro scripto *ex se*. Facilius τὸ *ex se* per *sponte* glossator explicuerit, quam hoc per illud: sed potuit aliquis ad explican-

modum, nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur. Et Sulpicia Prætextata, Crassi uxor, quatuorque liberi, si cognosceret Senatus, ultores aderant. Igitur Messala non caussam, neque reum tueri, sed periculis fratris semet opponens, flexerat quosdam. Occurrit truci oratione Curtius Montanus, eo usque progressus, ut, "post cædem Galbæ, datam interfectori Pisonis pecuniam a Regulo, adpetitumque morsu Pisonis caput," objectaret. "Hoc certe," inquit, "Nero non coegit, nec dignitatem, aut salutem, illa sævitia redemisti. Sane toleremus istorum defensiones, qui perdere alios, quam periclitari ipsi, maluerunt. Te securum reliquerat exsul pater, et divisa inter creditores bona, nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret: libidine sanguinis et hiatu præmiorum ignotum adhuc ingenium, et nullis defensionibus expertum, cæde nobili inbuisti: cum ex funere Reipublicæ raptis Consularibus spoliis, septuagies sestertio saginatus et sacerdotio fulgens, innoxios

dum *sponte* adscripsisse, *non ex SC.* et hinc illud ἔμβλημα nasci. Sed hæc incerta sunt, sine libris. Vitiosum quidem esse vulgatum, de eo non ambigitur. Post *subisse* dedimus pro *subitisse* e MSS. Harl. Oxon. ed. Puteol. ERN. Pich. conjicit *sponte, nec Senatu consulto.* Bip. legunt *sponte antequam ex SC.* ex similitudine vocum alteram omissam a librario rati. Addunt, sæpius datos a Senatu patronos se excusasse. Id et de adcusatoribus valet. Innuit ergo hic Tacitus, decretam sibi SC. adcusationem avide adripuisse Regulum; quæ est interpretatio Huetii, vera, ut puto. Itaque verba *ex SC.* cancellis, quibus incluserat Ernesti, libero, et sanum esse locum pronuntio cum Broterio.

*Crassi uxor*] Vox *uxor* abest Rom. edit. Rectissime. Vix enim aliter prisci locuti aut scripsere, quam Terentia Tullii, Livia Drusi, etc. cum intelligant uxorem. LIPS. MSS. quidam (in his Bud.) et ed. pr. *supplicia*, vitiose. At *uxor* et a MS. Agr. abest. ERN. Bud. habet. Parum refert.

*Curtius Montanus*] Ejus mentio apud Juven. Sat. 4, 107.

*Appetitumque morsu*] Copulam *que* addidit ex Flor. Pichena: quam habet et ed. pr. (non Bud.) Mox *hoc certe* e Flor. Agr. Ryckius. Consentit ed. pr. Ceteri libri omnes (etiam Bud.) *hæc certe.* ERN.

*Aut salutem illa sævitia*] Ex ductu scripturæ Vaticanæ restitui. Nam ibi, *nec dignitatem hausta litem.* Vulgo, *nec dignitatem aut ista lucem.* LIPS. Vaticano consentit ed. pr. et MS. Guelf. sed a man. sec. ERN. Bud. *aut ista lucem*, sed pro *aut ista* videtur adfuisse *hausta.*

*Consularibus spoliis*] Eo dictum, quia Consulatum acceperat, præmium accusationis. Nam ita obtinebat, ut accusanti et damnanti non pecuniæ solum merces esset, sed et honoris aut Magistratus, quem reus habuisset. Dio 46, 49. de accusatoribus percussorum Cæsaris, pulchre, Χρήματά τε γὰρ ἐκ τῆς τοῦ ἀλόντος οὐσίας, καὶ τὴν τιμὴν, ἢ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐκείνου, εἴ τινα ἄρα ἔσχων ἦν, ἐλάμβανον. Tacitus sæpe indicat et clare, initio libri 1. *Nec minus præmia delatorum invisa, quam scelera: cum alii Sacerdotia et Consulatus, ut spolia, adepti, Procurationes alii et interiorem potentiam, agerent, ferrent cuncta.* LIPS. Immo Consulatum nondum adeptus erat Regulus; quippe mox diserte *Quæstorius* vocatur. *Spolia Consularia* sunt præmia, quæ, everso per accusationem Consulari, acceperat. ERN.

*Septuagies sestertio signatus*] Volebam *dignatus:* ut in Virgilio 3, 475. *Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo:* et ipso alibi Cicerone. At nunc placet magis Faerni conjectura, *saginatus.* LIPS. Sic et Scaligero (Ursino, Pichenæ, aliis) placebat. Recepit Berneccerus: scr. (etiam Bud.) et edd. ante omnes *signatus*, nisi quod Lipsius in prioribus edd. et adhuc in tertia *dignatus* edidit, quod inde in Pichenæ ed. fluxit. Postremis edd. Lipsius *signatus* reposuit. ERN. Rhen. conjiciebat *designatus.*

pueros, inlustres senes, conspicuas feminas eadem ruina prosterneres: cum segnitiam Neronis incusares, quod per singulas domos seque et delatores fatigaret: posse universum Senatum una voce subverti. Retinete, Patres conscripti, et reservate hominem tam expediti consilii, ut omnis ætas instructa sit, et quomodo senes nostri Marcellum, Crispum, juvenes Regulum, imitentur. Invenit etiam æmulos infelix nequitia: quid si floreat vigeatque? Et quem adhuc Quæstorium offendere non audemus, Prætorium et Consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderant, qui Tiberio, qui Caio, superstites fuerunt: cum interim intestabilior et sævior exortus est. Non timemus Vespasianum: ea Principis ætas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla, quam mores. Elanguimus, Patres conscripti, nec jam ille Senatus sumus, qui, occiso Nerone, delatores et ministros more majorum puniendos flagitabat. Optimus est, post malum Principem, dies primus."

XLIII. Tanto cum adsensu Senatus auditus est Montanus, ut spem caperet Helvidius, posse etiam Marcellum prosterni. Igitur a laude Cluvii Rufi orsus, qui, perinde dives et eloquentia clarus, nulli umquam sub Nerone periculum facessisset, crimine simul exemploque Eprium urgebat; ardentibus Patrum animis. Quod ubi sensit Marcellus, velut excedens curia: "Imus," inquit, "Prisce, et relinquimus tibi Senatum tuum: regna, præsente Cæsare." Sequebatur Vibius Crispus; ambo infensi, vultu diverso; Marcellus minacibus oculis, Crispus renidens; donec adcursu amicorum retraherentur. Cum glisceret certamen, hinc multi bonique, inde pauci et validi, pertinacibus odiis tenderent, consumptus per discordiam dies.

*Retinete P. C. et reservate* etc.] Imitatio bella Ciceronis Verr. 2, 31. ERN.

*Consularem visuri sumus*] Lipsius in margine *ausuri*. Vulgatum bene habet, et *videre* sic eleganter passim dicitur pro ferre, tolerare, perpeti. Mox ed. pr. *exceptus est*, pro *exortus*. ERN. Bud. *exortus*.

*Exempla, quam mores*] Inepta aut nihili sententia. Rodolphus, *quam homines*. Vis ad verum duci? lege, *amores*: tum alteram litteram divide, habes *auctores*: id est, rem et sententiam meram. O quam levia sæpe turbant! LIPS. Mihi, uti Ryckio, vulgatum sanum videtur. Malorum exemplorum vis, inquit, longius durat, quam virtus bonorum Principum. Mox MS. Agr. ed. pr. *elanguemus*. Vulgatum melius puto. ERN. *Homines* in cod. Agr. non est nisi a 2. m. prius videtur fuisse *mores*. Bud. *mores*: et mox *elanguimus*.

*Periculum facessisset*] MS. Harl. Agr. ed. pr. *fecisset*, quam formam jam aliis locis apud nostrum vidimus, A. 1, 74. 13, 33. ERN. Bud. *facessisset*.

*Marcellus*] Hic homo eloquens magis, quam sapiens aut bonus, ea vi accusatores omnes repressit, aut rejecit; et simul Vespasianum mox suum fecit. Quod idem in Vibio Crispo. Auctor Dialogi de Caussis corr. eloq. c. 5. super hac re: *Quid aliud infestis patribus nuper Eprius Marcellus, quam eloquentiam suam opposuit? cum accinctus et minax disertam quidem, sed inexercitatam ejusmodi certaminum et rudem, Helvidii sapientiam elusit.* Jam et de gratia apud Principem, ibidem de illis duobus c. 8. *Multos jam annos,...ac donec libuit, principes fori, nunc principes in Cæsaris amicitia, agunt feruntque cuncta.* LIPS.

XLIV. Proximo Senatu, inchoante Cæsare, " de abolendo dolore iraque, et priorum temporum necessitatibus," censuit Mucianus prolixe pro adcusatoribus: simul eos, qui cœptam, dein omissam, actionem repeterent, monuit sermone molli et tamquam rogaret. Patres cœptatam libertatem, postquam obviam itum, omisere. Mucianus, ne sperni Senatus judicium, et cunctis sub Nerone admissis data inpunitas videretur, Octavium Sagittam et Antistium Sosianum, Senatorii ordinis, egressos exsilium, in easdem insulas redegit. Octavius Pontiam Postumiam, stupro cognitam et nuptias suas abnuentem, inpotens amoris interfecerat; Sosianus pravitate morum multis exitiosus. Ambo gravi Senatus consulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu, in eadem pœna retenti sunt. Nec ideo lenita erga Mucianum invidia. Quippe Sosianus ac Sagitta viles, etiam si reverterentur: adcusatorum ingenia et opes et exercita malis artibus potentia timebantur.

XLV. Reconciliavit paullisper studia Patrum habita in Senatu cognitio secundum veterem morem. Manlius Patruitus, Senator, " pulsatum se in colonia Senensi cœtu multitu-

*Cæptam libertatem*] Prisci libri *cæptatam*: ex quo velim *cæptam tantum*. LIPS. *Cæptatam* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. sqq. usque ad Rhenani secundam, in qua errore operarum *ceptam* editum, unde in Lipsianas venit et alias. Pichena vetus reddidit. Sed ed. pr. *cæptam voluntatem*. ERN. In nota Lipsii iterum grave mendum, utrique Gronovianæ et Ernestinæ editioni inhærens, sustuli.

*Octavium Sagittam*] Adjiciunt *Sabinum* Flor. (Bud.) Guelf. Harl. Oxon. Agr. etc. ed. pr. Puteol. Ber. Alc. *Octavium Sabinum Sagittam*. Supra A. 13, 44. dicitur modo, *Octavius Sagitta*. Sed, in tanto librorum consensu, addendum putavi. ERN. Sed is consensus parum probat, cum constet, omnes ex uno Flor. fluxisse. Sic et Bip. Intrusum nomen ejecit et Lall.

*Manlius Patricius*] Vatic. et Rom. *Patruitus*. Fortasse *Patruinus*: quod nomen in Symmachi epistolis plus semel leges. LIPS. *Patruitus* etiam Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. et simul *senator*. Illud Pichena, hoc J. Gron. recepit. Vulgo *senatorii ordinis*, quod e c. 44. natum videtur. Guelf. *ordinis senatorum*. Veteres libri scr. et edd. etiam *Malius* vel *Mallius*, usitata in vett. libris scriptura in hoc nomine. ERN. *Senator* vel *ordinis Senatorii* deest in Bud. Idem *Manlius*, bene.

*Pulsatum se in colonia*] Grande priscis illis moribus crimen: nam nec convicio Senatorem aspergere licebat impune. Arnobius l. 4. p. 150. *Magistratum in ordinem redigere, Senatorem aut convicio prosequi, suis esse decretis periculosissimum pœnis*. Salvianus l. 6. *Illustrem ac præpotentem virum nequaquam exhonorari a quoquam licet; et si quisquam exhonoraverit, decretis legalibus reus sistitur, et injuriarum auctor jure damnatur*. LIPS. Quid intersit inter *pulsare* et *verberare*, docet Ulpianus D. 47. t. 10. l. 5.

*Colonia Senensi*] *Seniensi* in Vatic. semper. LIPS. Item Fl. Agr. Guelf. ubi *Senihensi*. Ed. pr. *Semensi*, vitiose sive pro *Senensi*, sive pro *Seniensi*: Ceteræ edd. omnes ante Lips. *Senensi*: ut MSS. quatuor ap. Broterium. A Senis (Etruriæ oppidum est) fieri *Senensis* et *Seniensis*, putat Ryckius. Atque etiam ipsam urbem *Seniam* dictam, voluit ex inscr. antiqua docere J. Gronovius: quibus et adstipulatur Cellarius in Geogr. ant. 2, 9. Mihi tutius visum est, cum Broterio sequi usitatam scripturam hujus nominis et MSS. qui eam retinent, quam qui ab ea abeunt; præsertim cum scirem, quam sæpe et varie nomina hominum et locorum in libris scriptis et edd. vitiata sint; inprimis in libris Plinii majoris. ERN. Bud. hic *Seniensi*, mox *Semensium*. Equidem Broterio et Ernestio adstipulor. Ut enim a Verona non fit Veroniensis, sic nec a *Sena Seniensis*. Dictam autem *Senam* coloniam, etiam e Strabone patet, qui l. 5. p. 227. Σήναν

dinis et jussu Magistratuum," querebatur: " nec finem injuriæ hic stetisse: planctum et lamenta et supremorum imaginem præsenti sibi circumdata cum contumeliis et probris, quæ in Senatum universum jacerentur." Vocati, qui arguebantur Et, cognita caussa, in convictos vindicatum. Additumque SC. quo Senensium plebes modestiæ admoneretur. Iisdem diebus Antonius Flamma Cyrenensibus damnatur lege repetundarum, et exsilio ob sævitiam.

XLVI. Inter quæ militaris seditio prope exarsit. Prætorianam militiam repetebant a Vitellio dimissi, pro Vespasiano congregati: et inlectus in eandem spem, e legionibus miles promissa stipendia flagitabat: ne Vitelliani quidem sine multa cæde pelli poterant; sed inmensa pecunia dicebatur, qua tanta vis hominum retinenda erat. Ingressus castra Mucianus, quo

adpellat. Male huc trahunt titulum a Gronovio citatum et a Fabretto p. 712. et Grutero p. 372, 7. productum. Is enim ad *Seniam* Dalmatiæ spectat, teste Appiano p. 367. qui primus dedit. Hanc *Seniam* non esse Taciti vel inde constat, quod Plinius 3, 21 (25). non coloniis eam adnumerat, quum contra istam Etruriæ ib. 5 (8). *coloniam* dicat *Senensem*.

*Cognita caussa*] In Freinsh. ed. 2. *jussa* male, idque et in ed. J. Fr. Gron. sic servatum.

*In convictos vindicatum*] Imitari videtur Sallustium Cat. 9. et aliis locis. Sed tamen et Cicero hac forma usus est: ut Verr. 5, 50. ERN.

*Cyrenensibus damnatur*] Pro *a Cyren.* ut corrigi volebat vir doctus in marg. Gryph. *Damnare* quo sensu hic accipiendum, supra dictum A. 3, 36. Sed *Cyrenensibus* primus edidit Rhen. (ex ingenio) MSS. et edd. ante Rhen. *Cyrensibus*, vel *Cirensibus*. In MS. Agr. supra scriptum *Cretensibus*. Nihil in silentio aliorum de hoc Flamma scriptorum, certi dici potest. ERN.

*Prætorianam militiam*] De hoc loco agit Perizon. de Prætor. diss. 2. p. 134. ERN.

*Lectus in eandem spem*] Sic libri: nisi quod ed. pr. *lectus eadem specie*, vitiose pro *spe*: quod eodem redit. Sed pro *lectus* Muretus malebat *erectus*: quod placebat etiam Ursino. *Erecti in spem* dicuntur, qui sua sponte spem concipiunt. At hic promissa stipendia flagitant; quod indicio est, iis spem Prætorianæ militiæ factam. Itaque malim *illectus* vel *allectus*, ab *allicere*. In spem allicere est usitata bonis scriptoribus phrasis. Fraudi fuere verba *e legionibus*, quæ ad participium referebant librarii, cum ad *miles* referenda sint. *Miles e legionibus* est legionarius, ut alibi. Facta erat legionariis spes Prætorianæ militiæ, ut eo firmiores essent et constantiores in partibus Flavianis. *Promissa stipendia* sunt stipendia Prætoriana, militia Prætoriana. ERN. Ursinus vulg. dicit esse *electus*, quod nuspiam reperio. *Inlectus* cum Bip. recipio.

*Pelli poterant*] In MS. Flor. sequuntur verba *sed immensa pecunia fer-* item in Guelf. in quo est *ferunt*, et ed. pr. in qua *fer*: quod idem est. In Agr. alia verba adduntur e c. 53. sed post hæc transpositio in tribus prioribus libris. Sequuntur enim e c. 52. *ne criminantium nunciis*, usque ad finem c. 53. *retinenda erat*. Puteolanus eo ordine, qui nunc est, edidit. ERN. Scil. sic, ut post *pelli poterant* statim sequatur *Ingressus castra* etc. Ita plane habet Bud. cod. et Puteol. editio cum seqq. absque illa transpositione, quam e cod. Flor. notavit Pich. (de Guelf. et Agr. dubitare licet) Verba, quæ in cod. Agr. adduntur, sunt ista: *sed immensa pecunia tanta vis hominum retinenda erat*. Ex quibus collatis cum iis, quæ ex cod. Flor. et Guelf. referuntur, Bip. quos lubens sequor, acute non minus quam vere locum nostrum ita refingunt: *sed inmensa pecunia dicebatur, qua tanta vis hominum retinenda erat*, ubi *dicebatur* loco τοῦ *fer*(*ebatur*) Flor. pro *promittebatur*: ut apud Nonium 4, 122. Ceterum verba ista: *quo tanta vis hominum retinenda erat*, capiti 53. nullatenus convenire, sensit non nemo interpretum. Sic Guerin non videre se ait, quid *altitudo templo adjecta ad tantam vim hominum retinendam* faciat. In Bud. τῷ *ingressus* 2. m. adjecit *post hæc*.

rectius stipendia singulorum spectaret, suis cum insignibus armisque victores constituit, modicis inter se spatiis discretos. Tum Vitelliani, quos apud Bovillas in deditionem acceptos memoravimus, ceterique per urbem et urbi vicina conquisiti producuntur prope intecto corpore. " Eos" Mucianus " diduci, et Germanicum Britannicumque militem, ac si qui aliorum exercituum, separatim adsistere," jubet. Illos primus statim adspectus obstupefecerat: cum ex diverso velut aciem, telis et armis trucem, semet clausos nudosque et inluvie deformes, adspicerent. Ut vero huc illuc distrahi cœpere, metus per omnes et præcipua Germanici militis formido, tamquam ea separatione ad cædem destinarentur: prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, " ne desererentur soli, neu, in pari caussa, disparem fortunam paterentur:" modo Mucianum, modo absentem Principem, postremum cœlum ac Deos obtestari: donec Mucianus, " cunctos ejusdem sacramenti, ejusdem Imperatoris milites" adpellans, falso timori obviam iret. Namque et victor exercitus clamore lacrimas eorum juvabat. Isque finis illa die. Paucis post diebus, adloquentem Domitianum firmati jam excepere. Spernunt oblatos agros: " militiam et stipendia" orant. Preces erant, sed quibus contradici non posset: igitur in Prætorium accepti. Dein, quibus ætas et justa stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam; sed carptim ac singuli: quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur.

XLVII. Ceterum verane pauperie, an uti videretur, actum in Senatu, " ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur." Præpositusque ei curæ Poppæus Silvanus: nec multo post necessitas abiit, sive omissa simulatio. Abrogati

*Stipendia spectaret*] Usitatius dixissem *nosceret:* ut *caussas noscere* dicunt, et similia. Mox *cum insignibus suis* v. ad c. 29. Infra pro *separatim* MSS. Flor. Guelf. ed. pr. *separati;* omissa virgula supra litera ultima: nam vulgatum verum haud dubie. Sic supra 3, 59. *contemti* pro *contemtim* vidimus in libris. ERN. Bud. *separatim.* Idem et Agr. *deduci*, male.

*Ad cædem destinarentur*] Sic edidit (e Bud.) Rhen. Ante editi omnes et Guelf. *destinaretur.* ERN.

*Prensare commanipularium*] Ita lego: non tamen male, *prensare commanipulares, pectori, cervicibus innecti.* LIPS. Consentit lectioni Lipsianæ Flor. item Guelf. in quo tamen *prensare* est in margine tantum. At Agr. ed. pr. *injecta*, ed. Puteol. Ber. Alc. Ald. *injecti:* quod placet Ryckio (et Grut.). Rhen. Gryph. *invecti:* et ante *cum manipularium:* Aldus *cum prehensare manip.* Pro *pectora* Acidalius malebat *dexteras.* Ego vulgatum probo. *Prensare* dicitur pro amplecti, ut *ambire pectora*, apud Lucanum 8, 67. Deinde *innecti cervicibus* eleganter, ut Ann. 12, 47. *implicare dextras.* ERN. In Bud. *prensare* deest, quod more suo perperam tuetur Rhen. Tò *innecti* debetur Lipsio. Mox Agr. *postremo.*

*Spernunt oblatos agros*] *Sibi* addidit (e Bud.) Rhenanus: quod bene delevit Pichena. *Militiam* intellige inter Prætorianos, et *stipendia* Prætorianorum, qui mox *Prætorium* vocantur, ut recte explicat Perizon. l. c. ERN. *Sibi* abest a Flor. et aliis, nec Put. habet, nec Alc.

*Sexcenties HS.*] Faciunt 12,000,000 libr. Franc. Apud Suet. Vesp. 16. legitur perperam *quadringentics* (pro *quadragies*) *millies*, ut viri docti bene notarunt.

*Poppæus S.*] V. ad 2, 86. hic quoque eadem librorum varietas. *Curæ* abest

inde, legem ferente Domitiano, Consulatus, quos Vitellius dederat: funusque Censorium Flavio Sabino ductum: magna documenta instabilis Fortunæ, summaque et ima miscentis.

XLVIII. Sub idem tempus L. Piso Proconsul interficitur. Ea de cæde quam verissime expediam, si pauca supra repetiero, ab initio caussisque talium facinorum non absurda. Legio in Africa auxiliaque tutandis Imperii finibus, sub D. Augusto Tiberioque Principibus, Proconsuli parebant. Mox C. Cæsar, turbidus animi, ac M. Silanum, obtinentem Africam, metuens, ablatam Proconsuli legionem, misso in eam rem Legato tradidit: æquatus inter duos beneficiorum numerus et,

a MS. Agr. ed. pr. ERN. Bud. habet *curæ*. Idem *Pompeius*.

*Legem ferente*] Ne tirones errent, relatio in Senatu facta intelligenda, ut alibi monitum. v. A. 11, 13. Vitiose Guelf. (Bud.) ed. pr. *abroganti*. ERN.

*Summaque etiam miscentis*] Rodolphus acute *summaque et ima miscentis*. LIPS. Immo MS. Agr. Recepit Bernecerus. Mox *pro Consule* Flor. ed. J. Gronov. Sic fuit et in Guelf. sed litera ultima erasa est. ERN.

*Si pauca supra petiero*] Rhen. (ex ingenio) et Muretus emendant *repetiero*, quo verbo in hac phrasi alibi noster usus est. ERN. V. A. 16, 18. Omnino *repetiero* rectius. Acid. putat prius leg. *brevissime* vel *quam potero verissime*.

*M. Silanum*] Dio 59, 20. hæc in rebus Caii mire confundit ac miscet. Nec M. Silano Proconsule evenisse divisionem hanc vult, sed ipso L. Pisone. Vide eum: et de hac ipsa cæde Plinium Ep. 3, 7. LIPS. Adde Wesselingium Obs. 1, 17. qui Dionem bene refellit. ERN. De *Silano* v. ad A. 13, 1.

*Beneficiorum numerus*] Proprie et ex ævi ejus usu accipe *beneficia*, promotiones ad altiores ordines sive gradus. Castrense in ea re verbum est, Livio sic usurpatum 9, 30. *Ut Tribuni militum a populo senideni crearentur: quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum et Consulum ferme fuerant beneficia*. Ciceronis etiam epistola ad Rufum Quæstorem 5, 20. *De Centurionibus tamen et Tribunorum militum contubernalibus, res est in integro; genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat*. Nec Valerius alio sensu 4, 7, 5. scripsit. *Ad Equestrem ordinem et splendidæ militiæ stipendia P. Cælii beneficio pervenerat*. Item Suetonius Tib. 12. clare: *Venit in suspicionem, per quosdam beneficii sui Centuriones*. Noster adæque 1, 25. *Primores militum, per beneficia Nymphidii ut suspectos*. Hi tales beneficiarii dicti. Cæsar B. C. 1, 75. *Petreius cum Prætoria cohorte barbarisque equitibus paucis, beneficiariis suis*. Passim in lapidibus: BF. COS. et BF. PR. PR id est, *Beneficiarius Consulis. Beneficiarius Prætoris. Beneficiarius Præfecti Prætorio*, aut *Proprætoris*. Vegetius restringere nomen videtur: et *beneficiarii*, inquit 2, 7. *ab eo appellati, quod beneficio Tribunorum promoverentur*. Et ad ejus mentem in lapidibus lego ista. In Piceno: (ap. Grut. 551, 3.) BENEFICIARIUS. TRIBUNI. DEINDE. OPTIO. IN. CENTURIA. Romæ: (ib. p. 538, 8.) CORNELIO. MARCIANO. MILITI. COHORT. XII. URB. BENEF. TRIBUN. Abiisse in aliud officii nomen videtur, ex Tertulliano de Fuga c. 13. *In matricibus beneficiariorum et curiosorum inter tabernarios et lanios et aleones et lenones Christiani quoque vectigales continentur*. LIPS. Et Pancirollus ad Notit. Dign. Occ. c. 9. volebat corrigi *beneficiariorum*: male. Nam hoc posterioris ætatis verbum. Sed, ut hoc obiter addam, duo sunt ap. veteres beneficiorum genera, quæ subinde confunduntur a doctissimis, ut h. l. ab ipso Lipsio. Alia sunt *beneficia*, quæ ad ærarium deferuntur, ad quæ spectat locus ex ep. Cic. ad quæstorem suum; alia beneficia Imperatorum aut aliorum. In illis nihil est, nisi commendatio virtutis et rei bene gestæ, quæ deponitur apud ærarium, et venit in civium notitiam, unde aditus munitur ad honores majores: in his est gradus aut honoris collatio, ut Tribunatus, Præfecturæ, Centurionatus etc. verbo honoratioris et utilioris militiæ in quocunque genere: nam et Centurionum beneficia sunt. Neque vero solum de militia dicitur, sed et aliis: velut ap. Plin. ep. 10, 48. sunt *buleutæ beneficio* Cæsaris: nam ibi aut *additi*

mixtis utriusque mandatis, discordia quæsita, auctaque pravo certamine. Legatorum vis adolevit diuturnitate officii, vel quia minoribus major æmulandi cura; Proconsulum splendidissimus quisque securitati magis, quam potentiæ consulebant.

XLIX. Sed tum legionem in Africa regebat Valerius Festus, sumptuosæ adolescentiæ, neque modica cupiens, et adfinitate Vitellii anxius. Is crebris sermonibus tentaveritne Pisonem ad res novas, an tentanti restiterit, incertum; quoniam secreto eorum nemo adfuit, et, occiso Pisone, plerique ad gratiam interfectoris inclinavere. Nec ambigitur, provinciam et militem alienato erga Vespasianum animo fuisse: et quidam e Vitellianis, urbe profugi, ostentabant Pisoni " nutantes Gallias, paratam Germaniam, pericula ipsius et in pace suspecta tutius bellum." Inter quæ Claudius Sagitta, Præfectus alæ Petrinæ, prospera navigatione prævenit Papirium, Centurionem, a Muciano missum, adseveravitque " mandata interficiendi Pisonis Centurioni data. Cecidisse Galerianum, consobrinum ejus generumque. Unam in audacia spem salutis. Sed duo itinera audendi; seu mallet statim arma, seu petita navibus Gallia, Ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet." Nihil ad ea moto Pisone, Centurio a Muciano missus,

*beneficio tuo* cum Casaub. legendum, aut *qui sunt beneficio tuo*. Ut ad Tacitum veniamus, æquatus beneficiorum numerus nihil est aliud, quam numerum locorum militarium, quæ adsignarentur arbitrio Proconsulis, fuisse inter utrumque ita divisum, ut uterque totidem crearet. ERN.

*Pravo certamine legatorum*] Distinguendum censeo: *et mixtis utriusque mandatis discordia quæsita, auctaque pravo certamine. Legatorum jus adolevit diuturnitate officii.* Hoc enim ait: dum imperant iisdem uterque suo jure sæpe contraria, discordia exorta est, et ea *pravo certamine*, dum neuter alteri concedere sustinet, *aucta*. Sed Legatorum potestas prævaluit, quia complures per annos eam curam habebant, Proconsules quotannis mutabantur, etc. GRON. Ea interpunctio est in MS. Agr. ed. pr. In Guelf. (et Bud.) omnia uno tenore sine interpunctione scripta. Recepit Ryckius, quem imitatus sum. Mox pro *jus*, Guelf. et alii ap. Broterium *vis*, quod non temere spreverim. Saltem *jus* h. l. sic dicitur. ERN. Bud. *jus*, non dubie, ut alibi. Bip. recepere *vis*. Puto rectius.

*Valerius Festus*] Plinius Ep. 3, 7. *Nuper L. Piso, pater illius, qui a Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est.* LIPS.

*Neque modica cupiens, sed affinitate Vitellii anxius*] Primum MSS. Bud. Guelf. *cupido*. Deinde Bud. *si*: Agr. ed. pr. *et*: ceteri scr. et edd. *sed*. Ryckius recepit *et*. Ambigo, utrum præferendum putem. Nihil enim in contextu reperio, unde ratio cum fiducia aliqua pronunciandi sumi possit. Itaque libros plures secutus sum. ERN. Bene Grut. præfert *et*, quia etiam hoc inter caussas, cur citius ad res novas transierit. Sic et Bip.

*Alienato erga Vesp.*] Ed. pr. *alienatam*. Post *in* ante *pace* deletam volebant Faernus, Muretus, Grotius etc. quam omnes libri exhibent. ERN. Bip. delent; sed ferri potest, judice Acidalio. Servant etiam Brot. Lall.

*Præfectus alæ Petrinæ*] In Notitia Imperii, sect. 63. *Præfectus alæ Petrianæ* legitur in Britannia, *per lineam valli*. Ubi linea valli, non aliud est, quam tractus ille ad vallum a Severo aliisque exstructum. LIPS. De *ala Petrina* v. Lips. ad A. 11, 4. ERN. Mox Bud. *omissum*, vitium e vicinia ortum.

*Cecidisse Galerianum*] Cod. Bud. *cesisse*. Unde Rhenanus *cæsos esse Galer.* corrigebat. At *cecidisse* iterum sic mox c. 51. ERN.

*A Muciano missus*] Præpositio deest in Bud. Mox Agr. *ostentaret*.

ut portum Carthaginis adtigit, magna voce læta Pisoni omina, tamquam Principi, continuare; obvios et subitæ rei miraculo adtonitos, ut eadem adstreperent, hortari: vulgus credulum, ruere in forum: "præsentiam Pisonis" exposcere. Gaudio clamoribusque cuncta miscebant, indiligentia veri et adulandi libidine. Piso, indicio Sagittæ, vel insita modestia, non in publicum egressus est, neque se studiis vulgi permisit: Centurionemque percunctatus, postquam, "quæsitum sibi crimen cædemque," comperit, "animadverti in eum" jussit, haud perinde spe vitæ, quam ira in percussorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri, cruentas Legati sanguine manus ad cædem Proconsulis retulisset. Anxio deinde edicto Carthaginiensibus increpitis, ne solita quidem munia usurpabat, clausus intra domum, ne qua motus novi caussa vel forte oriretur.

L. Sed, ubi Festo consternatio vulgi, Centurionis supplicium, veraque et falsa, more famæ, in majus innotuere, equites in necem Pisonis mittit. Illi raptim vecti, obscuro adhuc cœptæ lucis, domum Proconsulis inrumpunt, destrictis gladiis: et magna pars Pisonis ignari, quod Pœnos auxiliares Maurosque in eam cædem delegerat: haud procul cubiculo, obvium forte servum, "quisnam et ubi esset Piso?" interrogavere. Servus egregio mendacio, "se Pisonem esse," respondit; ac statim obtruncatur: nec multo post Piso interficitur. Namque aderat, qui nosceret, Bebius Massa, e Procuratoribus Africæ, jam tunc optimo cuique exitiosus, et

*Læta Pisoni omnia — continuare*] Vere Acidalius correxit *omina*. Idque adeo evidens e sequentibus, *ut eadem adstreperent*, ut recipere in textum non dubitarim: secutusque est nos Broterius (et Lall.). *Omina læta Pisoni ut Principi continuare* est, lætis ominibus eum omnibus locis, assidue, prosequi, usurpato Principis nomine et quicquid appellari Principes solent. Groslotius corrigebat *conclamare*, non adsecutus verbum vulgatum. Læta omnia nunciare poterat homo, non clamore continuare. Mox *indiligentia veri* bene correctum a Rhen. Ed. pr. (et Bud.) *indiligentia viri*. Ceteræ ante Rhen. MS. Guelf. *indulgentia viri*. ERN.

*Consternatio vulgi*] h. e. concursus in forum ex instinctu et fraude Centurionis, clamore præsentiam Pisonis exposcentium, ominibus lætis, ut Principem, prosequentium. Tironum caussa dictum. Paullo post ed. pr. *Pœnos auxiliaresque Mauros*. ERN. Cf. A. 1, 39.

*E Procuratoribus Africæ*] Ed. pr. *Procurator Af.* Si plures in Africa Procuratores Cæsaris, vulgatum præferam. Sed in Africa, Proconsulari provincia, plures fuisse, nondum reperi et vix credo. In Britannia quidem, provincia Cæsaris, unus tantum fuit, ut patet ex Agric. 15. Ann. 14, 39. Nisi forte illo tempore præter primarium Procuratorem alii minores extra ordinem missi fuere, qui certam aliquam partem rei fiscalis, sub primario Procuratore, curarent; quod interdum factum docet Bynkersh. Obs. 2, 21. extr. et variis legum, inscriptionum, locis patet. Id si non placet, et illis temporibus, præsertim in Proconsulari provincia unus tantum (nam loca, quæ afferuntur, non attingant hanc ætatem) aut lectio ed. prim. præferetur, aut *Africæ* putabitur esse a mala manu. Nam potuit esse, *Bæbius, e Procuratoribus*, pro *Procurator*, non addito provinciæ nomine: ut supra vidimus *e Tribunis*, pro *Tribunus*; quod illi male ab imperitis librariis substitutum in libris vett. notavimus: item *e Primipilaribus* pro *Primipilaris* H. 3, 70. ERN. Lall. exponit: unus ex iis, qui Procuratores Africæ fuerant.

in caussas malorum, quæ mox tulimus, sæpius rediturus. Festus Adrumeto, ubi speculabundus substiterat, ad legionem contendit, Præfectumque castrorum, Cetronium Pisanum, vinciri jussit, proprias ob simultates: sed "Pisonis satellitem" vocabat, militesque et Centuriones quosdam puniit, alios præmiis adfecit: neutrum ex merito, sed ut oppressisse bellum crederetur. Mox Oeensium, Leptitanorumque discordias componit, quæ, raptu frugum et pecorum inter agrestes, modicis principiis, jam per arma atque acies exercebantur. Nam populus Oeensis, multitudine inferior, Garamantas exciverat, gentem indomitam et inter adcolas latrociniis fecundam. Unde arctæ Leptitanis res, lateque vastatis agris intra mœnia trepidabant; donec, interventu cohortium alarumque, fusi Garamantes et recepta omnis præda, nisi quam vagi per inaccessa mapalium ulterioribus vendiderant.

LI. At Vespasiano, post Cremonensem pugnam et prosperos undique nuntios, "cecidisse Vitellium," multi cujusque ordinis, pari audacia fortunaque hibernum mare adgressi,

*In caussas malorum—rediturus*] i. e. qui postea sæpe in caussis malorum nostrorum futurus erat, sæpe acturus, quæ nos adfligerent. ERN. Cf. Plin. Ep. 7, 33.

*Ad legionem tendit*] Sequentia perfectum desiderant. *Tendit* pro perfecto non accipiam, propter ea, quæ ad Ann. 3, 24. dixi. Cogitavi olim, et hic legendum *tetendit*. Sed in ed. pr. *contendit* reperi, quod recipere non dubitavi. Sic et MS. Reg. Idem fecit Brotelius. Eadem habet mox *puniit*, quod post edidit Rhenanus (e Bud.) cum sqq. omnibus: idque est et in Flor. cum Puteol. Ber. Alc. edidissent *punit*, quod est et in Guelf. ERN. Bud. *tendit*. Mox Bud. male *obrepsisse*.

*Mox Ophensium*] Rodolphus voluit *Ruspensium*; sed a conjectura. Ophensium quidem non alibi mentio in hoc tractu: et putamus rectissime emendatum iri, *Oeensium*: statimque, *populus Oeensis*. Rem tetigi. Te advoco, C. Plini, in meam fidem et Taciti lucem: Scribis 5, 5. his ipsis verbis: *Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit. Proximo bello, quod cum Oeensibus Romani gessere, initiis Vespasiani Imperatoris, compendium viæ quatriavi deprehensum est.* Quod illud bellum sub initia Vespasiani, nisi istud? Itaque Plinio quoque prælucent clare hæc Corneliana. Tempus, situs, nomen, omnia conveniunt: et est hoc illud ipsum celebre oppidum, unde Pudentilla Apulcii, ut ipse Apologia commemorat. Scripsit et Orationem, *Pro statua sibi Oeæ locanda*. LIPS. MS. Agr. *Aspensium* non *Rusp*. Ed. pr. (et Bud. cod.) *Offens*. Lipsii correctionem recepit Ryckius; de qua v. quos laudat J. Gron. qui vulgatum servat: inprimisque Suritam ad Anton. Itin. p. 62. ed. Wessel. ibique etiam Wesselingium: unde patebit, sæpe istius urbis nomen corruptum in libris, et restitutum a doctis viris. Add. Oudend. ad Sueton. Aug. 4. extr. Sed in primis ex ed. pr. apparet, vere Suritam conjecisse de origine corruptelæ; nempe, ex *Oeensis* primum factum *Ofensis*. Etiam tabula Peuting. habet *Osa*. Pelerin Recueil de méd. Suppl. 2. p. 48. 49. e nummo antiquo in primis verum nomen defendit esse *Ocea*, inde *Ocensis*. In nummo est *Col. Aug. Oce*. Ceterum Leptis intelligenda magna, in cujus vicinia Oea. ERN. Ptol. 4, 3. Ἔα. In nummo Antonini Pii *Oea*.

*Unde arctæ Leptitanis res*] *Artæ* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. ante Rhen. qui edidit *arta*. Vetus restituit Ryckius: et hoc consuetudo Latine loquentium desiderat, ut vidit Freinshem. Dubitat J. Fr. Gronovius ad Liv. 10, 6. an recte *arcta res* sollicitetur, laudans *duram rem* e Virgilio; non dubitaturus, si consensum vett. librorum cognitum habuisset. Mox MS. Agr. *vastis*. V. ad 2, 32. ERN. Bud. *vastatis*.

*Mare aggressi*] Ferretus malebat *ingressi*, quod cuivis in mentem veniat. At vulgatum quoque rectum. ERN.

nuntiavere. Aderant legati Regis Vologesi, "quadraginta Parthorum equitum millia" offerentes. Magnificum lætumque, tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere. Gratiæ Vologeso actæ, mandatumque, "ut legatos ad Senatum mitteret et pacem esse sciret." Vespasianus, in Italiam resque urbis intentus, adversam de Domitiano famam accipit: "tamquam terminos ætatis et concessa filio egrederetur." Igitur validissimam exercitus partem Tito tradit, ad reliqua Judaici belli perpetranda.

LII. Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem sermone orasse dicebatur, "ne criminantium nuntiis temere accenderetur: integrumque se ac placabilem filio præstaret. Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus, inminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime Principibus: quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad junctissimos pertineant: ne fratribus quidem mansuram concordiam, ni parens exemplum præbuisset." Vespasianus, haud æque Domitiano mitigatus, quam Titi pietate gaudens, "bono esse animo" jubet, "belloque et armis Rempublicam adtollere: sibi pacem domumque curæ fore." Tum celerrimas navium, frumento onustas, sævo adhuc mari committit. Quippe tanto discrimine urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Vespasiano commeatus subvenere.

LIII. Curam restituendi capitolii in L. Vestinum confert,

*Quadraginta Parthorum*] Nec nimis pro illo Rege et militia totius gentis equestri. Idem numerus in Suetonio c. 6. *Vologesum promisisse XL millia sagittariorum.* Non pugnat: nempe equites illi sagittarii, ut solent, et hippotoxotæ. Quidam tamen libri in Suetonio XV. M. nec audio. LIPS.

*Suum cuique sanguinem indiscretum*] h. e. liberos cujusque esse ei arctissimo vinculo conjunctos, ut omnia parenti liberisque communia sint. Mox *parens* pro *pater* edidi e Flor. Bud. Agr. ed. pr. Post *attolleret* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Alc. male. ERN. Bud. *attollere*, sed male ibi deest *jubet.*

*A Vesp. commeatus subvenere*] Tum cusum fuisse a Corinthiis nummum in honorem Domitiani, in cujus postica corona spicea cum epigraphe PERM. IMP. GERM. tradit Vaillant in NN. Col. t. 1. p. 139. Verum *Germanici* titulus non ante a. u. 836. Domitiano est inditus, ut bene docet Eckhel in Doctr. NN. vet. t. 6. p. 397.

*Curam restituendi capitolii confert*] Confert in illum jam dictum. Sed adfuit igitur Vespasianus, an abfuit? Adfuisse Suetonius fortiter dicit c. 8. *Ipse restitutionem capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus admovit primus, ac suo collo quædam extulit.* Simile et in Dionis compendio legas 66, 10. At Taciti verba et narratio aliorsum eunt, et omnia sunt, ut Vespasiano absente. Si præsens, cur in alium transfert? cur nec nominatur quidem? cur cetera omnia, quæ temporum serie narrantur, illo absente gesta? Ego nihil nisi pugnam manifestam hic video, et libens audiam (paci amicus sum) conciliantem. LIPS. Quæ vel pro Tacito, ut a Savilio ad h. l. vel contra eum ab aliis dicta sunt, aut quomodo conciliare cum Suetonio aliisque tentarint viri docti, veluti Ph. a Turre ap. Burm. ad Suet. T. Vesp. 8. non referam. In MS. Guelf. ante *curam rest. C.* est spatium vacuum duorum versiculorum, et par in fine loci hujus de capitolio. Porro, ut supra diximus

Equestris ordinis virum, sed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti Haruspices monuere, " ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur: templum iisdem vestigiis sisteretur: nolle Deos, mutari veterem formam." Undecimo Kal. Julias, serena luce, spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. Ingressi milites, quis fausta nomina, felicibus ramis: dein virgines Vestales, cum

ad c. 46. in MSS. et ed. pr. sunt verba *sed immensa pecunia ferunt*, eaque paullo ante transpositionem, de qua ibi dictum: adde dicta ad extrema hujus capitis. Quæ mihi suspicionem movere, hoc caput aliunde, h. e. ex sequente libro huc translatum esse, aut saltem aliquid ante id omissum. Nam clarum satis est ex initio statim capitis, curam reficiendi capitolii Vespasiano fuisse mandatam. Id autem ubi dictum est? Res autem est tanta, ut a Tacito præteriri non potuerit. Nam quæ c. 9. extr. dicuntur, non sufficiunt. Neque facile credam, absente Vespasiano de ea re aliquid esse statutum. At hoc tempore nondum Romæ fuisse, sed circa finem æstatis demum, eo venisse, series tota rerum declarat. Vid. c. 81. Joseph. Bell. Jud. 7, 4. Pagius quidem non dubitat, advenisse Romam mense Septembri. Sed hæc de conjectura; quam incertam esse facile largiar. Et sunt alia de capitolio instaurato ambigua etiam in Josepho, de quibus jam dicere nil attinet. ERN. De restituendo capitolio jam anno superiori in Senatu actum. Cf. c. 4. et 9. Quam parum concordent scriptores in omni hoc restituti capitolii negotio narrando, docet etiam Reimarus ad Dionem l. c.

*L. Vestinum Equestris ordinis*] Estne ille, de quo oratione pro Gallis Claudius Cæsar? *Ex qua colonia* (Viennensi) *inter paucos Equestris ordinis ornamentum L. Vestinum familiarissime diligo.* Ego puto: idque paullo certius, quam eundem Martiali intelligi 4, 73. *Cum gravis extremas Vestinus duceret horas, Et jam per Stygias esset iturus aquas, Ultima volventes oravit pensa sorores, Ut traherent parva stamina pulla mora... Tum, largas partitus opes, a luce recessit: Seque mori post hoc credidit ille senem.* Nam hic fuerit potius filius ejus, qui videtur e clausula juvenis obiisse. LIPS.

*In paludes aveherentur*] Ed. pr. *adveherentur*: male. Vid. ad 16, 2. ERN.

*Ingressi milites*] Acidalius hæc cum antecedentibus conjungenda putabat, et sic in ed. pr. reperi. ERN.

*Quibus fausta nomina*] Non, *omina*, ut vulgo. Vaticanus ita jubet et mos religionis priscæ; quibus magnæ curæ, ut in his talibus initiis homines præessent bono nomine: id est, e quorum nominibus captari velut augurium aliquod posset prosperitatis et diuturnitatis. Talia sunt Salvius, Longinus, Statorius etc. mala contra, e quibus triste aliquod, infirmum, breve, ut Curtius, Minucius, Furius, Hostilius. Cicero de Divinat. 1, 45. *Cum Imperator exercitum, Censor populum, lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Plinius 28, 2 (5). *Publicis lustris etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus.* Tale vaticinium lenonis illius Plautini, in Lucride Persa 4, 4, 73. *Nomen atque omen quantivis est pretii... Mihi quoque Lucridem confido fore te.* Adi et Festum in Lacus Lucrinus. LIPS. Firmant MSS. Flor. Vat. Reg. ed. pr. sed insuper *quis*. ERN. Bud. *quibus fausta nomina*, ubi 2. m. τὸ *nomina* mutare parabat in *omina* vel *omnia*. Bip. legunt *qui* per adpositionem pro *quibus*, et provocant ad verba cit. Plinii. Sed in his eo sensu dicendum fuisset *ducentia*, non *ducentium*. Sic et Cicero l. c. non dicit *bona nomina*, sed *bonis nominibus*. Falso Ryckium Flor. codici tribuere *qui*, testatur Jac. Gronov.

*Felicibus ramis*] Id est, e felici arbore (Dis grata, interpretatur Macrobius 2, 16.) decerptus. Ammianus in religione simili 29, 1. *Linteis quidam indumentis amictus, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans.* Huic usui maxime laurus. Livius l. 40, 37. *Omnes coronati et laurean in manu tenentes supplicaverunt.* Suidas: Λίσακος. ὁ κλάδος τῆς δάφνης, ὃν κατέχοντες ὕμνουν τοὺς θεούς. LIPS. Locus a Lipsio productus non Suidæ est, sed Hesychii.

pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua, vivis e fontibus amnibusque hausta, perluere. Tum Helvidius Priscus, Prætor, præeunte Plautio Æliano, Pontifice, lustrata suovetaurilibus area et super cespitem redditis extis, " Jovem, Junonem, Minervam, præsidesque Imperii Deos" precatus, " uti cœpta

*Aqua perluere*] Solenni et usitata lustratione, publice privatimque recepta. Tertullianus de Bapt. c. 5. *Cæterum villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim.* Huic rei et περιῤῥαντήρια vasa in templis, aqua lustrali plena, qua Sacerdotes aut æditui intrantes aspergerent, aut etiam ipsi sese. Sozomenus 6, 6. Θαλλούς τινὰς διαβρόχους κατέχων ὁ Ἰερεὺς, νόμῳ Ἑλληνικῷ περιέῤῥαινε τοὺς εἰσιόντας. Ovidius Fast. 4, 728. *Udaque rorales laurea misit aquas.* Insignem ad hanc ablutionem locum abluo, Asconii In Divinationem: *Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum mortuorum, ut Dodonæi Jovis aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur.* Fallor, aut τὸ *mortuorum*, ab inepto glossographo est: nec aliunde delubra derivari vult, quam ab ista in templorum vasis aqua ad deluendum. Lips. Ceterum lectio hæc est e correctione Rhenani. Firmatur tamen initium *aqua rivis* MS. Guelf. Ceteri libri *trimis* vel *trinis*: quod repetitione fortuita natum e voce *matrimis*. Ryckius corrigit, *e vicinis f. a.* e Cic. N. D. 3, 20. Poterat addi Liv. 1, 45. extr. Ferri posse vulgatum videtur, at periphrasis aquæ vivæ per μερισμόν. Et videri possunt hæc sumta ex inscriptione aut SC. in quibus talia reperiri, satis constat: sed verissime emendavit J. Gronovius *vivis e fontibus a.* præsertim, cum τὸ *e* sit in iisdem libris antiquis. Idque recepimus. Voluit et ipse exprimi; sed operæ non paruerunt. Nihil tritius vivo flumine in sacris. Vid. Gron. ad h. l. In extremo omnes scr. et edd. ante Rhen. *plucre*, pro quo Ant. Augustinus malebat *perpluere*, quod magis placet quam *perluere*. Etenim adspersio illa fuit areæ lustrandæ caussa, de quo *perpluere* dici potest, non *perluere*. Ern. Puteol. et Alc. *a quatrimis et font.* Bud. *aquarinis et font.* Unde Rhen. fingebat *aqua rivis et font.* Ant. Augustinus dabat *aqua e rivis et font.* Rhenanum secuti sunt editores, donec scitam Jac. Gronovii conjecturam reciperet Ernesti, quem imitati recentiores. Præpositio *e* loco τοῦ *et* debetur Flor. Habet et Reg. Lall. Augustini *perpluere* longius petitum judicat Broterius. Bud. male *plucret.*

*Plauto Eliano*] Sic Vatic. Barbare vulgo *Eliatio*. Lips. Consentit ed. pr. etsi habet *Cliano*. Ryckius conjicit scribendum *Plautio Ælliano*, ut intelligatur T. Plautius Silvanus Ælianus, clarus illis temporibus vir: de quo est nota inscriptio ap. Gruterum p. 453. etiam a Ryckio ad h. l. allata et accuratius e Piranesi Antichità Rom. tab. XI. a Broterio, qui et sic edidit, ut Alemannus. Idque et nos imitati sumus. In ea et Pontificatus tribuitur Plautio. Ern. Bud. *Plauto Eliatio.*

*Lustrata bove taurisque*] Vera dictio *suovetaurilibus*. Præit Vatic. in quo, *bovetaurilibus*: et Covarruviæ, qui *bovetauribus*. Scilicet prisci in lustrationibus aut piamentis hoc sacrificii genus adhibebant, solenni ritu. Livius 8, 10. *Telo potiri hostem fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus placulum fieri.* Tacitus A. 5 (6, 37). *Sacrificantibus, cum hic more Romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni.* Cato RR. c. 141 (142). *Cum Divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi Mani, uti illace suovetaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte circumferenda censeas, uti cures lustrare.* Quæ victimæ in hoc sacro, etsi vox indicat, clare etiam Varro RR. 2, 1. *Populus Romanus cum lustratur suovetaurilibus, circumaguntur verres, aries, taurus.* Et Quinctil. 1, 5, 67. *Nam suovetaurilia jam persuasum est esse ex sue, ove, et tauro.* Solitaurilia hæc etiam dicta, docebit te Festus: nec abeunt a Græcorum veteri sacro, quod illi τριττὺς dicebant: de quo Eustathius p. 1676. ad Od. λ. 130. aliique. Lips. Flor. Agr. ed. pr. *bovetaurilibus*. Ern. Bud. *bove taurisque.*

*Super cespitem redditis extis*] Edd. Put. Ber. Alc. *secundum*: male, ut alibi quoque peccatum vidimus. *Reddere* proprium de extis verbum esse, etiam tirones scire arbitror. Ern. Rhen. e Bud. dedit *super*. Sic et Flor. et Agr.

*Jovem, Jun. Min.*] Egregie hæc illustrat nummus Vespasiani, in cujus postica templum hexastylon, statuis superne et utrinque exornatum, in cujus medio signum Jovis sedentis, cui ad

prosperarent, sedesque suas, pietate hominum inchoatas, divina ope adtollerent;" vittas, quis ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul ceteri Magistratus et Sacerdotes et Senatus et Eques et magna pars populi, studio lætitiaque connixi, saxum ingens traxere: passimque injectæ fundamentis argenti aurique stipes et metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed ut gignuntur. Prædixere Haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove, in aliud destinato. Altitudo ædibus adjecta. Id solum religio adnuere: et prioris templi magnificentiæ defuisse creditum.

LIV. Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum. Nam Civilis, omissa dissimulatione, in Populum Romanum ruere. Vitellianæ legiones vel externum servitium, quam Imperatorem Vespasianum, malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati: vulgato rumore, " a Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri:" paria de Britannia fingebantur. Sed nihil æque, quam incendium capitolii, ut finem Imperio adesse crederent, inpulerat. " Captam olim a Gallis urbem: sed, integra Jovis sede, mansisse Imperium. Fatali nunc igne signum cœlestis iræ datum, et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi," superstitione vana Druidæ canebant. Incesseratque fama, primores Galliarum, ab Othone adversus Vitellium missos, antequam digrederentur, pepigisse, " ne deessent libertati, si Populum Romanum continua bellorum civilium series et interna mala fregissent."

dextram adstat Pallas, ad lævam Juno. Exhibet eum Pedrusi ex museo Farnesio et eleganter delineatum Morellius. In nummis Antonini Pii ista Numina eodem honoris discrimine sedentia, in aliis ejusdem pro Diis ipsis propriæ singulorum aves, itemque in Lucerna fictili apud Passerium t. 1. p. 29. tres cellæ templi Capitolini, simili ordine locatæ comparent. Plura dabit ex Titi et Domitiani nummis itemque ex collatis veterum locis Eckhel in Doctr. NN. vet. t. 6. p. 327.

*Quis ligatus lapis*] Sic Flor. Alii et Bud. *quibus.*

*Nullis fornacibus victæ*] *Victæ* pro *coctæ:* nam ignis eleganter dicitur *vincere*, quæ duriora sunt et igni diu resistunt. Deinde pro *ut gignuntur* MS. Flor. ed. pr. *ut signantur*, MS. Agr. *et signanter*, quod non displicet Ryckio, sed ut cum sequentibus conjungatur, sitque *diserte*. Vulgatum verum puto, etsi id redundat. ERN. Bip. præferunt *ut signantur*, scil. a natura et insignes sunt. Id equidem non capio. Vulgatum bene habet.

*Defuisse creditum* etc.] Non credo, hæc ad præcedentia referenda: nam illa ad altitudinem operis spectant, hoc ad spatium et amplitudinem. Non satis spatiosum templum esse credebatur, in quod tanta sæpe hominum multitudo confluueret, ut eam capere non posset. Sed ita sententia non est absoluta, nec credibile, nil amplius de ædificatione capitolii dictum, unde confirmatur suspicio, ab initio indicata. ERN. Ernesti servarat hic verba: *quo tanta vis hominum retinenda erat.* Sed rectius ad c. 46. referuntur; id respice. Paullo ante Bud. *primoris templi.* De magnificentia ejus fuse Brot. in edit. majore.

*Vel externum*] *Vel* habent Flor. Agr. Guelf. ed. pr. Puteol. Ber. Alc. Restituit Pichena. Paullo post cum Ryckio et J. Gronov. recepi *finem Imperio*, pro *Imperii*, quod et ed. pr. habet. ERN. Bud. *vel extremum.* Istud *vel* in Lipsianis omissum. *Imperio* Flor. Agr. sed Bud. *Imperii.* Mox idem *versus Vitellium.* Dein Agr. *erupit.*

LV. Ante Flacci Hordeonii cædem, nihil prorupit, quo conjuratio intelligeretur. Interfecto Hordeonio, commeavere nuntii inter Civilem Classicumque, Præfectum alæ Treverorum. Classicus nobilitate opibusque ante alios. Regium illi genus et pace belloque clara origo. Ipse e majoribus suis hostis Populi Romani quam socius, jactabat. Miscuere sese Julius Tutor et Julius Sabinus: hic Trevir, hic Lingon. Tutor ripæ Rheni a Vitellio præfectus: Sabinus, super insitam vanitatem, falsæ stirpis gloria incendebatur: "proaviam suam D. Julio, per Gallias bellanti, corpore atque adulterio placuisse." Hi secretis sermonibus animos ceterorum scrutari: ubi, quos idoneos rebantur, conscientia obstrinxere, in colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt; nam publice civitas talibus inceptis abhorrebat: attamen interfuere quidam Ubiorum Tungrorumque. Sed plurima vis penes Treveros ac Lingonas: nec tulere moras consultandi: certatim proclamant: "furere discordiis Populum Romanum, cæsas legiones, vastatam Italiam, capi cum maxime urbem, omnes exercitus suis quemque bellis detineri: si Alpes

*Anteibat alios*] Brevius et verius Vatic. et Covarruviæ, *ante alios*. Sic H. 5, 12. *Templum in modum arcis, propriique muri labore et opere ante alios*. A. 1, 27. *Cn. Lentulus ante alios ætate et gloria belli*. LIPS. Consentit Flor. Agr. ed. pr. Itaque bene *ibat* a Pichena deletum. ERN. Bud. *ante alios*; sed 2. m. addidit *ibat* in margine.

*Hostis Populi Romani, quam socius, jactabat*] Sic restitui. Transmarinum et elegans dicendi genus est, *jactat esse socius*: quod plebs dixerit, jactat se socium esse. Homerus Il. 13, 54. Ἕκτωρ ὃς Διὸς υἱὸς ἐριαδνέος πάϊς εἶναι. et crebro Græci; quos sæpe et vulgo imitati Latini, sed locis hodie fere corruptis. Plautus Asinaria 3, 3, 43. *Argenti viginti minæ me modo ad mortem appulerunt, Quas hodie adolescens Diabolus ipse daturus dixit*. Ita enim consensu manuscripti; sicut et illo Bacchidibus 1, 2, 47. *Eia, nunc esse ego opinor Hercules, tu autem Linus*. Apuleium eo exemplo scripsisse censeam l. 7. *Summos illi promitterent honores habituri mihi*: nec mutem. Virgilius Æn. 2, 377.—*sensit medios delapsus in hostes*. LIPS. Consentit ed. pr. Guelf. et edd. ceteræ ante Lips. (et cod. Bud.) *is se. E majoribus* est, ad exemplum majorum suorum. Dicebat, majores suos hostes Pop. R. fuisse, eorumque exemplum se sequi. Nec absurdum, ut opinor, foret: *is e maj. s. hostis P. R. quam socios jactabat*: magis laudabat et se imitari dicebat eos, qui hostes, quam qui socii Pop. Rom. fuissent. Certe in vulgata *e majoribus suis*, durius est. ERN. Conjectura ista Merceri est, Pichenæ probata. Huetius malebat *a maj. suis*. Bip. *e maj. suis* explicant natus hostis. In Bud. a 1. m. erat *ipse*, unde 2. m. *Is se*.

*Hic Trevir, hic Lingon*] Alterum in *ille* mutari cupiunt Rhen. et Pich. quod non necessarium esse, hodie constat. V. Ryck. MS. autem Flor. habet *Lingonus*, Reg. Agr. ed. pr. *Lingonius*. Broterius suspicatur, Romanos dixisse *Lingonus* pro *Lingo* vel *Lingon*, ut habet Martialis 8, 75, 2. ERN. Bud. *Lingon*. Geminatum pronomen *hic* occurrit et ap. Virg. Ecl. 4, 56. Cic. ad Fam. 9, 16. immo supra A. 14, 8. Mox Bud. *incedebat*.

*Animos c. scrutari*] Pichena corrigebat *scrutati*, et cum sequentibus conjungebat: eleganter, sed sine libris et non necessario: mox ed. pr. *adstrinxere*, item *Tungrorum*, ut Rhenanus edidit. V. ad 2. 14. ERN. Bud. *scrutari*; quod servant Brot. Lall. Ast Bip. *scrutati*.

*Omnes exerc.—bellis detineri*] Sic edidi ex ed. pr. ex quo ab Puteol. factum *destineri*, pro quo Rhen. (e Bud.) dedit *distineri*, quod tamen est et in Guelf. *Detineri*, i.e. occupatos esse, verum est, ex iis, quæ supra ad A. 11, 12. diximus. Singula singuli exercitus bella habebant, non pluribus distinebantur, distrahe-

præsidiis firmentur, coalita libertate, dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint."

LVI. Hæc dicta pariter probataque: de reliquiis Vitelliani exercitus dubitavere. Plerique "interficiendos" censebant, "turbidos, infidos, sanguine Ducum pollutos." Vicit ratio parcendi: "ne, sublata spe veniæ, pertinaciam accenderent. Adliciendos potius in societatem. Legatis tantum legionum interfectis, ceterum vulgus, conscientia scelerum et spe inpunitatis, facile accessurum." Ea primi consilii forma: missique per Gallias concitores belli. Simulatum ipsis obsequium, quo incautiorem Voculam opprimerent. Nec defuere, qui Voculæ nuntiarent. Sed vires ad coercendum deerant, infrequentibus infidisque legionibus. Inter ambiguos milites et occultos hostes, optimum e præsentibus ratus, mutua dissimulatione et iisdem, quibus petebatur, artibus grassari; in coloniam Agrippinensem descendit. Illuc Claudius Labeo, quem, captum et extra conventum amandatum in Frisios, diximus, conruptis custodibus perfugit; pollicitusque, "si præsidium daretur, iturum in Batavos et potiorem civitatis partem ad societatem Romanam retracturum;" accepta peditum equitumque modica manu, nihil apud Batavos ausus, quosdam Nerviorum Betasiorumque in

bantur. Ante bene Rhen. (e Bud.) *cum maxime* edidit pro *tum* vel *tunc maxime*, ut aliæ habent: ed. pr. *tamen max.* ERN.

*Dispecturas Gallias*] MS. Agr. *altius desp.* ed. pr. *alias desp.* Vulgatum verum. (Bud. male *disceptas.*) Mox MSS. Bud. Agr. *reliquis.* ERN.

*Pertinaciam accenderent*] Hoc, ut mollius et Taciti stilo congruentius, recepi e MSS. Flor. Agr. ed. pr. Vulgo, *pertinacia accenderentur*: quod ferrem tamen, si esset *accenderetur*. Imitatus est Broterius. ERN. Bud. *pertinaciam attenderent*, vitiose.

*Ea primi consilii forma*] Sic edidi ex ed. pr. quod verum esse facile patet. Refertur enim ad rationem, quæ vicit. Et ante consultationis facta mentio. Alibi quoque hoc Tacito restituimus. Vulgo *concilii*. Imitatus nos est Broterius, qui et in MS. Reg. reperit. ERN. Et Lall. In Bud. *conscilii*.

*Infidique legionibus*] Non erat in cod. Budensi, sicut nec ablativus *artibus*, paullo post. Abest et a Flor. ed. pr. omittique vult J. Gronovius, negans de tam subdolis fraudibus dici. Frustra. Est imitatio Liviani loci, jam ad Ann. prolati: Annibal sentiebat, *se suis artibus peti* a Fabio. Reperit et in aliis MSS. Broterius et recepit. *Grassari* item est verbum Sallustianum et Livianum in tali re. Pro *optimum* MS. Agr. ed. pr. *opportunum*. ERN.

*Extra conventum*] Accipio, conventum socialem, ejectum ab iis omnibus, qui arma in Romanos junxissent. Si tamen pura est lectio; nam libri quidam *commentum* habent, Flor. *cōmtum*. Nihil melius elicio. LIPS. Recte se habet vulgata. Vide Observ. 3, 22. GRON. Non placet filio, quod ea vox non est in Flor. MSS. Guelf. Oxon. habent *extra continentem amnem*: quo firmatur Boxhornii conjectura *extra continentem amandatum*. Sed alias hoc dicitur tantum de iis, qui e continente in insulam maris amandantur. Ed. pr. seqq. (et c. Bud.) *commentum emendatum. Conventum* primus tacite edidit Rhenanus. ERN. Ryckius intelligit *conventum juridicum* i. e. civitatem Batavorum. Bip. conjiciunt *extra civitatem*, item *extra confinium*, quod in textum recepere. Quid, si *extra comitium?* hoc proximum libris foret. *Comitium* scil. locus, in quo negotia publica tractantur, ut Romæ olim, immo extra Romam. Nepos Ages. 4. *si privatus in comitio esset Spartæ*. Meliora exspecto.

*Bethasiorumque*] Sic Lips. edidit primus. Priores rectius sine *h*. MS. Agr. ed. pr. *Becas*. Guelf. *Bert*. ERN. Bud. *Bethasiorum*: sed sine adspiratione apud Grut. p. 520, 9. Eorum meminit et

arma traxit. Et furtim magis, quam bello, Canninefates Marsacosque incursabat. Vocula Gallorum fraude inlectus, ad hostem contendit.

LVII. Nec procul Veteribus aberat, cum Classicus ac Tutor, per speciem explorandi prægressi, cum Ducibus Germanorum pacta firmavere. Tumque primum discreti a legionibus proprio vallo castra sua circumdant, obtestante Vocula, " Non adeo turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam Imperii, et ultores Deos. Sic olim Sacrovirum et Æduos, nuper Vindicem Galliasque, singulis prœliis concidisse. Eadem rursus Numina, eadem fata, ruptores fœderum exspectarent. Melius D. Julio Divoque Augusto notos eorum animos. Galbam, et infracta tributa, ho-

Plin. 4, 17 (31). Eosdem fuisse *Betasos* cum *Aduaticis* Cæsaris, et in Brabantia habuisse sedem, Cluverius tradit Germ. ant. 2, 21. In Not. Imp. memoratur sect. 52. *cohors Vetasiorum*. In Capit. Caroli Calvi, in divisione R. Lothar. a. 870 facta, occurrit *Velsatum*, in Ann. Bertin. *Ueosatum*, in NN. Carolingorum *Uuiosatum*; id Valesio in Not. Gall. videtur esse *Weset* vel *Wiset* ad Mosam inter Leodium et Trajectum. Ibi quærendos *Betasios* Bipontini autumant. Valesius ipse in voce *Betasii* p. 77. in *Beda*, vico, quem itin. Antonini habet, se invenisse putat; is, hodie *Bidburg*, medio ævo sub nomine *pagi Bedensis* notus erat. Displicet hoc D'Anvillio in Not. de la Gaule p. 155. quia Treverorum pagus sic nimium fuisset restrictus. Potius cum P. Divæo de Antiq. Gall. Belg. suspicatur, in vico *Beets* inter Halen et Leewe ad lævam fl. Getæ in Brabantia superesse memoriam *Betasiorum*.

*Marsacos*] Plin. 4, 15 (29). *Marsatios s. Marsacios*: ed. Parisiens. supra laudata *Morsacios*, vitio operarum, ut opinor. Dio quoque 60, 8. Μαρσατίους vocat. Ern. Non ita prorsus se res habet. Dio Μαυρουσίους nominat, pro quibus Harduinus ad Plinii l. c. putat leg. Μαρσατίους, Leunclavius Χαύκους, Reimarus Μάρσους. Nominis vestigia in *Marsdiep* superesse, docet Alting. p. 93. Habitarunt scil. inter Rhenum et fossam Drusi, quæ nunc *Velavia*. Muretus in loco nostro legebat *Marsatiosque*. In *Marsacosque* conspirant libri.

*Cum Ducibus Germanorum*] Faernus volebat *Treverorum*.

*Non adeo turbatam*] Similem, et e Romano pectore vocem, emisit ille Stilico apud Claudianum De bello Getico 382. *Non ita Romanum Fati violentia nomen Obruit, ut vestros nequeat punire tumultus.* Lips.

*Eadem rursus Numina*] Sic edidit primus Rhen. (ex ingenio) idque ab omnibus servatum. MSS. Flor. Agr. ed. pr. *nomina* (Bud. *nomine*). At MS. Guelf. *omnia*. Edd. Puteol. Ber. *omina*; ex quo in ed. Alciati lapsu operarum factum *omnia*; atque hinc lectionem hanc protulisse intelligendus est Rhen. cui frustra hic obloquitur Ryckius. *Omnia* mihi non adeo displicet: sed *Numina* præfero. *Eadem Numina*, i. e. æque irata, et perjurium ultura. Solennis Deorum mentio in terrendis fœdifragis. Et pro *numina* scribi *nomina* solere, id quoque supra vidimus. Ern. Cf. Ann. 1, 73. De *Sacroviro* v. A. 3, 40. 46.

*Galbam*] Ego potius artem oratoris esse censeo, quam μνημονικὸν ἁμάρτημα, ut vult Savilius, ad invidiam faciendam defectoribus Gallici nominis, quod quædam civitates accepissent, quasi omnibus datum esset interpretantis, et quasi pro eo, quod nonnulli ejusdem gentis populi adepti forent, alii quoque gratiam deberent. Asconius in Divinat. *Siculis omnibus. Elatorie; cum enim a duobus Quæstoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybætano, altero Syracusano, ipse vero Lilybætanus Quæstor fuerit Sex. Peducæo Prætore, omnibus tamen se placuisse dixit.* Gron. Bip. ita locum explicant: Treviri et Lingones, a Galba perculsi et tributa aucta, 1, 53. mox ab eo ad Vitellium descivere, 1, 57. hinc inminuta tributa, mollitusque servitium; unde hostiles spiritus induerint, 4, 55. Neque enim benevolentia contineri Treveros, ipse dicit Tutor, Trevir, infra c. 76.

stiles spiritus induisse. Nunc hostes, quia molle servitium; cum spoliati exutique fuerint, amicos fore." Hæc ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt, verso itinere, Novesium concedit. Galli duum millium spatio distantibus campis consedere. Illuc commeantium Centurionum militumque emebantur animi: ut (flagitium incognitum) Romanus exercitus in externa verba jurarent, pignusque tanti sceleris nece aut vinculis Legatorum daretur. Vocula, quamquam plerique fugam suadebant, audendum ratus, vocata concione, in hunc modum disseruit.

LVIII. "Numquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior. Nam mihi exitium parari, libens audio: mortemque in tot malis honestam, ut finem miseriarum, exspecto. Vestri me pudet miseretque, adversus quos non prœlium et acies parantur, id enim fas armorum et jus hostium. Bellum cum Populo Romano vestris se manibus gesturum, Classicus sperat, Imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos, si fortuna in præsens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt, quotiens Romanæ legiones perire præoptaverint, ne loco pellerentur? socii sæpe nostri, exscindi urbes suas, seque cum conjugibus ac liberis cremari, pertulerunt: neque aliud pretium exitus, quam fides famaque. Tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera

*In tot malis hostium*] Haud plane damno. Quid si tamen faciamus, *portum et finem?* Quid si *in tot malis honestam?* LIPS. Tentabam, *otium et finem miseriarum*, 1 Observ. 14. GRON. Melius hoc Lipsiano remedio, aut Pichenæ, qui *hodie* tentabat; quod sane frigide additum foret: sed tamen nec ipsum satis placet. Ingeniosius est, quod Trillero in mentem venit Obs. p. 423. *hostium et finem m.* ita, ut *hostium* sit *ostium*, scriptura in libris antiquis sæpe obvia, ductusque loquendi modus e Stoicorum schola, qui mortem januam, ostium, vocabant, ut locis Senecæ et Arriani ostenditur. Adde plura e Lipsii Manud. ad Philos. Stoic. 3, 23. Sed in istis locis aut mentio *carceris et custodiæ*, ut in loco Senecæ, aut aliud quid præcedit, ut in locis Arriani 1, 9. et 24. propter quod ostii vel januæ appellatio conveniat morti: velut, abeundum esse e vita, relinquendas miserias, etc. Simpliciter mortem appellari *ostium* aut *januam miseriarum*, nondum reperi, nec doceri posse credo. Immo ostium miseriarum per Latinitatem foret *aditus ad miserias*, ut *janua leti* apud poetas et centum alia. Ego cum Acidalio delendum puto, et huc male tractum esse e proximo, ubi *jus hostium*. Ceterum est imitatio Sallust. Cat. 51. *in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum, esse.* Broterius (ut Salinerius) vulgatum explicat mala ex hostibus. Sed mala Voculæ non modo ab hostibus, etiam a suis, erant, ut tota narratio docet. ERN. Colerus dabat *in tot manibus hostium*. Bip. *extremum*, quod, quomodo a librariis potuerit verti in *hostium*, difficile dictu. Potius *honestam* scripserit Tacitus, ut A. 1, 70. *honestæ mortis usus.* Id ergo recepi Ann. quoque 15, 25. pro *inhonesta* libri habent *in hoste, inhosta.*

*Et jus hostium*] Flor. Bud. Agr. addunt *est.*

*Imper. et sacr. Galliar. ostentat*] i. e. jactat Gallorum sub ductu et auspiciis Romanos militaturos, sacramentoque Gallis dicturos. Mox *virtusque* aberat a MS. Bud. Ryckius autem e MS. Agr. edidit *adeo vos.* Sic et MS. Harl. videturque efficacius Broterio. ERN. In Bud. deest *virtus*, remanente *que*, quod negligentiam librarii prodit. Bud. *adeo nos.* Acidalius interrogatione hæc et mox sequentia inspiranda putabat. Sicque ad Pichenam usque editiones exhibent.

*Tolerant cum maxime*] MS. Guelf.

legiones, nec terrore aut promissis demoventur. Nobis, super arma et viros et egregia castrorum munimenta, frumentum et commeatus, quamvis longo bello pares. Pecunia nuper etiam donativo suffecit: quod sive a Vespasiano, sive a Vitellio, datum interpretari mavultis, ab Imperatore certe Romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso totiens hoste, si pavetis aciem, indignum id quidem: sed est vallum murique et trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia exercitusque concurrant. Sane ego displiceam: sunt alii Legati, Tribuni, Centurio denique, aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus, Civilem et Classicum Italiam invasuros. An, si ad mœnia urbis Germani Gallique duxerint, arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutorin' Trevero agentur excubiæ? Signum belli Batavus dabit? Germanorum catervas supplebitis? quis deinde sceleris exitus? cum Romanæ legiones contra direxerint; transfugæ e transfugis, et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi Deis errabitis? Te, Jupiter optime maxime, quem per octingentos viginti annos, tot triumphis coluimus, te, Quirine, Romanæ parens urbis, precor venerorque, ut, si vobis non fuit cordi, me Duce hæc castra inconrupta et intemerata servari, at certe pollui fœdarique a Tutore et Classico ne sinatis. Mi-

*cur nunc maxime*: quod factum e *cum maxime*, ut est in ed. pr. ediditque (e Bud.) Rhenanus. Ceteræ ante Rhen. *nunc maxime*, solenni in hac voce corruptione. V. ad c. 65. In ed. autem pr. est *tulerant* vitiose, et conjunctum cum antecedentibus. ERN. Mox Bud. male *apud veteres legiones.*

*Donativo sufficit*] Immo, *suffecit*. Nuper enim donativum acceperant. Supra. LIPS. Recepit recte Pichena. ERN. Bud. *sufficit.*

*Sane ego displiceam*] Hic et in sequentibus ante oculos habuit locum Livii in Or. P. Scipionis post seditionem exercitus in Hispania, 28, 27. *Denique ego sim, cujus imperii tædore exercitum* etc. Precum formula deinde ex alio loco sumta, ut Lipsius monuit. ERN.

*Centurio denique aut miles*] *Centurioque aut m.* MS. Guelf. edd. Rhen. (e Bud.) sqq. usque ad Lipsium. ERN. Qui lectionem veterem restituit, quam et Puteol. et Alc. habent.

*Ne hoc prodigium toto terrarum orb. v.*] Friget *toto*. Puto Tacitum dedisse *tantum*, non adverbialiter, ut Broterius putabat, sed ut ad prodigium referatur: quamquam totum hoc *t. terrarum orbe* friget, et glossam sapit. Inspice Livium, I. c. ERN.

*Tutori Trevero*] MS. Flor. ed. pr. *Tutorin*: quod J. Gronov. vult esse *Tutorin'* vel *Tutori ne*. ERN. Bud. *tutor in treviro*, sejunctim. Sed vel sic conjecturam Gronovii firmat.

*Per octingentos viginti annos*] Vid. ad 1, 1. cujus loci lectio hoc ipso loco confirmatur. sed et hic Guelf. *ducentos et XX*. ERN. Longe alia ratio est hujus loci et istius ex H. 1, 1. Respice ibi notata.

*Si vobis non fuit cordi*] Imitatum clare e Livio 9, 8. *Vos, Dii immortales, precor, quæsoque, si vobis non fuit cordi Sp. Postumium cum Samnitibus bellum gerere.* Tacitus infra 81. *Id fortasse cordi Diis, et Divino ministerio Principem electum.* Nec quidquam hic scrupi aut nodi. Rhenanus tamen ait in Budensi, τὸ *cordi*, non legi: ex quo ille juratus emendat, *si vobis non fuit*: id est, licuit, inquit, more Græco. Bene, Beate, Manibus tuis sit; nam perjuria hæc litteratorum, pariter ac amantium, ut spero, venti auferunt. LIPS. Perperam quoque Rhen. aliam omissionem Bud. codicis tuetur, habet enim *servari, at Classico ne sinatis*, sed patet, ab *at* ad *et* transiliisse librarium.

litibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam et sine noxa pœnitentiam."

LIX. Varie excepta oratio, inter spem metumque ac pudorem. Digressum Voculam, et de supremis agitantem, liberti servique prohibuere fœdissimam mortem sponte prævenire. Et Classicus, misso Æmilio Longino, desertore primæ legionis, cædem ejus maturavit. Herennium et Numisium, Legatos, vinciri satis visum. Dein, sumptis Romani Imperii insignibus, in castra venit. Nec illi, quamquam ad omne facinus durato, verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret. Juravere, qui aderant, " pro Imperio Galliarum." Interfectorem Voculæ altis ordinibus, ceteros, ut quisque flagitium navaverat, præmiis adtollit. Divisæ inde inter Tutorem et Classicum curæ. Tutor valida manu circumdatos Agrippinenses, quantumque militum apud superiorem Rheni ripam, in eadem verba adigit, occisis Magontiaci Tribunis, pulso castrorum Præfecto, qui detrectaverant. Classicus corruptissimum quemque e deditis " pergere ad obsessos" jubet, " veniam ostentantes, si præsentia sequerentur: aliter nihil spei: famem ferrumque et extrema passuros." Adjecere, qui missi erant, exemplum suum.

LX. Obsessos hinc fides, inde egestas, inter decus ac flagitium distrahebant. Cunctantibus solita insolitaque alimenta deerant; absumptis jumentis equisque et ceteris animalibus, quæ profana fœdaque in usum necessitas vertit. Virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes, miseriarum patientiæque documentum fuere; donec egregiam laudem fine turpi macularent, missis ad Civilem legatis, " vitam" orantes. Neque ante preces admissæ, quam in verba Galliarum jurarent. Tum, pactus " prædam castrorum," dat custodes, qui pecuniam, calones, sarcinas retentarent, ac qui

*Sumtis Rom. Imp. insignibus*] Pichena de aquilis, vexillis etc. capit. Non video tamen, quid impediat, quo minus et Classicus lictores cum fascibus habuerit. Mox *alti ordines* sunt, qui alias *primi* dicuntur. Primorum ordinum Centurionem fecit. Dein *flagitium navare* dixit, pro operam in flagitio perpetrando navare ut 5, 25. *bellum alicui navare.* Sive, flagitio perpetrando alicui prodesse, operam navare, quæ constet flagitio. Nec Cicero hoc genus loquendi refugit. Nam ep. 9, 2. est *navare Reipublicam.* Quod ad H. 5, 25. Acidalius laudat e Cicerone (ep. 3, 10.) *navare benevolentiam*, id alienum est: nam ibi navare simpliciter est præstare, ut in *operam navare.* ERN.

*In eadem verba adigit*] Hic olim punctum vulgo. Ex admonitione Merceri Pichena sustulit, et post *detrectaverant* posuit. Ita et MS. Guelf. et edd. ante Rhen. omnes, præter primam. Male interpunctio in ed. Rhen. mutari cœpta. Ed. pr. (et cod. Bud.) *occisi tribuni*, vitiose. ERN.

*Ac qui ipsos leves*] Ita editum inde a Rhenano e MS. Bud. ut opinor. (Minime, sed ex ingenio, nam Bud. *atqui.*) Favent Flor. ed. pr. in quis *at qui.* MS. Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. *aut qui.* Pichena edidit *atque ipsos;* male: nam copula quidem desideratur, sed etiam *qui.* Non enim custodes iidem prosecuti sunt absuntes, sed alii, ut bene monuit Ryckius; qui e suo MS. edidit *et qui.* Ego vetus restitui. Forte fuit *atque qui*, quam formam Tacitus non refugit. *Ec-*

ipsos leves abeuntes prosequerentur. Ad quintum fere lapidem coorti Germani incautum agmen adgrediuntur. Pugnacissimus quisque in vestigio, multi palantes, occubuere: ceteri retro in castra profugiunt; querente sane Civile et increpante Germanos, "tamquam fidem per scelus abrumperent." Simulata ea fuerint, an retinere sævientes nequiverit, parum adfirmatur. Direptis castris, faces injiciunt: cunctosque, qui prœlio superfuerant, incendium hausit.

LXI. Civilis, barbaro voto, post cœpta adversus Romanos arma, propexum rutilatumque crinem, patrata demum cæde legionum, deposuit. Et ferebatur, parvulo filio quosdam captivorum, sagittis jaculisque puerilibus figendos, obtulisse. Ceterum neque se, neque quemquam Batavum, in verba Galliarum adegit; fisus Germanorum opibus; et, si certandum adversus Gallos de possessione rerum foret, inclitus fama et potior. Mummius Lupercus, Legatus legionis, inter dona missus Veledæ. Ea virgo nationis Bructeræ late imperitabat: vetere apud Germanos more, quo plerasque feminarum fatidicas, et, augescente superstitione, arbitrantur Deas. Tuncque Veledæ auctoritas adolevit: nam "prosperas Germanis res et excidium legionum" prædixerat. Sed Lupercus in itinere interfectus. Pauci Centurionum Tribunorumque, in Gallia geniti, reservantur, pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum hi-

*ves* Broterius intelligit de spoliatis, qui eam ob causam leves essent, ut et alii cepere; Ryckius levis armaturæ milites, qui prosequerentur. De Romanis melius foret *inermes* aut simile quid, quam *leves*, quod nuspiam in tali contextu additur, ad exprimendum periculum. Et nescio, an verbum sit a glossa, præsertim cum durius concurrat cum *abeuntes*: nec, opinor, simile exemplum reperietur.

*Civilis, barbaro voto*] Patrium et solenne Germanis hoc votum. Tacitus de moribus ejus gentis 31. "*Aliis Germanorum populis usurpatum, rara et privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, crinem barbamque submittere, nec nisi hoste cæso exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Mansit inferiore ævo. Et lego apud Diaconum de Gestis Langob. 3, 7. *Sex millia Saxonum, qui bello superfuerant, devoverunt se neque barbam neque capillos rasuros, nisi se de Suevis hostibus ulciscerentur.* Pulchre igitur et decore Silius Sarmenti Gallo hoc affingit Punic. 4, 200. *Occumbit Sarmens, flavam qui gomere victor Cæsariem crinemque tibi, Gradive, vovebat.* Quin et Romani usurparunt interdum, ut Julius Cæsar; de quo Suetonius, 67. *Diligebat quoque milites usque adeo, ut, audita clade Tituriana, barbam capillumque submiserit, nec ante dempserit, quam vindicasset.* Lips. MS. Agr. *perplexum.* Ed. pr. *perpexum:* vitiose utrumque. Ern. Bud. *propexum. Rutilas comas* noster Germanis tribuit et de Mor. c. 4. *Galliarum inventum* esse *rutilandis capillis ex sebo et cinere*, Plin. refert 28, 12 (51). Quin et de Romanis matronis simile quid narrat Val. Max. 2, 1, 5.

*Mummius Lupercus*] V. ad c. 18. Mox *Veledæ* e MSS. Flor. (Bud.) Agr. edidere Ryck. et J. Gronov. Sic et ed. pr. sic Græci. V. Ryck. ad h. l. de ea noster et in Germania, ubi v. Lips. ad c. 8. Ern. Bud. *Mumius.* Ante Ryckium legebatur *Velledæ* duplici elemento. Mox Bud. *tunc* sine conjunctione. Apud Gallos Germanosque præcipuo cultu *Matres* vel *Matras* fuisse cultas, monumenta loquuntur. Cf. Spon. Misc. erud. Ant. 3, 77.

*Arbitrantur Deas*] Sic volebat corrigi Muretus; recte: nec enim ulla ratio est, quare conjunctivo usus sit. Atque ita plane est in ed. pr. unde sic edidimus. Ceteri edd. et scr. (etiam Bud.) *arbitrentur.* Ern.

berna subversa crematque: iis tantum relictis, quæ Magontiaci ac Vindonissæ sita sunt.

LXII. Legio sextadecima cum auxiliis simul deditis a Novesio in coloniam Treverorum transgredi jubetur, præfinita die, intra quam castris excederet. Medium omne tempus per varias curas egere: ignavissimus quisque, cæsorum apud Vetera exemplo, paventes; melior pars rubore et infamia: "quale illud iter? quis dux viæ? et omnia in arbitrio eorum, quos vitæ necisque dominos fecissent." Alii, nulla dedecoris cura, pecuniam, aut carissima sibimetipsi circumdare. Quidam expedire arma, telisque tamquam in aciem accingi. Hæc meditantibus, advenit proficiscendi hora, exspectatione tristior. Quippe intra vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. Revulsæ Imperatorum imagines, inhonora signa, fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis: silens agmen, et velut longæ exsequiæ: dux Claudius Sanctus, effosso oculo: dirus ore, ingenio debilior. Duplicatur flagitium, postquam, desertis Bonnensibus castris, altera se legio miscuerat. Et, vulgata captarum legionum fama, cuncti, qui paullo ante Romanorum nomen horrebant, procurrentes ex agris tectisque et undique effusi insolito spectaculo nimium fruebantur. Non tulit ala Picentina gaudium insultantis vulgi: spretisque Sancti promissis aut minis, Magontiacum abeunt: ac forte obvio interfectore Voculæ, Longino, conjectis in eum telis, initium exsolvendæ in posterum culpæ fecere. Legiones, nihil mutato itinere, ante mœnia Treverorum considunt.

LXIII. Civilis et Classicus, rebus secundis sublati, an

*Vindonissæ sita*] V. ad c. 70.

*Legio XIII.*] V. dicta ad c. 26.

*Hæc meditantibus*] Quis neget a Liviano exemplari esse? qui in deditione illa turpi ad Furculas 9. 5. *Hæc frementibus*, inquit, *hora fatalis ignominiæ advenit, omnia tristiora experiundo factura.* LIPS.

*Innexa signa*] Budensis codex *inhora signa.* Rom. *in ora.* Divinabam olim, *inversa signa*; quod ignominiæ fuit, et victos se fatentium. Spartianus in Severo 7. *In palatium eodem habitu perrexit, prælatis signis quæ Prætorianis ademerat, supinis, non erectis.* Idem usurpatum in dolore. Tacitus A. 3, 2. *Præcedebant incompta signa, versi fasces.* Pedo Albinovanus ad Liviam v. 141. *Quos primum vidi fasces, in funere vidi; Sed vidi versos indiciumque mali.* At nunc putem commodius legi *inhonora signa*, id est, squalida, non uncta, non nitidata: quæ opponit *fulgentibus Gallorum vexillis*: aut potius retineri illud *innexa*, cum explicatione, *signa innexa*, id est, sine nexu et nuda fuisse. Nam solent imagines Principum, clypei, etiam coronæ et talia innecti. LIPS. *In hora* etiam Flor. *In ora* Agr. *Inhonora* jam correxit Victorius, loco supra indicato ad 15, 25. Lipsii correctionem recepit Pichena cum seqq. omnibus. J. Gronovius tamen e lectione Florentina potius extricabat *viliora.* ERN. Alias aliorum conjecturas exhibet J. Gron. Exemplum rei habes A. 1, 24. ubi *legiones nullis insignibus fulgentes.* Bud. *revolse.* Sic ubique *volgus, volgatus*, et similia.

*Dux Claudius Sanctus*] Ducem viæ deditis datum intelligi, jam a Pichena monitum. Is *dirus ore* dicitur, ob deformitatem ab effosso oculo. Atque hinc intelligi debet alterum *debilis ingenio.* Nam *debiles* dicuntur capti aliquo membro. Itaque nil aliud est, quam si dixisset, fœdus ore, ingenio fœdior. Ceterum colon esse debet post *oculo*, ut in edd. primis, non comma. ERN.

coloniam Agrippinensem diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitavere. Sævitia ingenii et cupidine prædæ ad excidium civitatis trahebantur: obstabat ratio belli, et novum Imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Civilem etiam beneficii memoria flexit, quod filium ejus, primo rerum motu, in colonia Agrippinensi deprehensum, honorate custodierant. Sed Transrhenanis gentibus invisa civitas, opulentia auctuque. Neque alium finem belli rebantur, quam si promiscua ea sedes omnibus Germanis foret, aut, disjecta, Ubios quoque dispersisset.

LXIV. Igitur Tencteri, Rheno discreta gens, missis legatis, mandata apud concilium Agrippinensium edi jubent: quæ ferocissimus e legatis in hunc modum protulit: "Redisse vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis et præcipuo Deorum, Marti, grates agimus: vobisque gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina ac terras et cœlum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut conloquia congressusque nostros arcerent; vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi, sub custode et pretio coiremus. Sed, ut amicitia societasque nostra in æternum rata sit, postulamus a vobis, muros coloniæ, munimenta servitii, detrahatis (etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur); Romanos omnes in finibus vestris trucidetis (haud facile libertas et domini miscentur); bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quidquam aut segregare caussam suam possit. Liceat nobis vobisque utramque ripam colere, ut olim majoribus nostris: quomodo lucem diemque omnibus hominibus; ita omnes terras for-

*Sævitia ingenii*] Sic editum a Pichena e lectione Flor. *ingenti*, quæ est et in Vatic. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. ceterisque ante Rhen. *Ingenita* primus tacite edidit Rhen. ERN.

*Sed præcipuo Deorum*] MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. *et præcipuo*; unde cum Ryckio recepimus: *sed* ferri non potest, nisi intelligas, sed præcipue præcipuo Deorum. Verum etiam *et* hanc vim habere potest, e more Taciti; ut supra vidimus, pluribus locis. ERN.

*Sub custode et pretio*] Hoc quo pertineat, patet e responsione Agrippinensium: *Vectigal et onera commerciorum resolvimus: sint transitus incustoditi.* ERN. Bud. male *inermes nec probe nudi.* Positi a C. Cæsare *custodis* simili sensu, quo hic, meminit Seneca de ira 2, 33.

*In æternum rata sit*] Sic edidimus ex ed. pr. cui consentit MS. Agr. et Reg. Vulgo (et Bud.) *sint.* Si *ratæ* esset, nihil mutandum foret: nam ejus formæ exempla multa. Altera illa excusari quidem potest Græcorum more, qui etiam post femininum unum, neutrum ponunt, intell. χρῆμα, sed non nisi in summo consensu omnium librorum. Mox eadem ed. *si clausa tenetis:* nec hoc male. Ceterum sententiæ, de animalibus feris et de libertate cum servitute non consistente, in parenthesi accipiendæ. Nam ista conjuncta sunt, *detrahatis—trucidetis,—bona—cedant:* quod in vulgata interpunctione non satis perspicuum est. ERN. Bud. *Æneas.*

*Quomodo lucem noctemque*] Perspicue rectum, atque ita in Vatic. Vulgo, *lucem diemque*, quasi ea differant. LIPS. Male Lipsius. Recte Pichena, qui veterem lectionem reposuit, quam tuentur MSS. Flor. (Bud.) Agr. edd. inde a Puteol. omnes. Vaticano consentit ed. pr. Latini verba nonnulla solent conjungere, quamvis idem fere significantia, etiam qui brevitatem adamarunt, ut multis exemplis e Sallustio et Tacito doceri potest: sic statim *sincerus et in-*

tibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subjectos, quam armis, valent: sincerus et integer et servitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis."

LXV. Agrippinenses, sumpto consultandi spatio, quando neque subire conditiones metus futuri, neque palam adspernari conditio præsens, sinebat, in hunc modum respondent. "Quæ prima libertatis facultas data est, avidius quam cautius, sumpsimus, ut vobis ceterisque Germanis, consanguineis nostris, jungeremur. Muros civitatis, congregantibus se cum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis, quam diruere, tutius est. Si qui ex Italia, aut provinciis, alienigenæ in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim et nobiscum per connubium sociatis, quique mox provenere, hæc patria est. Nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis. Vectigal et onera commerciorum resolvimus. Sint transitus incustoditi; sed diurni et inermes; donec nova et recentia jura in vetustatem consuetudine vertantur. Arbitrum habebimus Civilem et Veledam, apud quos pacta sancientur." Sic lenitis Tencteris, legati ad Civilem et Veledam missi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. Sed coram adire adloquique Veledam negatum.

*teger*, alibi *instructus armatusque, quies et otium*. Ex eo genere *lux et dies*. ERN. Sic et supra *in lucem ac diem proferebant*: et c. sq. 65. *nova et recentia jura*.

*Abruptis voluptatibus, quibus*] Ambigua lectio. Quam posui, libri firmant, nec ratio impugnat. Vere enim inter Romanas artes fuit, ad homines in imperio retinendos, mollire vires eorum et per delicias amœnasque voluptates frangere. Tacitus in Agricola 21. *Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta, ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates assuescerent*. Et paullo post: *Paullatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam, idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset*. At veteres tamen editiones, *abruptis vectigalibus*: quod stabiliri prorsus responso Ubiorum videtur, ad hanc orationis partem: *Vectigal et onera commerciorum resolvimus*. LIPS. *Volvptatibus* etiam MSS. Agr. (Bud.) Guelf. In ed. pr. (et cod. Reg. Lall.) vitiose *voluntatibus*. Ceteræ edd. ante Lipsium *vectigalibus*. ERN. Ista de *vectigali et oneribus commerciorum* non huc faciant, sed ad superiora, ut bene Ernesti monuit et Acidalius docet.

*Metus futuri*] *Metu* male MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. Post *tum maxime* libri iidem. Nam perpetua in hoc verbo est in libris vett. aberratio a librariis orta, qui illud *cum maxime* pro *nunc, eo tempore* non concoquebant. ERN. Bud. *metus futuri*. Idem *cum maxime*. Mox vero multis modis peccat. Habet *cautum. assumsit, societatis. nobiscum*.

*Eductis olim*] Scribe *deductis olim*: colonos veteres intelligit. LIPS. Sic Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. omnes ante Lipsium quas vidi: ut nesciam, unde illud *eductis* sit. Ex quacumque ed. laudetur, est in ea vitium operarum, quod hanc notam, ut alias in hunc auctorem, peperit. *Qui provenere*, sunt nati e nobis. Verbum *provenire* usitatum de prole, ut *proventus*. ERN.

*In vetustatem consuetudine*] Aptius et concinnius visum, quam illud tritum, *vetustatem et consuetudinem*. Quod autem posui, in Farnesiano est. LIPS. Sic et Fl. Agr. Copula *et* ab ed. pr. abest. Sed tamen est *consuetudinem*. MS. (Bud. et) Guelf. *in vetustate et consuetudine*. ERN.

Arcebantur adspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre: delectus e propinquis consulta responsaque, ut internuntius Numinis, portabat.

LXVI. Civilis, societate Agrippinensium auctus, proximas civitates adfectare, aut adversantibus bellum inferre, statuit. Occupatisque Sunicis, et juventute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret, Claudius Labeo Betasiorum Tungrorumque et Nerviorum tumultuaria manu restitit: fretus loco, quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Pugnabaturque in angustiis ambigue, donec Germani transnatantes terga Labeonis invasere. Simul Civilis, ausus, an ex composito, intulit se agmini Tungrorum, et clara voce: "non ideo," inquit, "bellum sumpsimus, ut Batavi et Treveri gentibus imperent. Procul hæc a nobis adrogantia: accipite societatem: transgredior ad vos, seu me Ducem, seu militem, mavultis." Movebatur vulgus, condebantque gladios; cum Campanus ac Juvenalis, ex primoribus Tungrorum, universam ei gentem dedidere. Labeo, antequam circumveniretur, profugit. Civilis Betasios quoque ac Nervios, in fidem acceptos, copiis suis adjunxit: ingens rerum, perculsis civitatum animis, vel sponte inclinantibus.

LXVII. Interea Julius Sabinus, projectis fœderis Romani

*Ipsa edita in turre*] Romana edit. et Rodolphus: *ipsa adyta intrare, dilectus e prop.* Quam lectionem haud temere spernam, ut de fatidico Numine quopiam loquitur: cui rei apta hæc adytorum vox. Vulgata nihilo secius valde probo. LIPS. Editio Lipsio laudata habet *edita*, non *adyta*. ERN. Bud. *edita in turre*. Lectio altera *adyta intrare* non est ex ingenio Rodolphi, ut Bip. putant, sed in MS. ejus, teste Ryckio. Reg. Lall. quoque habet *adita intrare*, nec Lallemando displicet, nec Ryckio. Turris ista videtur ad Luppiam fuisse sita. Cf. 5, 22.

*Occupatis Sunicis*] Hæc scriptura in Flor. teste J. Gron. Guelf. Harl. Oxon. etc. edd. inde a Puteol. Nam ed. pr. valde perverse *sumas*. Habitasse inter Ubios et Tungros putantur. ERN. Bud. *Sunucis*, ut in omnibus MSS. apud Plin. 4, 17 (31). De situ v. Cluv. Germ. ant. 2, 19. D'Anville not. de la Gaule p. 626. Nominis memoria in vico *Sinnich*, Com. Limpurg. V. Bucher. Belg. Rom. p. 178. et 184.

*Tungrorum*] Ita plane Bud. sed supra c. 55. *Tugrorum*, deficiente scil. lineola super *u*. Contra 2, 14. habet *Turingorum*. Mox Bud. *tranantes*.

*Seu me ducem*] Insidiosa modestia dictum: ut a Sallustii Catilina 20. *Vel Imperatore, vel milite, me utimini.* LIPS.

*Profugit*] In avia Belgarum: c. 70. Esse paludes Flandrorum prope Brugas, conjicit Bucherius l. c.

*Ingens rerum*] MS. (Bud.) Agr. ed. pr. item MS. Guelf. sed a man. sec. in margine addunt *tumultus*: unde Heinsius ap. Ryckium facit *cumulus* e 2, 24. elegantissima correctione; de qua vix dubitem. Edd. Puteol. Ber. Alc. *vigens rerum*. Post ed. pr. corrupte *perculsit civitates animis*, ut correxit man. sec. in MS. Guelf. cum ante fuisset id, quod editur. ERN. Sic A. 1, 69. *ingens animi femina*. Post Bud. *perculsit civitatum animis*.

*Julius Sabinus*] Alius ab isto, qui Senecæ patri nominatur Controv. 27. s. 9, 4. in quo corrupte legas: *Et ab Julio et a Sabino*. Scio junctim fuisse *ab Julio Sabino*, qui Gallis præfuit sub Caio: paterne hujus? Dionem vide 66, 3. LIPS.

*Projectis fœderis Romani*] Aut nihil, aut nimis, in hoc loco video. Quale istud est, projicere monumenta fœderis? pingue et insulsum. Aliorsum emendatione traxerim: *prolectus Romani generis monumentis*. Sabinus, inquit, invitatus et inductus stirpis suæ origine, Cæsarem se appellat. Quid mirum? ecce

monumentis, *Cæsarem* se salutari jubet: magnamque et inconditam popularium turbam in Sequanos rapit, conterminam civitatem et nobis fidam. Nec Sequani detrectavere certamen. Fortuna melioribus adfuit. Fusi Lingones. Sabinus festinatum temere prœlium pari formidine deseruit: utque famam exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremavit: illic voluntaria morte interiisse creditus. Sed, quibus artibus latebrisque vitam per novem mox annos traduxerit, simul amicorum ejus constantiam et insigne Epponinæ uxoris

supra 55. scriptum: *Sabinus falsæ stirpis gloria incendebatur. Proaviam suam D. Julio, per Gallias bellanti, corpore et adulterio placuisse.* Possis eodem sensu: *prolatis R. generis.* LIPS. Atqui omnia plena moris, quem significat his verbis Tacitus. Dionysius Halic. 4, 26. de pactis a Ser. Tullio cum Latinis: ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς (τοὺς νόμους) ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνεδρίοις καὶ τὰς μεταστησούσας τῆς συνόδου πόλεις. Eodem de fœdere, quod Gabinis dedit Superbus ib. 4, 58. Τούτων ἐστὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλοῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη, βύρσῃ βοείᾳ περίτονος, τοῦ σφαγισθέντος ἐπὶ τῶν ὁρκίων τότε βοὸς, γράμμασιν ἀρχαϊκοῖς ἐπιγεγραμμένη τὰς γινομένας αὐτοῖς ὁμολογίας. Cicero pro Balbo 23. *Cum Latinis omnibus fœdus ictum Sp. Cassio Postumo Cominio* COSS. *quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus post Rostra incisum et proscriptum fuisse.* De eodem Livius 2, 33. *nisi fœdus cum Latinis columna ænea insculptum monumento esset.* Apud Arrianum de exped. Alex. 2. p. 83. Pharnabazus cavet ab obsessis deditisque. Μιτυληναίους καθελεῖν τὰς πρὸς Ἀλέξανδρόν σφισι γενομένας στήλας, ξυμμάχους δὲ εἶναι Δαρείου. Livius rursum 26, 24. *Hæc convenerunt, conscriptaque biennio post Olympiæ ab Ætolis, in capitolio ab Romanis, ut testata sacratis monumentis essent, sunt posita.* Fœdus Smyrnæorum et Magnetum in Marmoribus Arundelianis: Ἀναγραψάτωσαν δὲ καὶ τὴν ὁμολογίαν ἐν στήλαις ἑκάτεροι, τὰς δὲ ἀνατιθέτωσαν, Σμυρναῖοι μὲν ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Στρατονικίδος ἱερῷ, καὶ ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Λευκοφρύνης ἱερῷ· οἱ δὲ ἐν Μαγνησίᾳ κάτοικοι ἔν τε τῇ ἀγορᾷ παρὰ τὸν βωμὸν τοῦ Διονύσου καὶ τὰς τῶν βασιλέων εἰκόνας etc. Polybius in Excerpt. Vales. lib. 27. (ed Schweigh. t. 4. p. 385.) Ὑπαρχούσης γὰρ αὐτοῖς οὐ μόνον φιλίας, ἀλλὰ συμπολιτείας πρὸς Ἀπολλωνιάτας, καὶ καθόλου κοινωνίας πάντων τῶν ἐν ἀνθρώποις νομιζομένων δικαίων, καὶ περὶ τούτων κειμένης ἐνόρκου συνθήκης παρὰ τὸν Δία τὸν Ἰδαῖον. Memnon de Romanis et Heracliensibus ap. Phot. n. 224. c. 28. Καὶ χαλκοῖ πίνακες δύο τῆς ὁμολογίας ἴσας καὶ ὁμοίας ἔφερον· ὧν ὁ μὲν παρὰ Ῥωμαίοις ἐν τῷ κατὰ τὸ καπιτώλιον ἱερῷ τοῦ Διὸς καθηλώθη, ὁ δὲ κατὰ τὴν Ἡράκλειαν καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἱερῷ. Auctor 1. Maccab. 14. καὶ κατέγραψαν ἐν δέλτοις χαλκαῖς, καὶ ἔστησαν ἐν στήλαις ἐν ὄρει Σιών. Josephus contra Apionem 2, 4. ἀναγνοὺς τὴν στήλην, τὴν ἱστῶσαν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ τὰ δικαιώματα περιέχουσαν, ἃ Καῖσαρ ὁ μέγας τοῖς Ἰουδαίοις ἔδωκεν. Hujusmodi igitur, στήλαις, cippis, vel columnis, tabulisve aut δέλτοις, quibus fœdus, quod Romani Lingonibus dederant, incisum erat, publiceque propositum, eversis et confractis intellige. GRON.

*Fusi Lingones*] Tangit hoc bellum, quod in Johanne Satisberiense legitur 5, 7. *Auspiciis Imp. Cæsaris Domitiani Germanico bello, quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quæ ad Civilem desciverat, cum advenientem ab exercitu Cæsaris populationem timeret, quod præter spem inviolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta, septuaginta millia armatorum tradidit ei.* Quæ totidem verbis apud Frontinum Strat. 4, 3, 14. LIPS.

*Insigne Epponinæ* etc.] Vere insigne et rarum, plenumque fidei in sexu infido. Non est in libris, qui exstant. Servavit enim Tacitus in ultimum Vespasiani annum, cum et Julius hic Sabinus (qui gloriabatur a Cæsare genus ducere) et ista ipsa Epponina interfecti. Tota historia, dignissima lectu, apud Plutarchum diffuse est in Erotico extremo. Aliquid et Dionis compendium in Vespasiano 66, 3. LIPS.

*Epponinæ*] At Plutarchus *Emponam* scribit, et id nomen Gallis Heroinam signare addit: ἦν δὲ γυναῖκα, inquit, πασῶν ἀρίστην ἡγμένος, ἣν ἐκεῖ μὲν Ἐμπονὴν ἔκα-

exemplum, suo loco reddemus. Sequanorum prospera acie belli impetus stetit. Resipiscere paullatim civitates, fasque et fœdera respicere, principibus Remis; qui per Gallias edixere, "ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret."

LXVIII. At Romæ cuncta in deterius audita Mucianum angebant, ne, quamquam egregii Duces (jam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent. Nec relinquenda urbs sine rectore. Et Domitiani indomitæ libidines timebantur: suspectis, uti diximus, Primo Antonio, Varoque Arrio. Varus, Prætorianis præpositus, vim atque arma retinebat. Eum Mucianus pulsum loco, ne sine solatio ageret, annonæ præfecit. Utque Domitiani animum, Varo haud alienum, deliniret, Arretinum Clementem, domui Vespasiani per adfinitatem innexum et gratissimum Domitiano, Prætorianis præposuit, "patrem ejus, sub Caio Cæsare, egregie functum ea cura," dictitans: "lætum militibus idem nomen, atque ipsum, quamquam Senatorii ordinis, ad utraque munia sufficere." Adsumuntur e civitate clarissimus quisque, et alii per ambitionem. Simul Domitianus Mucianusque accingebantur, dispari animo: ille spe ac juventa properus, hic moras

λουν, Ἑλληνιστὶ δὲ ἄν τις ἡρωΐδα προσαγορεύσειεν. LIPS. Pro Ἐμπονὴν leg. Σεμονὴν, Salmasius autumat, quia *Semo* heroem denotat. Xiphil. l. c. c. 16. *Peponilam* vocat.

*Nequaquam egregii*] Mercero accedo: *ne, quanquam egregii Duces (jam enim Gallum Annium et Petilium Cerialem delegerat) summam belli parum tolerarent.* LIPS. Recepit Merceri correctionem Pichena. (Probat et Acidalius.) Ante erat in omnibus (etiam Bud.) *Mucianum augebant. Nequaquam egregii Duces. Jam enim—tolerare.* Nec in MSS. aliquid auxilii. Vir doctus in ed. Gryph. *nec, quamquam—poterant, tolerare.* ERN. Similis constructio verborum occurrit H. 2, 23.

*Petilium Cerialem delegerat*] Immo ex Josepho ἀλωσ. 7, 4 (23). proprie non delegerat ipse, aut Vespasianus, sed casu et bona sorte Petilius Consul creatus a Vespasiano in Britanniam missus erat. Ille vero, audita hac rebellione, opportune supervenit et hostes vicit. Notat et Dio 66, 3. LIPS. Hanc notam, a Gronoviis omissam, ex edit. a. 1627. fol. Antw. supplere visum. Ceterum Dio Κερεάλιον vocat.

*Arretinum Clementem*] Sic vocant omnes scr. et edd. et h. l. et ap. Sueton. Domit. 11. recte. Frustra Ursinus inscriptionem opponit tot libris, in qua *Arricinus* vocetur. Aut vitiosus est ille titulus ap. Grut. 4, 6. aut ad alium pertinet, ut visum Ryckio ad h. l. ERN. Bud. *Arrecinum.*

*Quamquam Senatorii ordinis*] Suetonium igitur culpæ quis purgat, scribentem Titum primum e Senatoriis Prætorio Præfectum? In Tito 6. *Præfecturam quoque Prætorii suscepit, numquam ad id tempus nisi ab Equite Romano administratam.* Occulte adsentitur Plinius Præf. operis: *Dum illud patri pariter et Equestri ordini præstas, Præfectus Prætorio ejus.* Tamen noster palam adfirmat, Clementem hunc Arretinum et Præfectum et Senatorem fuisse. Adde quæ notavi ad A. 4, 40. LIPS. Sed vide, quæ pro Suetonio ibi diximus. Ed. pr. pro *quamquam* habet *tamquam*; male: nec in eo quicquam pro Suetonio auxilii, ut Gruterus sperabat. ERN. Cf. omnino Oudend. ad Suet. l. c. et Guther. de Offic. dom. Aug. 2, 4.

*Assumuntur e civitate clarissimus quisque*] Post brevem quasi digressionem redit ad rem, de expeditione a Muciano suscepta, et commemorat, quos secum in Galliam abduxerit. Mox MS. Guelf. *dispersi*, at in marg. *dispari.* ERN.

nectens, quis flagrantem retineret, ne ferocia ætatis et pravis inpulsoribus, si exercitum invasisset, paci belloque male consuleret. Legiones victrices, sexta et octava, Vitellianarum unaetvicesima, e recens conscriptis secunda, Penninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio, traducuntur: XIV legio e Britannia, sexta ac decima ex Hispania accitæ. Igitur venientis exercitus fama, et suopte ingenio, ad mitiora inclinantes Galliarum civitates, in Remos convenere. Treverorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Tullio Valentino. Is meditata oratione cuncta, magnis imperiis objectari solita, contumeliasque et invidiam in Populum Romanum effudit: turbidus miscendis seditionibus, et plerisque gratus vecordi facundia.

LXIX. At Julius Auspex, e primoribus Remorum, "vim Romanam pacisque bona" dissertans, et "sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cujusque periculo geri, jamque super caput legiones," sapientissimum quemque reverentia fideque, juniores periculo ac metu, continuit. Et Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur. Constat, obstitisse Treveris Lingonibusque apud Gallias, quod, Vindicis motu, cum Verginio steterant. Deterruit plerosque provinciarum æmulatio: "quod bello caput? unde jus auspiciumque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem Imperio legerent?" Nondum victoria, jam discordia erat: aliis fœdera, quibusdam opes viresque, aut vetustatem originis, per jurgia ja-

*Si exerc. invasisset*] i. e. Si exercitum regere et bellum gerere per festinationem cœpisset. ERN.

*Sexta et octava*] MSS. Flor. *XI et VIII.* Guelf. edd. Puteol. seqq. usque ad Pichenam *VI et XVIII.* MS. Agr. *tertia decima octava*: ed. pr. *XXVIII.* Bene Savilius correxit *VI et VIII.* Recepit Pichena. H. 2, 83. 85. ERN. Flor. *vim* XI. VIII. Bud. *viz.* XI. VIII. Id autem signi in scriptis medii ævi denotat *videlicet.* Forsan in Flor. similis nota. Bip. præferunt XI et VIII. Sed in lapidibus diserte legio VI *victrix* appellatur, et VIII in nummis Carausii *invicta.* Cf. Brot. ad H. 2, 6. Pro XI stat, quod 3, 50. victricibus se adjunxit.

*Tertia ac prima*] Savilius legit: *sexta ac decima.* Nam supra (3, 44.) sic in Hispania collocavit. Tamen et Tertia ibi fuit, et diuturna: nec aliam causam arbitror, cur Hispani hodieque legiones suas *Tertios* adpellent. LIPS. Recepit et hoc Pichena. MS. quidem Flor. *VI ac prima.* ERN. Bud. III *ac prima.* De legionibus earumque statione v. Brot. l. c. Sexta ad Cerialem advenit 5, 13. Decima 5, 19. Prius libri *Coctianis.* Nomen *Tertios* in Hispania inde a Phil. V. non amplius eo sensu usurpatur.

*Constat obstitisse*] *Obstitisse* MSS. Agr. (Bud.) Guelf. edd. ante Rhen. omnes. Rhenanus, non Pichena, ut putat Ryckius, primus edidit *obstetisse*; quod omnes, quos vidi, secuti sunt præter Lipsium et Ryckium. Aliis quidem locis editur *obstitit, obstitisse.* Itaque hæc scriptura et h. l. tenenda. Add. ad 3, 31. ERN. Errori typographico videtur deberi Rhen. *obstetisse.*

*Unde jus auspiciumque*] *Jus* MSS. Flor. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. Rhen. sqq. Ceteræ ante Rhen. *vis*, solita confusione, de qua sæpe dictum. Ut in Imperatore summo jus s. potestas et auspicia et jus potestasque sine auspiciis esse potuit sub Cæsaribus, sic h. l. apte hæc duo conjunguntur: Quem illum fore Gallorum, qui potestatem belli gerendi daret, penes quem essent auspicia: verbo, quem Imperatorem in Gallia fore. Sic sp. Liv. 22, 1. junguntur *justum imperium* et *auspicium.* ERN.

*Per jurgia jactantibus*] Sumpsi le-

ctantibus. Tædio futurorum præsentia placuere. Scribuntur ad Treveros epistolæ, nomine Galliarum, "ut abstinerent armis, inpetrabili venia et paratis deprecatoribus, si pœniteret." Restitit idem Valentinus, obstruxitque civitatis suæ aures, haud perinde instruendo bello intentus, quam frequens concionibus.

LXX. Igitur non Treveri, neque Lingones ceteræve rebellium civitates, pro magnitudine suscepti discriminis agere. Ne Duces quidem in unum consulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat; dum Claudium Labeonem capere aut exturbare nititur. Classicus, segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniæ ripam et ardua Alpium præsidiis claudere. Atque interim unaetvicesima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam inrupere. Accessit ala Singularium, excita olim a Vitellio, deinde in partes Vespasiani transgressa. Præerat Julius Briganticus, sorore Ci-

ctionem a P. Manutio, qui amice mihi in pomeridiano sermone contribuit. Nam vulgo est, *perjuriaque jactantibus*: in MSS. *perjuria jactantibus*: quod Manutianam conjecturam firmat. Romano tamen libro est, *pro jure jactantibus*; quod rejicere, injurium sane sit. LIPS. Si Romanus liber est ed. pr. a Spirensi edita, ut alibi in notis Lipsii et Gruteri, falsus est Lipsius. Nam habet *perjuria* sine copula. (Sic et Bud.) At MS. Agr. *pro jure*, quocum in hoc libro quarto valde alias consentit hæc editio. Idque illo nixus consensu ed. Rom. recepit. Quod non imiter. Nam *pro jure* jam intelligitur in verbo *jactantibus*. Ista enim jactabantur, ut sibi maxime imperium et sedem Imperii deberi appareret. Lazarus Superantius et Salinerius non adeo absurde defendebant vulgatum *perjuriaque*, et interpretabantur de crebra defectione a Rom. et rebellione, velut ea re meritos se dixerint Principatum. Vix tamen credo *perjuria* simpliciter in tali contextu, ubi non sermo de fœderibus etc. dici de defectione et rebellione. Rebellibus perjuria exprobrari sæpe, scio. *Per jurgia* autem aptissimum huic loco, propter antecedentia illa, *jam discordia erat*. ERN. Utrum verum, dubius hæreo. Rycklum sequuntur Bipontini leguntque *pro jure*. Recentiores alii *per jurgia* servant. Quod aiunt, hoc jam intelligi ex *discordia*, valet etiam de *jure*, quod itidem in *jactantibus* latet.

*Præsidiis claudere*] Rom. *Præsidiis capere*; quod recipio. LIPS. Immo *claudere*, ut Guelf. (Bud.) et edd. ante Lipsium, quas habui, omnes. ERN.

*Unaetvicesima legio Vindonissa*] i. e. ab statione sua, quæ Vindonissæ erat, Helvetiorum oppido: hodie vulgo *Windisch*, ap. monasterium Kungsfelden, ubi sepultura Comitum Habsburgicorum. Nam ibi legio XXI stabat. Unde inscriptiones in istis regionibus repertæ, in quibus Leg. XXI occurrit: quas vide in Breitingeri Comm. in antiqua monum. Tigur. § 18. ap. Schelhorn. in Amœnit. Literar. t. 7. p. 49. ERN. Et Loys de Bochat Mém. de la Suisse t. 1. p. 390.

*Ala Singularium*] *Singulares equites* qui sint, nondum satis convenit. Mihi placet, esse gradum honoratioris militiæ equestris, qualis fuit etiam Prætorianorum; etsi in honoratiores illis. Olim jam, libera Rep. tales gradus: unde equites extraordinarii, selecti, etc. Hæc genera ab Augusto instituta, nova genera honorum ubivis quærente, ut hoc plures beneficii sui facere ac sibi obstringere posset. Sic post *singulares* dicti, clerici, non modo μονάζοντες, quamquam hi quoque, sed etiam ceteri, quod ii perfectionem Christianam appeterent. V. Glossar. Nomic. Cod. Theodos. ERN. Ex Hygini Gromatico p. 4. docet Fabretti Inscr. c. 5. p. 354. fuisse gradum militiæ Prætorianæ proximum, tum munere custodiæ, tum prætenturæ vicinia. Dicuntur et *equites Singularii Augg.* apud Grut. p. 1028, 2.

vilis genitus, ut ferme acerrima proximorum odia sunt, invisus avunculo infensusque. Tutor Treverorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum delectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, conruptis spe, aut metu subactis legionariis; qui primo cohortem, præmissam a Sextilio Felice, interficiunt; mox ubi Duces exercitusque Romanus propinquabant, honesto transfugio rediere: secutis Tribocis Vangionibusque et Caracatibus. Tutor, Treveris comitantibus, vitato Magontiaco, Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat, sed incursu cohortium, quas Sextilius ducebat, et reperto vado, proditus fususque. Ea clade perculsi Treveri, et plebes, omissis armis, per agros palatur: quidam Principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates, quæ societatem Romanam non exuerant, perfugerunt. Legiones a Novesio Bonnaque in Treveros, ut supra memoravimus, traductæ, se ipsæ in verba Vespasiani adigunt. Hæc Valentino absente gesta; qui ubi adventabat furens, cunctaque rursus in turbas et exitium conversurus, legiones in Mediomatricos, sociam civitatem,

*Acerrima proximorum odia*] Exsequitur Aristoteles Politic. 7, 7. et caussam donat: vide. Sed breviter, pro nostra re: proverbio jactatum ait, Χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν· καὶ, Οἵτε πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσι. LIPS.

*Caracatium*] Cluverius *Nemetum* et mox *Nemetibus*. Sed hæc nimis abeunt a veterum et vulgatorum vestigiis. Suspicabar *Vangionum, Tabernatium, Tribocorum*: deinde, *Tribocis Vangionibusque et Tabernatibus*. Ipsum Cluverium vide Germ. Ant. 2, 12. GRON. Non mitior hæc correctio, quam Cluveriana. MS. Flor. *Cæracatium*. Bud. *Ceracat*. Agr. ed. pr. *Ceratacium*. Lectionem Florentinam probat Ryckius, intelligitque *Cæræsos* Cæsaris B. G. 2, 4. quod situi populi istius non convenire, bene docet Cellarius Geogr. Ant. t. 1. p. 245. nihil ipse definiens, quod optimum factu puto. Rhenanus Rer. Germ. 3. p. 326. suspicatur fuisse in eo loco, ubi arx *Drakenfels* fuerit. Eam sic fortasse dictam a loco, quasi *Racatium* h. e. *Caracatium*. Mox *lectu* MS. (Bud.) Guelf. edd. Puteol. seqq. omnes ante Pichenam. At infra, ubi similis varietas c. 77. nihil a Pichena mutatum. ERN. Brot. et Lall. recepere *Cæracates*. Vales. Not. Gall. p. 42. *Caracates* male in sede Tribocorum locat, iisque Argentoratum adsignat, quod nullo modo admittendum Schœpflinus nostras docet Alsat. ill. t. 1. p. 62. Neque audiendus Laguille in Notice de l'anc. Gaule p. 9. qui *Saracates* effingit, Saræ fluminis adcolas. Placet hoc Bipontinis, qui potius *Saravates* a *Saravo* dictos autumant. D'Anvillius in Not. de la Gaule p. 198. nomen vulgatum servat, *Caracatesque* Vangionibus ad latus ponit, urbemque iis Magontiacum tribuit. Hoc et in tabula Galliæ antiquæ ita expressit.

*Exercitusque Romani*] MS. Flor. *Roman*. Quod Ryckius explicat *Romanus*: quippe ista syllaba subinde in libris scr. et edd. pr. hac figura exprimitur. Consentiunt Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. Ceteræ ante Rhen. per compendium *Ro.* exprimunt. Primus Rhenanus edidit *Romani* tacite, nec scio, an e libro (immo ex ingenio). Igitur tutius putavi scripturam librorum MSS. et edd. vett. sequi. ERN.

*Quia pontem Navæ fl. abruperat*] MS. Flor. (Bud.) ed. Put. Ber. Alc. *Navas*. item MS. Guelf. a m. pr. at m. s. fecit *naves*, ut est in ed. pr. MS. Agr. *Vis fluminis*. Rhenanus edidit *Navæ*. ERN. Ex ingenio. Surita ad Anton. Itin. p. 253. ex MS. cœnobii Carthus. Aulæ Dei quoque profert *vis fluminis*. Navæ cladisque Romanæ meminit Ausonius in Mosella.

*Supra memoravimus*] Cap. 62.

*Se ipsas*] Omnes libri, quos scio vidique, habent *se ipsas*, pro quo haud dubie rescribendum *seipsæ*. V. ad c. 11. ERN. Bud. *se ipsa*.

*In Mediom. sociam civitatem*] Auctores docti novi operis Diplomatici t. 3. p.

abscessere. Valentinus ac Tutor in arma Treveros retrahunt; occisis Herennio ac Numisio, Legatis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris.

LXXI. Hic belli status erat, cum Petilius Cerialis Magontiacum venit: ejus adventu erectæ spes. Ipse pugnæ avidus, et contemnendis, quam cavendis, hostibus melior, ferocia verborum militem incendebat: ubi primum congredi licuisset, nullam prœlio moram facturus: delectus per Galliam habitos in civitates remittit, ac nuntiare jubet, "sufficere Imperio legiones: socii ad munia pacis redirent, securi, velut confecto bello, quod Romanæ manus excepissent." Auxit ea res Gallorum obsequium: nam, recepta juventute, facilius tributa toleravere, proniores ad officia, quod spernebantur. At Civilis et Classicus, ubi "pulsum Tutorem, cæsos Treveros, cuncta hostibus prospera" accepere, trepidi ac properantes, dum dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nuntiis Valentinum monuere, "ne summæ rei periculum faceret." Eo rapidius Cerialis, missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto, quod erat militum Magontiaci, quantumque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit; quem locum magna Treverorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosella amne septum: et addiderat fossas obicesque saxorum. Nec deterruere ea munimenta Romanum Ducem, quo minus peditem perrumpere juberet, equitum aciem in collem erigeret, spreto hoste; quem, temere conlectum, haud ita loco juvari, ut non plus suis in virtute foret. Paullum moræ in adcensu, dum missilia hostium prævehuntur: ut ventum in manus, deturbati ruinæ modo præcipitantur. Et pars equitum, æquioribus jugis circumvecta, nobilissimos Belgarum, in quis Ducem Valentinum, cepit.

172. not. l. non improbabile esse dicunt, quod Hadr. Valesius Notit. Gall. p. 328. h. l. civitatem Mediom. non de urbe, sed de populo capiendam judicet, propter notitias veteres Gall. ap. Bouquetum. Immo res et Latinitas docent ita esse, sed antiqua et vera. ERN.

*Erectæ spes*] Bud. male *erepte*. Sic mox *loci* pro *socii*.

*Rigodulum venit*] Vatic. *Ridogulum*. Hodie dimidiatum nomen tenet, aliquot milliaribus supra Confluentes, pagus *Rigol* dictus. LIPS. MS. Agr. ed. pr. *Rigodolum*: mox *aut Mosella* MS. Flor. (Bud.) edd. Rhen. sqq. ante Pichenam, et J. Gron. i. e. alio loco montibus, alio amne. Ceteræ *et M. a.* MS. Guelf. *ac*. Illud melius. Reliqua loca arte septa, ut patet e sequentibus. ERN. In Diplomate Dagoberti ap. Zyllesium in Def. Abb. S. Maximini occurrit *Regiodola vallis*; hodie vicus superest nomine *Reol*. V. D'Anville Not. de la Gaule p. 554.

*Ut non plus suis in v. f.*] Groslotius leg. suadebat *ut non plus vis in v. f.* Vix credo, sic Latine dici.

*In ascensu*] Ed. pr. Rhen. (e Bud.) sqq. omnes. Ceteræ ante Rhen. *assensu*, quod etiam est in MS. Guelf. Quæ scriptura nata est a pronunciatione molliori literæ tertiæ; cujus generis, multa in libris medio ævo scriptis, ut *ascissere* pro *asciscere*, et alia. ERN.

*Ut ventum in manus*] Sic Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. Recte. Sic Ann. 2, 80. *ut venere in manus*: cf. c. 76. et sic alii quoque. Liv. 2, 46. ubi v. Gronov. quem jam laudavit Ryckius, qui et sic edidit cum J. Gronovio. Ceteri *ad*. Post *deturbati* intell. *hostes*. Pro *modo* MS. Agr. *more*. ERN. Bud. *modo*.

LXXII. Cerialis postero die coloniam Trevcrorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis: " hanc esse Classici, hanc Tutoris, patriam: horum scelere clausas cæsasque legiones. Quid tantum Cremonam meruisse; quam e gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus adtulerit? Stare in confinio Germaniæ integram sedem, spoliis exercituum et Ducum cædibus ovantem. Redigeretur præda in fiscum: ipsis sufficere ignes et rebellis coloniæ ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur." Cerialis, a metu infamiæ, si licentia sævitiaque inbuere militem crederetur, pressit iras: et paruere, posito civium bello, ad externa modestiores. Convertit inde animos accitarum e Mediomatricis legionum miserabilis adspectus. Stabant conscientia flagitii mœstæ, fixis in terram oculis. Nulla inter coeuntes exercitus consalutatio: neque solantibus hortantibusve responsa dabant, abditi per tentoria et lucem ipsam vitantes: nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus, obstupefecerat: adtonitis etiam victoribus, qui vocem precesque adhibere non ausi, lacrimis ac silentio veniam poscebant: donec Cerialis mulceret animos, " fato acta" dictitans, " quæ militum Ducumque discordia, vel fraude hostium, evenissent. Primum illum stipendiorum et sacramenti diem haberent: priorum facinorum neque Imperatorem neque se meminisse." Tunc

*Eruendæ civitatis*] i. e. delendæ funditus. Sumtum e Virgilio, Æn. 2, 611. 612. *totamque ab sedibus urbem eruit.* ERN.

*Hanc esse*] Bud. *Ac esse.*

*Redigeretur præda in fiscum*] Sic Flor. Bud. Agr. ed. pr. nisi quod Flor. *redigetur.* Edd. Puteol. et ceteræ ante Pichenam *redigeret prædam in f.* ut et Guelf. ERN. Bud. vitiose *redigeretur prædam.*

*Cerialis metu infamiæ*] Vulgati (et Bud.) *Cerialis a metu.* Mihi vox aliqua excidisse videtur, et alternasse caussas, ut solet, Tacitus: *Cerialis emptus an metu infamiæ:* sive, *Cerialis clementia, an metu.* LIPS. Præpositio est in Flor. (Bud.) Guelf. ed. pr. seqq. ante Lipsium omnibus. Exempla, quibus eam defendit Salinerius, sunt aliena. Sed sunt permulta apud Livium idonea. Vid. viros doctos ad 24, 30. 26, 1. et qui ad locum posteriorem a Drakenb. laudantur. In illo loco defendit bene Lipsius adversus eos libros, qui ei præpositioni *ob* substituerunt, cum *a* pro *propter* non concoquerent. Itaque hic quoque restitui. ERN. Bip. legunt *Cerialis autem m. inf.*

*Posito civium bello*] *Civium* MSS. Flor. Bud. Agr. ed. pr. quod exprimendum curavi: quod imitatus est Broterius (et Lall.). Etiam aliis locis substantivo pro adjectivo uti Tacitum, ut *Campus Martis*, vidimus, et librarios adjectivum subsituisse. ERN. Vulgo *civili.*

*Consalutatio*] Bud. male *consultatio.* Mox *proinde*, ut sæpe alias. Prius cod. Agr. *mœsti*, bene, ut mox *abditi.*

*Qui vocem precesque*] Muretus deletum it *qui:* Acidalius corrigit *quia.* Ryckius occurrit sic, ut interpunctionem mutet: *obstupefecerat, attonitis etiam victoribus: qui v. p.* referatque τὸ *qui* ad exercitum vel milites. Sed sic quoque durissima structura. Ego Muretum sequor. *Qui* temere et alienis locis intrusum non uno loco vidimus. ERN. Brot. Lall. Dotteville, vulgatum servant, victores ipsos veniam pro istis petisse, rati. Bip. probabili conjectura legunt *quis* pro *quibus*, scil. victoribus. Sequor. Bud. *qui.*

*Fato acta dictitans*] Vereor, ne Tacitus dederit *fato facta:* idque est perpetuum in ea sententia verbum. Cic. Phil. 2, 1. *quonam fato meo fieri dicam* etc. Post *ducumque* bene edidit Pichena pro *ducumve.* Sic et (Bud. et) ed. pr. Item mox vitiose edd. ante Rhen. *illorum* præter princ. quæ habet *illum*, ut et Guelf. ERN. Et Bud.

recepti in eadem castra et edictum per manipulos, ne quis in certamine jurgiove seditionem aut cladem commilitoni objectaret.

LXXIII. Mox Treveros ac Lingones, ad concionem vocatos, ita adloquitur. "Neque ego unquam facundiam exercui; et Populi Romani virtutem armis adfirmavi. Sed, quia apud vos verba plurimum valent, bonaque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum, æstimantur; statui pauca disserere, quæ, profligato bello, utilius sit vobis audisse, quam nobis dixisse. Terram vestram, ceterorumque Gallorum, ingressi sunt Duces Imperatoresque Romani, nulla cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordiæ usque ad exitium fatigabant: et acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus servitutem inposuerant. Quot prœliis adversus Cimbros Teutonesque, quantis exercituum nostrorum laboribus, quove eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur; sed nequis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. An vos cariores Civili Batavisque et Transrhenanis gentibus creditis, quam majoribus eorum patres avique vestri fuerunt? Eadem semper caussa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia et mutandæ sedis amor, ut, relictis paludibus et solitudinibus suis, fecundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. Ceterum libertas et speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet.

LXXIV. "Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis. Nos, quamquam totiens lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cetera in communi sita sunt. Ipsi plerumque legionibus nostris præsidetis: ipsi has aliasque provincias regitis. Nihil separatum clausumve. Et laudatorum Principum usus ex æquo,

*Neque ego unquam* etc.] Est imitatio Orationis Livianæ 28, 27. ERN.

*Æstimantur*] Bud. *extimantur*. Cf. notata ad A. 13, 17. 15, 21. H. 1, 14.

*Satis clarum*] MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *satis claret*: verbo poetico, quod Tacitus non refugerit: nec displicet Ryckio. Et sic correxerat quoque manus docta in ed. Gryph. ERN. Bud. *clarum*.

*Rhenum insedimus*] Int. coloniis, classibus. ERN.

*Ceterum libertas*] Bud. *ceterorum*.

*Nec quisquam*] Vitium operarum, in ed. Alciati *ne quisquam* pro *nec quisq.* exprimentium, peperit notam Rhenano. ERN.

*Id solum vobis addidimus*] Suavius hoc *addidimus*, quam bonus Fulvius putavit (qui *ademimus* malebat). Significat enim interdum, quæ Menander vocat ἐπίθετα κακὰ, ut sit, oneris imposuimus, durius in vos statuimus: ut Maroni 6, 90. *Teucris addita Juno*. Vide ad Senecæ Herculem Furentem 1237. GRON.

*Laudatorum Principum*] Acuta gnome: quam non abest, quin callide abductam Sallustio credam, in oratione Sullæ ad Bocchum Jug. 102. *Tibi vero nulla amicitia opportunior nostra: primum quod procul absimus, in quo offensæ minimum, gratia par, ac si prope adessemus*. LIPS.

quamvis procul agentibus: sævi proximis ingruunt: quomodo sterilitatem, aut nimios imbres et cetera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, et meliorum interventu pensantur: nisi forte, Tutore et Classico regnantibus, moderatius imperium speratis: aut minoribus, quam nunc, tributis parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulsis (quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud, quam bella omnium inter se gentium exsistent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages hæc coaluit, quæ convelli, sine exitio convellentium, non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, præcipuæ bellorum caussæ. Proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriusque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate, malitis." Tali oratione graviora metuentes composuit erexitque.

LXXV. Tenebantur victore exercitu Treveri, cum Civilis et Classicus misere epistolas ad Cerialem, quarum hæc sententia fuit. " Vespasianum, quamquam nuntios occultarent, excessisse vita. Urbem atque Italiam interno bello consumptam. Muciani ac Domitiani vana et sine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus civitatum suarum contentos; si prœlium malit, ne id quidem abnuere."

*Quomodo sterilitatem*] Pulchrum documentum in mala publica et ad ea fortiter sustinenda. Seneca præiverat, De Const. sapientis 9. *Omnia itaque sic patitur, ut hiemis rigorem, et intemperantiam cœli, ut fervores morbosque et cetera forte accidentia.* At Dio Ciceronem ita loqui facit, ubi amnestiam suadet, post cædem Cæsaris 44, 32. Ὥστε τὰ μὲν γεγενημένα ταῦτα καλάζης τί τινος καὶ κατακλυσμοῦ τρόπον συμβεβηκέναι νομίσαντες, λήθῃ παράδοτε. Plane gemina sunt, et aut ab inventione, aut imitatione. LIPS. Infra vitiose edd. Puteol. Beroald. Alc. *parabantur*. ERN. Emendavit Rhen. e Bud.

*Quid aliud quam bella*] Oraculum, cujus fidem proavi viderunt: et nos videmus, videbimusque, quamdiu, secta in tot dominos, Europa non audiet unius aurigæ habenas. Plutarchus igitur vere de Fort. Rom. p. 316. *Imperium Romanum velut anchoram esse*, scripsit, *fluctuanti mundo.* Et nonne a Crispo suo hoc effatum sumpsit noster? sumpsit. Ille sic ad Cæsarem in fine: *Quippe si morbo jam aut fato huic Imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur?* LIPS.

*Quanquam nuntios occultarent*] MSS. Farnes. Agr. (et Reg. Lall.) *nuntii*. Idem voluit dare Spirensis, qui edidit *nutu*. Placebatque Lipsio et Ryckio. Vulgatum verum puto. Vult, duces occultare domi suæ nuntios, ne colloqui cum militibus et patefacere mortem Vespasiani possent. Sic ille λογοποιὸς ap. Theophr. in Char. c. 9. λέγει, ὡς καὶ παρακήκοε παρὰ τοῖς ἐν τοῖς πράγμασι, κρυπτόμενόν τινα ἐν οἰκίᾳ ἤδη πέμπτην ἡμέραν ἥκοντα ἐκ Μακεδονίας, ὃς πάντα ταῦτα εἶδε. Si *nuntii* probetur, legendum simul *occultarentur*. Nam cum Cerialis epistolas occultaret, ut e sequentibus patet, profecto idem in tabellario fecit. ERN. Bud. vulgatum habet. Brot. *nuntii occultarent*. In loco exponendo Pichenam sequitur Ernesti, contra Salinerius *nuntios* accipiebat pro re nuntiata, et verbum *occultarent* referebat ad Domitianum et Mucianum.

*Si—velit—si prœlium mallet*] Alterutrum est vitiosum, et aut *vellet* legendum, aut *malit*. Posterius Latinius est; itaque sic correxi. ERN. Recepere emendationem Bip. sed Brot. et Lall. vulgatum servant, *mallet*. Sic et Bud. Idem prius *Muciani ac*, ut Flor. vulgo *et*.

Ad ea Cerialis Civili et Classico nihil: eum, qui adtulerat ipsas epistolas, ad Domitianum misit. Hostes, divisis copiis, advenere undique. Plerique culpabant Cerialem, passum jungi, quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossa valloque circumdedit, quis temere antea intutis consederat. Apud Germanos diversis sententiis certabatur.

LXXVI. Civilis, "opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractæ Populi Romani vires obtererentur. Gallos quid aliud, quam prædam victoribus? et tamen, quod roboris sit, Belgas, secum palam aut voto stare." Tutor, "cunctatione crescere rem Romanam," adfirmabat, "coeuntibus undique exercitibus. Transvectam e Britannia legionem: accitas ex Hispania: adventare ex Italia: nec subitum militem, sed veterem expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere: pecuniamque ac dona, quis solis corrumpantur, majora apud Romanos, et neminem adeo in arma pronum, ut non idem pretium quietis, quam periculi, malit: quod si statim congrediantur, nullas esse Ceriali, nisi ex reliquiis Germanici exercitus, legiones, fœderibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis Ducique temeritatis. Ausuros rursus venturosque in manus, non inperiti adolescentuli, verba

*Qui attulerat ipsas epistolas*] Quivis attentus lector hæreat necesse est in *ipsas*, quod hic certe friget. Itaque aut delendum est, aut, quod melius est, cum Acidalio scribendum *ipsasque epistolas*. ERN. Probat quoque Lall. Recepit Dotteville.

*Quis temere antea intutis consederat*] Valde variant libri in voce *intutis*. MS. Guelf. *in tutius*. Ed. pr. *intutus*: ed. Puteol. *in tutis*. Ceteræ inde a Beroaldina *intutis*. (Sic et Bud.) Etsi parum referre arbitror, utrum *in tutis*, an *intutis* legas, quippe illud significare potest caussam, quare castra non munierit, quia in tutis locis se consedisse putarat: nam et Livio dicuntur *castra in tuto collocari*, et *legiones in tutum duci*: tamen, quia *intuta* est usitatum castrorum ap. Livium epitheton, atque ea scriptura in plerisque libris est, *intutis* prætuli. Ne *intutus* quidem absurdum. Mox MS. (Bud.) Guelf. ed. J. F. Gron. vitiose *obterrerentur*: item ed. pr. *obterentur*. ERN.

*Aut voto stare*] MS. Bud. Guelf. *vastare*. Hic tamen alteram lectionem in margine habet. Mox *a Brit.* edd. Puteol. sqq. ante Pich. item MS. (Bud.) Guelf. ERN. Correxit Pich. e Flor. Prius Rhen. conjectabat *aut clam stare*.

*Qui ab ipsis sperentur, non juberi*] MS. Guelf. vitiose *seperentur*: ed. Ber. *spernentur*, vitio operarum, quod servatum in ed. Alc. notulam Rhenani peperit (qui *sperentur* e Bud.). *Non juberi* est, non pati posse imperia, non adsuetos imperiis accipiendis. ERN.

*In arma pronum*] Sic MSS. Flor. (Bud. Reg. Lall.) Agr. ed. pr. idque cum Ryckio et J. Gron. recepi, cum etiam alibi in Tacito *promtus*, quod ceteros scr. et edd. obtinet, illi verbo substitutum viderimus: etsi ceterum etiam *promtus in arma* bene dici puto, de eo, qui facile impelli ad arma capienda potest, sed ita, ut animum ferocem indicet: quod hic non est. H. 2, 33. *Otho pronus ad decertandum*, non *promtus*: h. e. melius putans decerni prœlio. Mox *Germanici* ab Rhenano est (ex Bud.) scr. et edd. ante Rhen. omnes *Germani*. ERN. Bene c. seq. *promtus inter tela*, in re præsenti scil.

*Non imperiti adolescentuli*] Sic primus edidit (ex ingenio) Rhenanus, cum ante esset inde a Puteol. editum *non imperitia militum, sed adolesc.* testatus in nota, se edere *imperitia adol.* sed operæ in nota videntur aberrasse: id tamen in ed. sec. et ab omnibus servatum est, qui notas Rhenani recoxere. Ed. pr. (et cod. Bud.) *imperitia adolesc.* Ultima litera nata est e prima sequentis verbi,

et conciones, quam ferrum et arma, meditantis, sed Civilis et Classici: quos ubi adspexerint, redituram in animos formidinem, fugam famemque ac totiens captis precariam vitam: neque Treveros aut Lingonas benevolentia contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit." Diremit consiliorum diversitatem, adprobata Tutoris sententia, Classicus: statimque exsequuntur.

LXXVII. Media acies Ubiis Lingonibusque data: dextro cornu cohortes Batavorum: sinistro Bructeri Tencterique: pars montibus, alii, viam inter Mosellamque flumen, tam improvisi adsiluere, ut in cubiculo ac lectulo Cerialis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul vincique suos audierit, increpans pavorem nuntiantium, donec universa clades in oculis fuit. Perrupta legionum castra, fusi equites: medius Mosellæ pons, qui ulteriora coloniæ adnectit, ab hostibus insessus. Cerialis, turbidis rebus intrepidus et fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate et fortissimi cujusque adcursu, reciperatum pontem electa manu firmavit. Mox in castra reversus, palantes captarum apud Novesium Bonnamque legionum manipulos et rarum apud signa militem ac prope circumventas aquilas videt. Incensus ira, " non Flaccum," inquit, " non Voculam deseritis. Nulla hic proditio: neque aliud excusandum habeo, quam quod vos, Gallici fœderis oblitos, redisse in memoriam Romani sacramenti, temere credidi. Ad-

ut alibi; at Guelf. ut ed. Puteol. ERN. *Imperitum adolescentulum* intelligit *Tullium Valentinum*, de quo c. 68. sq. Mox Bud. *famamque.*

*Viam inter Mosellamque flumen*] Savilium, qui reprehendit Tacitum, velut non bene descripserit locum pugnæ, refellit Ryckius. Mox *improvisa* MS. (Flor. Bud.) Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. qui tacite *improvisi* (ex ingenio) edidit. Forte fuit *alia.* Sed Tacito solenne, post *pars* dicere *alii*; idque omnes libri habent: et quidem Flor. (Bud.) ed. pr. bis deinceps. Jac. Gronovius pro neutro habet. ERN.

*Mosellæ pons*] Meminit ejus, suo tempore constructi, Strabo 4. p. 193.

*Lecta manu*] MS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. edd. ante Lipsium omnes *electa*: idque restitui. V. ad c. 70. ERN. Ryckius in Flor. esse refert *delecta*, quod recepere Bip. Sed J. Gron. *electa* ibi legi testatur.

*Oblitos prædixerim*] Vocem *prædixerim* corruptam, aut superfluere, vides. Rodolphus pro ea legisse videtur *oblitos, proximam memoriam.* In Flor. est, *temere* pro *tenere.* Quo leni ductu hæc concinno: *oblitos, redisse in memoriam R. s. temere credidi.* Et collineavi atque attigi. LIPS. Veniebat sub acumen stili: *quod vos, Gallici fœderis oblitos, repetisse memoriam Romani sacramenti temere credidi.* Justinus 35, 2. *prioris sacramenti religionem novi Regis superbiæ præferentes.* Suetonius Claudio 13. *legionibus, quæ sacramentum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis.* Cum *memoriam* dicit, intelligit reverentiam. GRON. MS. Bud. *prædixi*, quod melius respondet verbo *credidi.* Sed verbum ipsum suspectum est. Pichena *et retinere m. R.* alii aliter. *Tenere credidi* MSS. Agr. Guelf. etc. edd. ante Pichenam omnes, a quo recepta hodie lectio est. In ed. pr. neque *temere* est, neque *tenere.* Sensus loci non est obscurus: at lectio certa non est. ERN. Rhen. hic criticos in errorem induxit. Bud. enim clare habet *prædixerim.* Lipsii emendationem probat Brot. recepere Bip. jure meritoque. Gruterus dabat *produxisse.* J. Gron. *præfiscini.* Dein Bud. *temere didi*: ubi *temere*, egregie, sed cauda hujus vocis caput sequentis abstulit. Prius *excusandum*, Ferrettus, alias *accusandum.*

numerabor Numisiis et Herenniis: ut omnes Legati vestri, aut militum manibus, aut hostium, ceciderint. Ite, nuntiate Vespasiano, vel, quod propius est, Civili et Classico, relictum a vobis in acie Ducem: venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos inpunitos, patiantur."

LXXVIII. Vera erant et a Tribunis Præfectisque eadem ingerebantur. Consistunt per cohortes et manipulos: neque enim poterat patescere acies, effuso hoste, et inpedientibus tentoriis sarcinisque, cum intra vallum pugnaretur. Tutor et Classicus et Civilis, suis quisque locis, pugnam ciebant: Gallos " pro libertate," Batavos " pro gloria," Germanos " ad prædam" instigantes. Et cuncta pro hostibus erant; donec legio unaetvicesima, patentiore, quam ceteræ, spatio conglobata, sustinuit ruentes; mox inpulit. Nec sine ope divina, mutatis repente animis, terga victores vertere. Ipsi, territos se cohortium adspectu, ferebant, quæ primo inpetu disjectæ, summis rursus jugis congregabantur, ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi. Cerialis, ut incuria prope rem adflixit, ita constantia restituit: secutusque fortunam, castra hostium eodem die capit exscinditque.

LXXIX. Nec in longum quies militi data. Orabant auxilium Agrippinenses; offerebantque uxorem ac sororem Civilis et filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. Atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus et justæ preces invocantium, antequam hostes, reparatis viribus, ad spem vel ad ultionem accingerentur. Namque et Civilis illuc intenderat, non invalidus, flagrantissima cohortium suarum integra; quæ ex Chaucis Frisiisque composita, Tolbiaci, in finibus Agrippinensium, agebat. Sed tristis nuntius avertit, " deletam cohortem dolo Agrippinensium:" qui largis

*Ite, nuntiate Vespasiano*] Similis invidiæ metum suis militibus jam fugientibus Sulla injicit: *Siquis vos, milites, rogaverit, ubi Sullam Imperatorem vestrum reliqueritis, respondete, apud Orchomenum pugnantem.* Atque ille hac increpatione rem labentem sustinuit. Plutarchus Sulla 21. p. 75. et Appianus Mithr. c. 49. LIPS. Mox Bud. *nobis, nos.*

*Classicus et Civilis*] Supplevit Rhen. conjunctionem e Bud.

*Legio unaetvicesima*] Sic Latinitas jubet legi. Male in ed. Alciati, quod ante erat XXI, expressere operæ *vicesima prima;* idque propagatum ad omnes ante Pichenam. *Unaetvic.* MS. Agr. Ed. pr. hic valde corrupte *legio ex prima potentiore* etc. Add. ad I, 61. ERN. Bud. XXI. *potentiore.*

*Nec sine ope divina*] Facessant ergo, qui impietatis notam nostro inurere sustinent. Cf. et c. 81.

*Rem afflixit*] Ita MS. (Bud.) Reg. edd. pr. Rhen. sqq. at mediæ, item MS. Guelf. *res.* ERN.

*Integra et e Chaucis*] Rom. cod. et editiones aliæ (ante Rhen.) *integra manu, et e Chaucis.* Legam, *integra manente, e Chaucis.* Flor. porro, *integraque ex:* si plene, facias cum Pichena, *integra, quæ.* LIPS. Vox *manu* abest a MS. Guelf. ERN. Et Bud. in quo *integra et e cauchis.* Rhen. subaudit *existente integra.*

*Tolbiaci*] Farnes. *Colbiaci:* in Itin. Antonini *Tobiaci.* LIPS. MSS. Fl. Agr. ed. pr. *Tolbiaci:* at MS. (Bud.) Guelf. ed. Puteol. *Calbiaci.* Ber. Alc. *Galbiaci,* quod est vitium operarum. *Tolbiaci* restituit Rhen. Hodie dicitur *Zullich.* ERN. Item *Zulpich.*

epulis vinoque sopitos Germanos, clausis foribus, igne injecto, cremavere. Simul Cerialis propero agmine subvenit. Circumsteterat Civilem et alius metus, ne quartadecima legio, adjuncta Britannica classe, adflictaret Batavos, qua Oceano ambiuntur. Sed legionem terrestri itinere Fabius Priscus, Legatus, in Nervios Tungrosque duxit: eæque civitates in deditionem acceptæ: classem ultro Caninefates adgressi sunt; majorque pars navium depressa aut capta. Et Nerviorum multitudinem, sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Caninefates fudere. Classicus quoque adversus equites, Novesium a Ceriale præmissos, secundum prœlium fecit: quæ modica, sed crebra, damna famam victoriæ, nuper partæ, lacerabant.

LXXX. Iisdem diebus Mucianus Vitellii filium interfici jubet: mansuram discordiam obtendens, ni semina belli restinxisset. Neque Antonium Primum adsciri inter comites a Domitiano passus est; favore militum anxius, et superbia viri, æqualium quoque, adeo superiorum, intolerantis. Profectus ad Vespasianum Antonius, ut non pro spe sua excipitur, ita neque averso Imperatoris animo. Trahebatur in diversa: hinc meritis Antonii, cujus ductu confectum haud dubie bellum erat, inde Muciani epistolis: simul ceteri, ut "infestum tumidumque" insectabantur, adjunctis prioris vitæ criminibus: neque ipse deerat, adrogantia vocare offensas, nimius commemorandis, quæ meruisset. "Alios," ut "inbelles," "Cæcinam," ut "captivum ac dediticium," increpat. Unde paullatim levior viliorque haberi, manente tamen in speciem amicitia.

LXXXI. Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstivis flatibus dies, et certa navis opperiebatur, multa miracula evenere, quis cœli favor et quædam in

*Classem ultro*] MS. Agr. *vero*: quod placet Ryckio. ERN. Bud. *ultro*. Prius *terrestri itinere*, et, ut videtur, militari via, quæ adhuc satis integra. Cf. Broterius.

*Favore militum anxius*] In ed. Alciati errore operarum temere repetitur *est* post *anxius*, quod notulæ materiam præbuit Rhenano. ERN.

*Pro spe sua excipitur*] Sic Rhen. e Bud. prius erat *accipitur*.

*Neque averso Imp. animo*] Ed. pr. (et cod. Bud.) *adverso*. Mox pro *vocare* MS. Agr. *provocare*. Vulgatum (quod in Bud.) exquisitius. Virg. G. 4, 76. *magnisque vocant clamoribus hostem*: ubi Servius interpretatur *provocant*. Sic etiam cape G. 1, 388. *tum cornix plena pluviam vocat improba voce*: et noster ipse *hostem vocare* dixit in Germ. c. 14. Ed. pr. *notare*: quæ et in aliis libris confusio observata est. V. Drakenb. ad Liv. 7, 2. et quos ibi laudat. ERN.

*Prioris vitæ crim.*] Cf. A. 14, 40. H. 2, 86.

*Statos æstivis flatibus dies*] Lipsius in marg. conjicit *etesiarum flatibus*. Acidalius *etesiis flatibus*. Frustra, ut patet e sequentibus; quibus declaratur, nihil aliud expectatum, nisi tempus æstivum, quo tuta navigatio, nec facile tempestas ingruit. Josephus *finem hiemis* vocat. Et etesiarum flatus adversi navigantibus Alexandria, auctore Cæsare Bell. Civ. 3, 107. ut bene notat Savilius. ERN. Cf. Veget. 5, 9. (4, 39.)

*Quis cœlestis favor*] *Cœlestis* e conjectura Rhenani editur in omnibus inde a Rhen. Edd. Put. Ber. Alc. *e cœlis*. At MS. Guelf. ed. pr. *quis cœli favor*; quod recipere non dubitavi: certe vulgato præferendum, ut meræ conjecturæ. MS.

Vespasianum inclinatio Numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, "remedium cæcitatis" exposcens gemitu; monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturque Principem, "ut genas et oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento." Alius manum æger, eodem Deo auctore, "ut pede ac vestigio Cæsaris calcaretur," orabat. Vespasianus primo inridere, adspernari: atque, illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci: postremo existimari a medicis jubet, an talis cæcitas ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici varie disserere: "Huic non exesam vim luminis, et redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Id fortasse cordi Deis, et divino ministerio Principem

Bud. *cælis est*. Agr. *cælitum*: quod probari non potest, quia mox *Numinum* sequitur, quod ab illo nil differt. Mox *e plebe* MS. (Bud.) Agr. ed. pr. Ern. Bip. præferunt *quis e cælis*.

*Oculorum tabe notus*] Si est ea, quæ Græcis φθίσις dicitur, ut placet viro docto apud Ryckium (nec caussam dissentiendi video) intelligitur cæcitas e nimia pupillæ contractione, cui contrarium est alterum genus e nimia dilatatione, sine vi contrahendi se: de ea phthisi extat erudita disputatio Mauchart Medici Tubingensis, quem tamen hic locus Taciti fugit. Ern. In definitionibus, quæ tribuuntur Galeno, *tabes* a. *phthisis* est *pupillæ inminutio cum obscuratione*.

*Remedium exposcens gemitu; monitu S.*] Vix credam, Taciti aures tulisse *gemitu: monitu*: meas quidem offendit. *Gemitu* aut spurium (sufficit enim *exposcens*, ut *orantes* ap. Suetonium c. 7.) aut corruptum puto. Ceterum in libris nihil auxilii, nisi quod in Guelf. est *in gemitu*: unde non absurde corrigas, *ingenitum*. Orat remedium cæcitatis sibi ab illo adhiberi, quod ei insitum divinitus esset. Sic Plutarchus in Pyrrh. c. 3. tradit, Pyrrhum lienosos curasse dextro pede pressos, existimatumque, in majore ejus pedis ungue esse θείαν δύναμιν, unde illum, cremato reliquo corpore, illæsum ab igni mansisse. Mox *Serapidis*, quod edidit pro *Sarapidis* e Flor. Pichena, est in (Bud. et) omnibus edd. inde a Puteol. Solus Lipsius edidit *Sarapis*, nescio unde. MS. Agr. ed. pr. *Scrapis*, et sic correxerat vir doctus in margine Gryphii. Mox ed. pr. *dicta gens superstitionibus*, item paullo post: *respuere oris excreamento*. Ern. De Vespasiani miraculis egit Brot. in ed. maj. t. 3. p. 529. Similium ab Antonino Imp. patratorum mentio fit in tabella marmorea, quæ olim stetisse putatur in templo Æsculapii insulæ Tiberinæ, quam exhibet Grut. p. 71. Promiscue olim *Sarapis* et *Serapis* dictus. V. ib. p. 22.

*Manu æger*] MS. Flor. *manum*: quod recepit J. Gronovius. Consentit Guelf. Nec indignum Tacito, Græcismi amatore: unde Gronovium imitati sumus. Ceterum dissensus Suetonii jam aliis notatus, de crure eadem tradentis. Ern. Bud. conrupte *magnum*. Græcismi exempla v. A. 15, 64. H. 1, 42. Contra Suetonium cum nostro facit Dio 66, 5.

*Existimari a medicis jubet*] Sic accipienda et legenda vetus MSS. (in his Bud.) et ed. pr. scriptura *extimari*, quam Puteolanus primus convertit in *estimari*: unde vulgatos omnes hic *æstimari* obtinet: male, ex iis, quæ ad Ann. 13, 17. de hoc verbo diximus. Etenim *judicium* medicorum requirit, an eæ res fieri possint: quæ est *existimatio*, non *æstimatio*. Ern.

*Huic non exesam vim* etc.] Aut excidit *videri* ante *vim*, aut tamen intelligendum, ut *ratus* et similia apud nostrum non uno loco. Ed. pr. *excessam*, et sic correctum in MS. Guelf. a man. sec. Mox idem MS. *parvum* a m. pr. sed *pravum* a sec. *Integrare* ed. pr. et sic laudat Rhenanus in nota ad h. l. intelligique vult vim salubrem. Denique *patrati*, quod idem Rhen. placebat, e vestigiis MS. Bud. in quo *parati*, jam reperi in ed. pr. et sic edidit Lipsius et seqq. omnes. Ceteri *peracti*. Ern. Nihil hic excidit. Quæ referuntur, pendent a verbo *disserere*. Bud. *exesam. pravum. integrare*.

*Elapsus in pravum artus*] Ita Rhen.

electum: denique patrati remedii gloriam penes Cæsarem, inriti ludibrium penes miseros, fore." Igitur Vespasianus, cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quidquam ultra incredibile, læto ipse vultu, erecta, quæ adstabat, multitudine, jussa exsequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.

LXXXII. Altior inde Vespasiano cupido adeundi sacram sedem, ut super rebus Imperii consuleret. "Arceri templo cunctos" jubet: atque ingressus intentusque Numini, respexit pone tergum e primoribus Ægyptiorum nomine "Basiliden;" quem procul Alexandria plurium dierum itinere et ægro corpore detineri haud ignorabat. Percunctatur Sacerdotes, "num illo die Basilides templum inisset?" percunctatur obvios, "num in urbe visus sit?" denique, missis equitibus, explorat, illo tem-

e Bud. bene. Ap. Put. est *elapso—artus*. Ap. Alc. *elapso—artu*. Prius Bip. *sed rediturum*. Verum eodem sensu quoque *et* frequens ponitur.

*Cuncta fortunæ suæ patere*] In hoc quoque loco mihi accidit, ut, cum primum legerem, vitium operarum putarem, pro *parere*. Post et in aliis libris *patere* vidi, et nunc in omnibus esse cognovi. Tamen *parere* esse a Tacito non dubito. Atque ego non ignoro, etiam *patere* dici pro *esse in potestate* alterius, eique subinde male substitui *parere*, ut bene docet Cortius ad Sallust. Cat. 10. Sed in istis locis semper aditus quidam ad aliquam rem intelligi potest, ut in maria, fines, rem familiarem alterius, oppida etc. quod hic non est. Sed ut *Fortuna rerum domina* dicitur, *omni in re dominari*, sic *omnia Fortunæ parere*. Ceterum illa verba confundi centies in libris scr. sæpe a viris doctis notatum est. In ed. pr. est: *cuncta fortunæ primæ ratus*. ERN. Bud. *patere*.

*Erecta q. ad. multitudine*] Bud. male *erepta*. Pricæus ad Apul. Met. 2. p. 125. suadet leg. *adrecta*, præclare, si libri adsentirent. Interim Cic. quoque *erectum* pro *adtento* dicit. Vide in Bruto c. 54. *erectos intuentes judices*.

*Nullum mendacio pretium*] Quis autem gratuito mendax sit?—*cum sint præmia falsi Nulla, ratam debet testis habere fidem*, ait Ovidius Tr. 3, 10, 35. LIPS. Ceterum super hac re quæ disputentur, non vacat commemorare, nec ratio notarum desiderat. Tacitus non videtur alienus fuisse ab ea parte, ut fidem facti agnosceret. Nam et *notum tabe oculorum* hominem illum vocat, ut nulla simulatio cæcitatis locum habuisse innuat, et actam rem præsente magna hominum multitudine, in loco publico, et memoratam suis quoque temporibus a testibus oculatis, sublata Flaviorum gente, ubi nulla adulandi aut mentiendi caussa. Quæ contra hæc miracula disputantur a quodam Jac. Serces in libro de miraculis, quo a Dæmonibus miracula patrari negat, p. 276. non admodum probabilia puto, et concionatorie magis, quam subtiliter et dialectice disputata; vereorque, ut divinis miraculis valde consulant, qui in tam diligenter narratis rebus nihil nisi fraudes humanas agnoscant. ERN. Rectiora dabit Brot. ad h. l. Mirum certe Ernesti judicium videri debet. Similes Principum fraudes, vel eis saltem tributas, collegit Lupanus ad h. l.

*Respexit pone tergum*] Nempe, cum se precibus factis repente convertisset, ominis captandi caussa. Vid. quæ dixi ad Sueton. Vesp. c. 7. ERN.

*E primoribus Ægyptiorum Basiliden*] Firmat hoc valde viri eximii conjecturam Lævini Torrentii, in Suet. Vesp. *Basilides libertus obtulisse ei visus est*. Quomodo libertus, si Sacerdos? si, quod hic dicitur, *e primoribus Ægyptiorum*? Bene igitur ille magnus amicus noster *Basilides obtulisse*, deleta voce *libertus*, perperam infarcta. LIPS. V. quæ ad Suetonium diximus pro vulgata Suetonii, quorum nondum pœnitet. Post pro *equitibus* MS. Agr. ed. pr. *militibus*. ERN. Bud. *equitibus*. In loco Suetonii Ernesti intelligit *libertum* Vespasiani. Contra Cannegieter de mut. Rom. sub Princ. ratione p. 70. Deorum quoque fuisse servos et libertos docet, qui Deos suos Dominos salutare sint soliti.

poris momento octoginta millibus passuum abfuisse. Tunc divinam speciem et vim responsi ex nomine Basilidis interpretatus est.

LXXXIII. Origo Dei nondum nostris auctoribus celebrata; Ægyptiorum antistites sic memorant: "Ptolemæo Regi, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit, cum Alexandriæ recens conditæ mœnia templaque et religiones adderet, oblatum, per quietem, decore eximio et majore quam humana specie juvenem, qui moneret," ut, fidissimis amicorum in Pontum missis, effigiem suam acciret: lætum id regno, magnamque et inclitam sedem fore, quæ excepisset: "simul visum eumdem juvenem in cœlum igne plurimo adtolli." Ptolemæus, omine et miraculo excitus, Sacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos visus aperit. Atque illis, Ponti et externorum parum gnaris, Timotheum, Atheniensem, e gente Eumolpidarum, quem, ut antistitem cærimoniarum, Eleusine exciverat, "quænam illa superstitio, quod Numen?" interrogat. Timotheus, quæsitis, qui in Pontum meassent, cognoscit, urbem illic Sinopen, nec procul templum, vetere inter adcolas fama, Jovis Ditis: namque et muliebrem effigiem adsistere, quam plerique Proserpinam vocent. Sed Ptolemæus, ut sunt ingenia Regum, pronus ad formidinem, ubi securitas rediit, voluptatum quam religionum adpetens, negligere paullatim aliasque ad curas animum vertere: donec eadem species, terribilior jam et instantior, "exitium ipsi regnoque" denuntiaret, "ni jussa patrarentur." Tum legatos et dona Scydrothemidi, Regi, (is tunc Sinopensibus imperitabat) expediri jubet: præcipitque navigaturis, "ut Pythium Apollinem adeant." Illis mare secundum: sors oraculi haud

*Ex nomine Basil.*] Exempla ominis ex re obvia accepti corrasit Lupanus.

*Origo Dei* etc.] Totum hunc locum si per partes illustrare libuisset, comparandis aliorum scriptorum locis, larga fuisset materies. Sed hoc nec institutum nostrum fert, nec valde utile putamus. Videant, qui volent, Plutarchum de Iside et Osiride, Gyraldum in Hist. Deor. Synt. 6. Voss. de Idol. 1, 29. etc. ERN.

*Quibus mos est*] Heinsius malebat *dos*. Sic Phædrus in prol. *Duplex libelli dos est*, ubi vid. P. Axenius. Cf. et Juretus ad Symm. ep. 1, 83. Prius Bud. *homine* pro *omine*, solenni more medii ævi, ut *hortus* pro *ortus*.

*Antistitem cerimoniarum Eleusi exciverat*] Tacitum scripsisse puto *Eleusine*. Vide quæ ad Senecas p. 343. GRON. Adjuvant MS. Flor. ed. pr. in quis *Elcusim*. ERN. Bud. quoque *Eleusim*, quod conjecturam Gron. firmat. Sic et Reg. Lall. qui bene recepit.

*Quæsitis qui*] Ed. Alciat. *quæsitus*, errore operarum. Edd. Puteol. Ber. Alc. *Synopem*, male. Prima et reliquæ *Sinopen*. Eadem mox corrupte *veteres inter a. f. J. ditissimum*. ERN. Bud. *Synopen*. Commode apud Vaillant NN. Col. t. 2. p. 42. nummus Caracallæ Sinopensis Jovem Ditem exhibet in lectisternio cubantem, capite calatho ornato, d. aquilam, s. hastam. Mox Bud. *vetere i. a. f. J. ditis*.

*Scydrothemidi*] MS. Agr. *Ciarotemidi*: ed. pr. *Ciarotemadi* semper, MS. Guelf. Mox MSS. Flor. Guelf. Agr. edd. ante Rhen. *præcepitque*, quod recepit J. Gronovius. Sed *præcipit* verum, quia sequitur *adeant*: et sæpe sic turbatum in temporibus his vidimus. Post *Pythicum* MSS. Flor. (Bud.) Agr. at ed. pr. *Phiticum*. ERN. Bud. *Scydrothemidi*. Idem *precipitque*, quod recte

ambigua: " irent, simulacrumque patris sui reveherent, sororis relinquerent."

LXXXIV. Ut Sinopen venere, munera, preces, mandata Regis sui Scydrothemidi adlegant. Qui versus animi, modo Numen pavescere, modo minis adversantis populi terreri: sæpe donis promissisque legatorum flectebatur. Atque interim triennio exacto, Ptolemæus non studium, non preces, omittere. Dignitatem legatorum, numerum navium, auri pondus augebat. Tum minax facies Scydrothemidi offertur, " ne destinata Deo ultra moraretur." Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta cœlestium ira graviorque in dies fatigabat. Advocata concione, " jussa Numinis, suos Ptolemæique visus, ingruentia mala" exponit. Vulgus adversari Regem, invidere Ægypto, sibi metuere templumque circumsidere. Major hinc fama tradidit, " Deum ipsum adpulsas litori naves sponte conscendisse." Mirum inde dictu, tertio die, tantum maris emensi, Alexandriam adpelluntur. Templum pro magnitudine urbis exstructum loco, cui nomen Rhacotis: fuerat illic sacellum, Serapidi atque Isidi antiquitus sacratum. Hæc de origine et advectu Dei celeberrima. Nec sum ignarus, esse quosdam, qui " Seleucia, urbe Syriæ, acci-

Rhen. recepit. In aliis verbis Bud. peccat, habet *verteret, paterentur.*

*Qui diversus animi*] MSS. Fl. (Bud.) Agr. *versus*: male. In utramque partem animo distrahebatur, modo volens accipere conditiones, modo nolens. Infra MS. Agr. ed. pr. *a Deo.* Sed præpositio orta est ex ultima præcedentis verbi. In ed. pr. *moraretur* excidit. ERN. Bud. *Deo.* Bip. restituere *versus*: sequor: est autem mutatus s. mutabilis.

*Adversari Regem*] Recte Muretus *aversari* corrigit: nam renitendi atque obsistendi significatio locum hic non habet, ut visum Pichenæ. Vulgus audire Regis dicta nolebat, quod est *aversari.* V. ad H. 1, 1. Ed. pr. et MS. Agr. *reges,* quod placet Ryckio, ut ad Scydrothemidem et Ptolemæum pertineat. Male: ut e dictis patet. Invidebant porro Ægypto possessionem illius Dei sui, gloriamque ex Deo ad se translato; denique metuebant, ne sibi perniciosum foret, si Deum suum a se abduci sinerent. ERN. Bud. *Regem.* In voce *adversari* iterum ab Ernestio discedo. Probatæ Latinitatis verbum esse ex Plauto patet, qui paregmeno usus in Merc. 2, 3, 43. sic: *nolo advorsari tuam advorsus sententiam.*

*Major hinc fama tr.*] MS. Guelf. *majorum. Major fama* est mirabilior, ob rei miraculum majus fide. Mox ed. pr. *totum maris.* ERN. Bud. *major... tantum.*

*Rhacotis*] Olim vicus, postea pars Alexandriæ, navalibus inminens. Strabo 17. p. 792. Serapeum Alexandrinum describit Amm. Marcell. 22, 16. Ejus meminit et Dionys. v. 255. ἔνθα Σινωπίτοιο Διὸς μεγάλοιο μέλαθρον.

*Serapidi atque Isidi sacrum*] Savilius tentat *Osiridi*: quia, tum demum advectus, Deus non ante sacellum habere potuerit. Atque etiam Bochartus Hieroz. 1, 3, 34. erroris arguit Tacitum, quem putat natum e male intellecto scriptore Græco, unde hæc hausta; verbo τετίμηται (quo et Clemens Alex. Protrept. p. 31. utitur hanc rem narrans) accepto, *cultus est,* cum sit *colitur.* Sed Serapidis cultus jam ante apud Ægyptios: nunc Serapis Sinopensis ejusque simulacrum inde advectum coli cœpit: ut diserte tradit Platarch. de Isid. et Osirid. p. 362. εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Πλούτωνος ἐκτήσατο τὸν Σαράπιν. ERN.

*Et advectu Dei*] MS. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *adventu.* An e MS. Bud. illa lectio sit, nescio. (Omnino sic est.) Alioqui verba hæc *veho* et *venio,* et ducta hinc, passim in scriptis libris confunduntur. Sed tamen et *adventus* solenne verbum in hac re. Cic. Nat. D. 3, 23. *Apollo tertius Jove tertio natus,*

tum, regnante Ptolemæo, quem tertia ætas tulit:" alii "auctorem eundem Ptolemæum, sedem, ex qua transierit, Memphim" perhibent, inclytam olim et veteris Ægypti columen. Deum ipsum multi "Æsculapium, quod medeatur ægris corporibus;" quidam "Osirin, antiquissimum illis gentibus Numen;" plerique "Jovem, ut rerum omnium potentem;" plurimi "Ditem patrem, insignibus, quæ in ipso manifesta," aut per ambages conjectant.

LXXXV. At Domitianus Mucianusque, antequam Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treveris gestarum nuntios accepere. Præcipua victoriæ fides, Dux hostium Valentinus, nequaquam abjecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. Auditus ideo tantum, ut nosceretur ingenium ejus, damnatusque, inter ipsum supplicium, exprobranti cuidam "patriam ejus captam," "accipere se solatium mortis," respondit. Sed Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: "Quoniam benignitate Deum fractæ vires hostium forent, parum decore Domitianum, confecto prope bello, alienæ gloriæ interventurum. Si status Imperii aut salus Galliarum in discrimine verteretur, debuisse Cæsarem in acie stare: Caninefates Batavosque minoribus Ducibus delegandos. Ipse Lugduni vim fortunamque Principatus e proximo ostentaret, nec parvis periculis inmixtus, et majoribus non defuturus."

LXXXVI. Intelligebantur artes: sed pars obsequii in eo, ne deprehenderentur: ita Lugdunum ventum. Unde creditur Domitianus occultis ad Cerialem nuntiis fidem ejus tentavisse, "an præsenti sibi exercitum Imperiumque traditurus foret:" qua cogitatione bellum adversus patrem agitaverit, an

*quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse.* Ovid. Fast. 4, 247. de Rhea: *unde petita venerit:* ibid. 1, 239. *at bona posteritas puppim servavit in ære, hospitis adventum testificata Dei.* Unde et tales Dii *advenæ* dicuntur. Noster in Germ. c. 2. *Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos.* Sed tamen idem c. 9. *advectam religionem* dixit. Quare si notatum reperissem, *adventum* esse in Florent. id restituissem: nunc suspicor *advectum* ibi esse. Itaque servavi. ERN. Brot. et Bip. iterum dedere *adventu.*

*Ptolemæo*] Est is, qui Euergeta cognomine dicitur. Mox copula *et vet.* e Flor. a Pichena addita, est etiam in Guelf. (et Bud.) edd. vett. Excidit temere in ed. Rhen. secunda, unde et a Lipsio neglecta. ERN.

*Osirin, antiquiss.*] Male in Ern. 2da legitur *aut antiquiss.*

*Valentinus, nequaquam*] Bip. *Valentinus. Is nequaquam.*

*In discrimine verteretur*] *In discrimine* MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Agr., edd. pr. Rhen. seqq. ante Pichenam: unde restitui. Puto dictum pro *in discrimine versaretur:* non sic legendum, ut Broterius accepit. Jac. tamen Gronovius accipit, ut 2, 28. *Sin victoriæ sanitas etc. in Italia verteretur.* Edd. Puteol. Ber. Alc. Pich. seqq. *in discrimen.* ERN.

*Qua cogitatione bellum*] Spernimus ut spurcum, *cogitare cogitatione.* Roni. cod. *qua contagione;* ex quo vere emendo, *contatione.* Contari, velut conto explorare: et proprie noster hic usus. LIPS. *Contagione cogitaverit* etiam MS. Agr. (et Reg. Lall.) quod præferendum putat vulgatæ e Flor. lectione Ryckius. Utinam dixisset, quis ille melior sensus foret, qui ex hac lectione existeret. *Agitaverit,* quod e Flor. recepit Pichena, probo, idque verbum et alibi Tacitus in tali re usurpat. Sed tamen adhuc in *cogitatione* hæreo: nec *cunctatione,* aut Gruteri *rogitatione* satisfacit. Forte scri-

opes viresque adversus fratrem, in incerto fuit: nam Cerialis salubri temperamento elusit, ut vana pueriliter cupientem. Domitianus, sperni a senioribus juventam suam cernens, modica quoque et usurpata antea munia Imperii omittebat: simplicitatis ac modestiæ imagine, in altitudinem conditus, studiumque litterarum et amorem carminum simulans, quo velaret animum et fratris æmulationi subduceretur, cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

psit Tacitus: qua *solicitatione*. Nam *solicitari* dicuntur, quorum fides tentatur. Ern. Bud. *cogitatione—cogitaverit*. Rectius *agitaverit*. Sed *cogitatione* probum, ut A. 15, 54. Velleius 1, 10. ubi Lipsius quoque malebat *contatione*. Gruterus in nostro loco volebat *rogitatione*. Mox Bud. *virosque*.

*Simplicitatis ac modestiæ*] MS. Guelf. edd. Puteol. ceteræque ante Rhen. addunt *simul*. Ern. Illud *simul* nec est in Flor. nec in Bud. Servavit tamen Rhen. Paullo ante pro *senioribus* Barthius conjectat *sanioribus*, frustra. Dein Bud. *ante ea*. Sic et Agr.

*In altitudinem*] *In altitudine* MS. Agr. ed. pr. *In altitudinem conditus* interpretantur abdens et occultans cupiditates suas. *Altitudinem* sic dici docuimus ad A. 3, 44. sed *in altitudinem se condere* aliquid duri habet. Mihi Tacitus scripsisse videtur *in solitudinem conditus*, quod et lenius et contextui aptius est: præsertim cum faveat mirifice locus Quintiliani Inst. Or. 10, 1, 91. qui mox a Lipsio profertur, (secundum Lipsii correctionem, quæ probatur et Schelio ad Dial. de Or. c. 9. et recepta est a Gesnero) ubi *secessisse* dicitur juvenis Domitianus et in isto secessu carmina scripsisse: *secedere* planissime est *in solitudinem condi*; nam, qui secedunt, *abditi agris, domo* etc. sæpe dicuntur a Suetonio et aliis. Atque hoc ipsum est modestiæ, e stilo Taciti, abstinere se a publicis negotiis et, remotum a celebritate, vacare studiis literarum, aut alii rei, quæ nihil conjuncti habeat cum Republica. Ern. Bip. Lipsio tribuunt lectionem *in solitudinem*, quæ debetur Ernestio. Recte vero propugnant *altitudinem* eo sensu, quo supra A. 3, 44. *Solitudo* huc non facit, quoniam, qui ab Imperii curis secedit, ea propter non in solitudinem abit.

*Amorem carminum simulans*] Simulans tantum? ita. Suetonius 2. *simulavit* (Domitianus hic iste) *mire modestiam, in primisque poeticæ studium, tam inusitatum antea sibi, quam postea spretum et abjectum*. At scriptores ejus ævi campum hunc adulatorium egregie exercent, et vatem faciunt supra vates. Omitto poetas (more mentiri aliquid et extollere iis fas); ecce nostrum senem Fabium l. c. *Hos nominavimus, quia Germanicum Augustum* (cave alium ab isto intelligas) *ab institutis studiis deflexit cura terrarum; parumque Diis visum est, esse eum maximum poetarum. Quid tamen iis ipsis operibus ejus, in quæ donatus Imperio juvenis successerat* (scribo, *secesserat*) *sublimius, doctius, omnibus denique numeris præstantius?* Ite, Homere et Virgili, erepta vobis a Paride hoc palma. Plinius etiam Præfatione ad Titum: *Quantus in poetica es! o magna fecunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti*. Hæc turpia, atque utinam, tamen timeam, nequis hodie apud Principes sic peccet! Lips. Poetarum Silii, Val. Flacci, Martialis loca indicat Dodwell. Annal. Vellei. § 14. Mox MS. (Bud.) Guelf. *subduceret*. Ern.

*Contra interpretabatur*] Scripti libri subtexunt, *neque vos impunitos patiantur*. Perperam; quia verba sunt ex oratione Cerialis supra repetita. Farnesianus adscribit *Deest hic aliquantulum*: cui fidem habeo. Lips. Verba *neque vos i. p.* sunt etiam in ed. pr. MS. Agr. *interpretabantur*. Ern. Bud. *interpretabatur*, subjunctis istis spuriis, quæ non sunt in Flor. hic ita: *Cornelii Taciti liber XX explicit. Incipit XXI.*

# C. CORNELII TACITI

# HISTORIARUM

## LIBER QUINTUS.

### BREVIARIUM LIBRI.

Cap. 1. Interim Titus cum valido exercitu prope Hierosolyma castra facit. 2—5. Judaicæ gentis primordia, sacra, instituta, deque iis maligna profanorum judicia. 6. 7. Descriptio terræ finiumque, balsami, Libani, Jordanis, lacus bitumen egerentis, camporum torridorum, fructuum in cinerem vanescentium, Beli amnis, cujus arenæ vitro inservientes. 8. Hierosolyma genti caput. Inmensæ opulentiæ templum. Judæorum sub aliis gentibus et suis Regibus fata; 9. varia sors sub Romanis. 10—12. Bellum sub Gessio Floro Procuratore ortum. Titus Judæos, in urbem compulsos, obsidet. Hierosolymorum munitiones, copiæ, Duces. 13. Prodigia ante obsidium.

14. Interea Civilis, reparato per Germaniam exercitu, bellum renovat. 15. Manum conserit cum Ceriale, satis prospere. Uterque, ad maturandum summæ rei discrimen erectus, 16. 17. aciem instruit, suos adloquitur. 18. Fit atrox pugna, qua, proditione cujusdam Batavi, Germani vincuntur. 19. 20. Civilis, in Batavorum insulam transgressus, præsidia Romanorum invadit, Verace, Classico, Tutore suffultus. 21. Ambiguum prœlium. Subvenit Cerialis fortunamque vertit; 22. at parum providus ferme opprimitur. 23. Civilis navalem aciem ostentat, sed a Ceriale trans Rhenum pellitur. Hic, insulam Batavorum populatus, superfuso amne, novum discrimen adit. 24. 25. Tum hostium animos occultis nuntiis labefactat. 26. Civilis, petito colloquio, ad deditionem se pronum profitetur.

I. EJUSDEM anni principio Cæsar Titus, perdomandæ Judææ delectus a patre, et prælatis utriusque rebus militia cla-

*Perdom. Judææ delectus*] Ed. pr. *delegatus*. Immo ei potius Judæa perdomanda delegata; qua phrasi sæpe Suetonius utitur. Ceterum sæpe tentatus sum corrigere *relictus*. Nam profecto verbum *delectus* non satis dignum Imperatoris filio aut aptum videtur. Consentit Sueton. Tit. 5. qui eum *ad perdomandam Judæam relictum* dicit: quod e nostro sumtum videtur. Et Tacitus c. 10. *simul manere apud exercitus Titum,—utilius videbatur*. ERN.

*Privatis utriusque*] Probam lectionem censeam et sententiam, absque libris sit: qui consensu omnes, *prœliatis utriusque*: aut, *prælatis*. Ego, quamquam intentus, nihil elicio. LIPS. *Prælatis* Flor. Agr. ed. pr. *Preliatis* Bud. *Prœliantis* Guelf. ed. Put. Ber. Alc. *Privatis* est e correctione Rhenani, sumta ex H. 3, 65. *Fl. Sabinus—privatis utriusque rebus auctoritate pecuniaque Vespasianum anteibat*. ERN. Lectionem codicum vindicant Bip. leguntque *prælatis*:

rus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum et exercituum studiis. Atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promptumque in armis ostendebat, comitate et adloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, inconrupto Ducis honore. Tres eum in Judæa legiones, quinta et decima et quintadecima, vetus Vespasiani miles, excepere. Addidit e Syria duodecimam et adductos Alexandria duoetvicesimanos tertianosque. Comitabantur viginti sociæ cohortes, octo equitum alæ: simul Agrippa Sohemusque, Reges, et auxilia Regis Antiochi, validaque et, solito inter adcolas odio, infensa Judæis Arabum manus: multi, quos urbe atque Italia sua quemque spes acciverat occupandi Principem adhuc vacuum. His cum copiis fines hostium ingressus, composito agmine, cuncta explorans, paratusque decernere, haud procul Hierosolymis castra facit.

II. Sed, quia famosæ urbis supremum diem traditurі sumus,

cui simile c. 8. *præpotuere.* Suntque *prælatæ utriusque res* honores utrique delati, ut ap. Virgil. Æn. 5, 541. *Nec bonus Eurytion prælato invidit honori*, quem v. 534. dixerat *exsortem* i. e. extra ordinem delatum. Ut codicibus quoque sit prælatus honos, recipio emendationem, etsi non negem, conjecturam Rhenani multum mihi blandiri. Quod autem ante *clarus* inserendam particulam *jam* judicant Bip. mihi non necessarium videtur; intelligitur quippe ex nexu, et præcedenti voci subjuncta auribus ingrata fuerit.

*Ut superior sui jam*] Hic quoque me locus diu torsit, per singulos apices et ductus scripturæ veteris euntem. Sed exclamare tandem cum Philosopho possum εὕρηκα. Budensis habuit *superior unam crederetur.* Vatic. *superiori unam.* Ex quo, vix duabus litteris leviter mutantibus, facio: *ipse ut super fortunam*, eleganti sententia. Titus, inquit, jam tum privatus clarus bello: nunc multo promptior, ut parem vel superiorem se potius fortuna hac Imperatoria ostenderet. Rhenanus divinabat: *ut superiori via ingrederetur.* Farnes. autem cod. et Rom. abeunt ab hoc scripto longius, *ut superior omnibus crederetur.* LIPS. Lipsii correctionem recepit Pichena, servaruntque sequentes edd. Vaticano MS. consentit Flor. Farnesiano MS. Agric. (et Reg. Lall.) eamque lectionem præfert Ryckius, quæ mihi nimis languida videtur. MSS. Guelf. Oxon. *ut imperio dignus jam crederetur.* Mihi et hoc et alterum, Ryckio probatum, conatus corrigentium corruptum locum videtur, sed hoc tamen Ryckiano melius. Lipsii correctio an vera sit, non pro certo dicam, præsertim cum a multis impugnari videam: dignam quidem Tacito esse credo. Nec spernam Trilleri conjecturam Obs. p. 312. e vestigiis cod. Bud. legentis *superior animo.* Licet etiam nobis conjectare? Forte fuit, *ut suæ par fortunæ cr.* quæ certe sententia huic loco est aptissima. ERN. Vulgata lectio jure suo non displicet Pichenæ, Salinerio, Acidalio, Grutero; sed emendatio Lipsii optimis codicibus magis convenit, nec patet, unde vulgata sit ducta.

*Tres eum*] *Eum* MS. Guelf. et inde a Rhen. omnes edd. At MS. Bud. *cum:* edd. Put. Ber. Alc. *tum:* ed. pr. *tres in Jud.* ERN. Rhen. emendavit ex ingenio.

*Addidit e Syria* etc.] Sic edidi ex ed. pr. quæ est vera lectio. Sic est et in MS. Reg. Præpositio *e* est in edd. omnibus ante Rhen. Ea in MS. Guelf. mutata est in *et*, ut a Rhen. in *et*, ut sensus constaret. Sed *tradidit* vitiosum esse patet ex eo, quod id verbum plane alienum est a sequentibus *adductos Alexandria d. t.* cum hæc contra aptissima sint verbo *addidit.* ERN. Bud. ut vulg. *tradidit e Syria.*

*Principem adhuc vacuum*] Forma dicendi a provinciis ducta est, quæ vacuæ dicuntur, cum non habent rectorem. Ita *Princeps vacuus* est, cujus animus nondum inclinat in aliquem, cui in primis credat se, quem in primis audiat etc. a quo genere Principes plerumque reguntur. Est ergo bellissime expressa sententia. ERN.

congruens videtur primordia ejus aperire. " Judæos, Creta insula profugos, novissima Libyæ insedisse," memorant, " qua tempestate Saturnus, vi Jovis pulsus, cesserit regnis:" (argumentum e nomine petitur: " inclytum in Creta Idam montem, adcolas Idæos; aucto in barbarum cognomento, Judæos vocitari:") quidam, " regnante Iside, exundantem per Ægyptum multitudinem, ducibus Hierosolymo ac Juda, proximas in terras exoneratam:" plerique, " Æthiopum prolem, quos Rege Cepheo metus atque odium mutare sedes perpulerit." Sunt, qui tradant, " Assyrios convenas, indigum agrorum populum, parte Ægypti potitos, mox proprias urbes Hebræasque terras et propiora Syriæ coluisse rura." Alii, " Judæorum initia, Solymos, carminibus Homeri

*Primordia ejus aperire*] Si, quæ de rebus Judaicis tradit Tacitus, omnia excutere diligentius vellemus, plurima dicenda forent. Sed istas disputationes non capiunt notæ, in quibus maxime spectatur, ut emendata verba sint, et intelligatur sensus eorum. Adspergemus tamen subinde aliquid, ubi opus videbitur. Illud ab initio mirari libet, qui commiserit Tacitus, ut Josephi libros non consuleret, qui illis temporibus non obscuri erant Romæ, et e scriptoribus externis potius hauserit, quam auctore Judaico. Verum hoc quoque pro Tacito dicam, non omnia eum pro certis tradere, sed quæ vulgo traderentur, in compendium congesta lectoribus proponere voluisse. Late totum hunc locum exsecutus est Christ. Wormius, in Corruptis Antiquitatum Ebr. apud Tacitum et Martial. vestigiis. Hafniæ 1693. ERN. Egregie etiam ista illustravit Broterius.

*Adcolas Idæos—Judæos vocitari*] Unde hæc traditio de Creta, Judæorum patria, docet Huet. Dem. Evang. Prop. 4, 9. p. 194. putatque, exoticos scriptores *Idæos Cretenses* cum *Judæis* confudisse. Negat hoc Fr. Ad. Lampe de cymb. vet. 2, 9 et 12. At ipse tamen firmat, dum Tacitum, similitudine nominis deceptum, *Judæos ex Creta provectos* adfirmare, tradit, quum *Idæos* deberet.

*Aucto in barbarum cognomento*] *Morem* addunt MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. male. *Barbarorum* est in MS. Agr. ed. pr. Vulgatum tuentur MSS. Flor. Bud. unde edidit Rhenanus, et Tacitus ipse A. 6, 42. *neque in barbarum corrupta.* Additur *quasi Idæos* in MS. Guelf. edd. Put. Ber. ceterisque ante Pich. (Bud. *quasi Ydeos*) post *vocitari* male. Ceterum magis de Græca quam Latina pronunciatione intelligenda sunt Taciti verba. Nam in Græca e trisyllabo fit quadrisyllabum: augeri autem verba dicuntur ab accessione novarum syllabarum; quamquam et accessio literæ *u* intelligi potest. ERN. Pichena delevit, quia non in Flor.

*Sunt, qui tradant*] *Tradunt* MS. Guelf. edd. Puteol. Ber. Alc. *tradant* verum est. (Dedit Rhen. e Bud.) Semper Tacitus conjunctivo in hac forma utitur. Sed sæpe sic peccarunt librarii, ut non uno loco ad Livium notavit Drakenb. Nec mirum: cum etiam hodie vulgo hanc elegantiam ignorent, fugiantque in scribendo. Post ed. pr. *indignum* (Bud. *indigum*). Deinde *ac* ante *mox* delevi, cum Ryckio et J. Gron. quod addiderat de conjectura Rhen. quia in Bud. erat *an mox*. Abest *ac* a MSS. Flor. Guelf. Oxon. Agr. edd. ante Rhen. Ceterum hic in bonum auctorem incidit Tacitus, et hæc verissima traditio. Nam e Mesopotamia gentis origo, quæ est veteris regni Assyriaci pars. ERN. Bud. *partem Ægypti potitos.*

*Coluisse. Clara*] Verum hic, puto, vidisse Bip. qui τῷ *clara* substituunt *rura* et eo, quo expressi, modo distinguunt. Bud. male *propriora.*

*Carminibus Homeri*] Locus Homeri notus (ex Il. ζ. 184. 204. Od. ε. 283.) sententia tantum valde ambigua inter natantes scholiastas. Sunt, qui designari Lycios aut finitimos quosdam velint: quo Strabo 14. p. 667. et Eustathius ad Il. ζ. 184. et Pindari interpres ad Ol. 13, 129. inclinant: sunt qui Pisidas: quo Plinius, 5, 27. (24) et Stephanus: sunt, qui Judæos: quod noster hic suggerit, et Tzetzes Chil. 7, 149. Eusebius etiam Pr. Ev. 9. p. 243. Chærili Poetæ testimonio, Hebræos Solymos olim dictos censet evinci. Nec Q. Calaber sane aliter apud Homerum accepit ideoque

celebratam gentem, conditam urbem Hierosolyma nomine suo fecisse."

III. Plurimi auctores consentiunt, " orta per Ægyptum tabe, quæ corpora fœdaret, Regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, remedium petentem, purgare regnum, et id genus hominum, ut invisum Deis, alias in terras avehere jussum. Sic conquisitum conlectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrimas torpentibus, Mosen, unum exsulum, monuisse, ne quam Deorum hominumve opem exspectarent, utrinque deserti, sed sibi, ut Duci

2, 120.—Σολύμων ἱερὸν στρατὸν dixit: sacri epitheto sacram indicans gentem. LIPS.

*Conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse*] Sic edidit Rhen. e vestigiis MS. Bud. in quo *conditæ urbi Ierosolimam nomine suo fecisse*, ut in Guelf. Ceteri MSS. et edd. ante Rhen. *conditam urbem*. Rhenani correctionem adjuvat species imitationis Virgilianæ G. 1, 137. *stellis numeros et nomina fecit*: quamquam et Livius aliique hac forma utuntur: cum contra vix doceri possit, *urbem facere* bene dici. Ceterum omnes libri consentiunt in *Hierosolymam*, pro quo facile concedo Oudendorpio legendum *Hierosolyma*, quo genere et alibi noster utitur. (Cf. 2, 4. 5, 1. 9. 10, 11.) Vid. ipsum ad Sueton. Aug. 93. et quæ nos diximus ad Ann. 6, 33. de *Artaxatis*. Rursus tamen *Hierosolymam* in quibusdam libris infra c. 10. ERN.

*Orta per Æg. tabe*] *Vitiligînem* appellat Justinus 36, 2. uti optime restituit optimus et doctissimus Bongarsius. LIPS. Hæc nota ab Ernestio erat prætermissa.

*Regem Occhorim*] Ita libri vett. quos sum secutus, non *Bocchorim*: etsi vulgatæ huic scripturæ adsertor Justinus venit Λόγῳ παραινετικῷ c. 9. Nam ait: Τέταρτον δέ φασι νομοθέτην γενεσθαι Βόκχορίν τὸν βασιλέα, σοφόν τινα καὶ πανουργίᾳ διαφέροντα. Etiam Orosius 1, 10. qui, locum hunc totum transscribens, Bocchorim tamen appellat. Sed et Plutarchus ita nominat, libello περὶ δυσωπίας p. 529. Itaque jure vacillo. Nam Clemens Strom. 1. p. 320. nimis diversus a nobis abit, qui Omosim hunc vel Amasim appellat. At quod ad rem ipsam, falsa est, et refellunt libri sacri. Tamen sumsit hæc a Lysimacho, uti videre potes apud Josephum contra Apionem 1, 34. ubi item scriptum *Bocchoris*. LIPS. *Ochorim* MS. Agr. ed. pr. ut *Bocchorim* Flor. Guelf. edd. Puteol. ceteræque ante Lipsium, qui *Occhorim* recepit: *Bocchorim* restituit Pichena. Ceterum hic Rex omnium consensu diu post bellum Trojanum demum imperavit. V. Perizon. Origg. Ægypt. c. 19. p. m. 333. ERN. Bud. *Bocchorum*.

*Avehere jussum*] MS. Guelf. a m. pr. sic habuit, sed correctum est in *abire*: ed. pr. *abjicere*. Ante edd. Put. Ber. Alc. *et invisum*; male. ERN. Rhen. *ut* e Bud.

*Postquam vastis locis*] Mirum, non addere eum, quibus in locis. At sane ex Tertulliano legendum videatur, *vastis Arabiæ locis*. Is enim Apolog. c. 16. narrat Tacitum scripsisse H. 5. *Judæos Ægypto expeditos sive extorres in vastis Arabiæ locis aquarum egenos*, etc. Orosio tamen l. c. non aliter lectum, quam nostri libri præferunt. LIPS. Memoriter protulit locum Tertullianus et addidit Arabiæ nomen de suo. Mox *exsulem* ed. pr. *movisse* pro *monuisse* Orosii ed. Venet. 1500. in eademque mox *Deorum templorumque hominumve*, ut in Paris. 1510. ERN. In Colon. 1526. non est *templorumque*. Eadem habet *monuisse*. Sic et hic Bud. et *exulum*. Idem *Moysen*.

*Ceteris per lacrimas torp.*] Non placet satis, *per lacr. torpere*: non solent homines, cum stupent, flere: immo stupore excusso, cum ad se rediere, solent lacrimare. Sed mollius explicari potest: *Per lacrimas* est *inter lacrimas*, et *torpere*, nullum consilium vincendi mali reperire, quomodo non uno loco dictum reperimus. ERN.

*Utrinque deserti*] Sic MSS. Flor. Agr. (Reg. Lall.) ed. pr. quod bene recepere Ryckius et J. Gron. Ceteri *ab utrisque*, quæ est glossa τοῦ *utrinque*, quod de personis exquisitius dicitur. Ceterum hæc verba in MSS. omnibus Orosii ab Havercampo inspectis abfuere, ut et edd. pr. August. Paris. in cujus notula monitum: in nostris vetustis verba *ab utrisque deserti* non leguntur. ERN. Bud. *utrisque* sine præpos. quæ et in Flor. deest.

*Sed sibimet* etc.] Tentabam: *at si-*

cœlesti, crederent, primo cujus auxilio præsentes miserias pepulissent." Adsensere atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æque, quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio, totis campis procubuerant: cum grex asinorum agrestium, e pastu in rupem, nemore opacam, concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas aperit. Id levamen: et continuum sex dierum

*bimet, et, ut Duci cœlesti, crederent primo, cujus auxilio præsentes.* Ante omnia, inquit, sibimet ipsi quisque Hebræorum; deinde fortunæ, sive *primo* cuique obvio, per quem utcumque juvarentur, non secus ac misso de cœlo Duci, esse crederent ac permitterent. GRON. Unus Gronovius vidit, ut ex ejus correctione patet, *sibimet* non ad Mosen, sed ad Judæos referri debere. Si ad Mosen pertineret pronomen, deberet esse *sibi*. Nam *sibimet* est *sibi ipse*, in sing. *sibi ipsi* in plurali, cujus rei inscitia et alibi turbas dedit et tenebras obfudit. Ceterum correctio viri excellentis propter inusitatum loquendi modum *se sibi credere* non magis satisfacit, quam Schellii, qui ad Hygin. p. 137. corrigit *adessent sibimet: ut duci cœlesti crederent, primo* etc. Nam durum est e *sed* facere *adessent*, et *sibimet* ita ad Mosen refertur, quod Latinitas non patitur. In hoc tamen verum vidit Gronovius, quod induci Mosen suadentem judicat, ut primum a semet ipsi auxilium peterent ac sperarent, et a fortuna sua, h. e. ut post explicatur, fortuitum iter ingrederentur pergerentque, qua impetus, quo pedes ferrent, etsi omnium rerum locorumque ignari: deinde, si cujus præsens auxilium cognovissent, ei se crederent: cui respondent ea, quæ mox de aqua inventa traduntur. Sed ad hanc sententiam quomodo accommodanda sint verba, difficile est dicere. An partem Gronovianæ correctionis probabimus: *sed sibimet, et ut duci cœlesti crederent, primo c.* an sic faciemus: *sed sibimet, ut d. c. crederent, et primo cujus a.* sive, ut Groslotio placebat, *cujus primo aux.* Nihil enim impedit, quo minus jubeat populum se suamque fortunam pro cœlesti Duce habere, qui nihil opis cœlestis exspectandum dixerat, humanam opem autem ab eo, qui eos primus ab hac difficultate liberasset, primus opem tulisset. Forte etiam verba *ut duci cœlesti* sunt a glossa, male referentis *sibimet* ad Mosen: nam, his sublatis, et interposito *et*, eo, quo dixi, loco, omnia bene procedunt. De reliqua parte loci v. not. seq. Ceterum MS. Flor. habet *et sibimet duce cœlesti cr.* ut et ed. pr. (et Orosii ed. August.) quæ interpungunt post *primo*. Agr. *ut sibimet duci cœlesti cr.* sed m. sec. superscripsit *et*. Ceteri libri mei vulgatum habent. Orosii edd. pr. Venet. Paris. *sed sibimet duci cœlesti cr.* Havercampus putat, *credentes* in Tacito delendum (quod nec in Orosio edidit) et *porro* pro *prima sibimet* (Mosi) *crederent porro, cujus aux. recentes m. p.* i. e. Ægyptiacas. Sed *sibimet*, ut dixi, ad Mosen referri non potest. ERN. Quæ hic de Havercampo monentur, non ita se habent. Is τὸ *credentes* non delevit, sed falso positum ex duplici scriptura τοῦ *præsentes* ortum adserit. In Bud. *et duci* erasis superscriptum.

*Cujus auxilio credentes* etc.] Citat etiam ita Orosius: ambigo tamen et contor, an non vox, *credentes*, ejicienda sit. Et jam video abesse in Othonis Fris. I, 18. ubi hæc citat. LIPS. Ab ipso Orosii loco abfuisse reperio in MS. ap. Petr. Danielem. Nec est in aliis Orosii MSS. edd. pr. Venet. Paris. August. recteque omissum ab Havercampo. ERN. De Havercampo vide mox monita. Multiplex medicina ægroto adhibita. Freinsh. volebat *cujus consilio*. Is. Pontanus legit *privo cujus auxilio*, et *credentes* expungit. Salinerius *pepulissent* futuri significatione accipit, ut ap. Virg. Æn. 2, 136. Lampugnanus in cod. suo *pertulissent* se reperisse fingit, vidente Lipsio. Bipontini locum ita concinnant: *sed sibimet quærentes, ut Duci cœlesti, crederent primo, cujus auxilio præsentes mis. pep.* Putant quippe, istud *quærentes*, a librario omissum, alieno dein loco intrusum, in *credentes* esse mutatum. Mihi turbas dedisse enclitica pronominis *sibi* videtur, qua resecta expulsoque spurio *credentes* omnia plana, sana. *Sibi* profecto nonnisi ad *Mosen* referri potest. *Præsentes miserias* intelligo, quibus mox fuerant pressi.

*Grex asinorum agrestium*] Ed. pr. corrupte *assiriorum agrestum* et mox *conscendit*. ERN.

*Id levamen*] MS. Guelf. *idem levamen*; male. Ceterum post hæc verba interpunctio major esse debet, ut in edd.

iter emensi, septimo, pulsis cultoribus, obtinuere terras, in quis urbs et templum dicata.

IV. Moses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quæ apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta. Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere; cæso ariete, velut in contumeliam Hammonis. Bos quoque inmolatur, quem Ægyptii Apin colunt. Sue abstinent, memoria cladis, qua ipsos scabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium. Longam olim famem crebris adhuc jejuniis fatentur: et raptarum frugum argumentum panis Judaicus, nullo fermento, retinet. " Septimo die otium placuisse," ferunt: " quia is finem laborum tulerit: dein, blandiente inertia, septimum quoque annum ignaviæ datum." Alii, " honorem eum Saturno haberi: seu principia religionis tradentibus Idæis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepi-

Put. Ber. aliisque vett. non comma, ut in recentioribus, intelligendumque *fuit*, quod alibi in hac forma narrandi addit. Incipit enim deinde nova sententia. Mox *in quis* MS. Flor. ed. pr. Eadem post *dedicata sunt*. Sed *sunt* abest a MSS. Flor. et Agr. quod elegantius est. Itaque delevi. ERN. Bud. *in quibus—dicata sunt*. Prius male, *continuerc*.

*Ritus—indidit*] Imposuit, præscripsit. Sic et alibi de legibus loquitur. Mox frustra Acidalius pro *illic* volebat *illis*. Nam *illic* pro *apud illos* dixit variandæ orationis caussa. Sic paullo ante *utrinque* pro *ab utrisque*, et infra c. 5. *illuc* pro *ad illos*. ERN.

*Effigiem animalis*] Hoc de capite asini magno consensu omnes veteres tradiderunt; ne tantopere noster culpetur, tamquam *mendaciorum plenissimus* scriptor. Et sane Strabo, Plutarchus, Democritus apud Suidam multo majora deliria delirarunt contra gentem et libros sacros. LIPS. Quid locum fabulæ dederit, quæsivere Steph. Morinus peculiari disputatione (in ejus Diss. octo 8. Gen. 1683. p. 157). Bochartus Hierozoic. I, 2, 18. T. Faber Epp. I, 6. et alii. In nonnullis edd. recentioribus, ut Gronoviorum, irrepsit *effigies*. ERN.

*Errorem sitimque*] *Errorem* suspectum est viris doctis, Acidalio et aliis, quia asinis indicibus sitim depulere, non errorem. Trillerum verbum id tentantem refellit Elsner. Sched. Crit. p. 80. Nempe, inventa in desertis locis aqua, cum, paucis diebus post domini terræ cultæ facti sint, nihil impedit, quo minus ducibus asinis et ab errore et ab siti liberati dicantur. ERN. Est, qui *ægrorem* velit, teste Acidalio.

*Cæso aricte* etc.] De his commentitiis rituum caussis disputavere Bochartus opere laudato 1, 2, 50. et alii. Illud universe monendum videtur, hoc exemplo patere, quas ineptias proferant, qui rituum aliarumque talium rerum, arbitrio sive divino sive humano sancitarum, caussas ingenio reperire conantur potius, quam e monumentis genuinis et idoneis eruere. Ea ubi desunt, nihil tentandum, si delirare nolis. Atque id Tacitus ipse videtur intellexisse, cum addat: *hi ritus quoquo modo inducti*, et tantum partes egisse narrantis, quid scriptores tradiderint vulgo. ERN. Illud de *aricte* spectat ad id, quod frequens pro peccatis populi immolatus.

*Qua ipsos scabies*] *Qua* MS. Flor. (Bud.) edd. veteres, præter primam, omnes ante Lipsium, quas vidi. MS. Guelf. a pr. manu habuit *quam*, unde scc. fecit *quod*, ut est in ed. pr. Caussa est in verbis *memoria cladis*: ea clades qualis fuerit, deinde explicatur, quod desiderat *qua*. Itaque restituimus. Clades autem non intelligenda de expulsione ex Ægypto, sed de morbo. ERN. Bip. malunt *quia*.

*Tradentibus Idæis*] MS. Guelf. (Bud.) edd. omnes ante Lipsium, *Judæis*; male: mox MS. Guelf. edd. ante Rhen. *de septem sid.* ERN. Rhen. *e* ex ingenio, nam Bud. *de*. Ceterum cognito nunc aucto Planetarum numero, somnia multa, istis fulta, evanuere.

mus, seu quod e septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et præcipua potentia stella Saturni feratur: ac pleraque cœlestium vim suam et cursum septimos per numeros conficiant."

V. Hi ritus, quoquo modo inducti, antiquitate defenduntur: cetera instituta sinistra fœda pravitate valuere. Nam pessimus quisque, spretis religionibus patriis, tributa et stipes illuc gerebant: unde auctæ Judæorum res. Et, quia apud ipsos fides obstinata, misericordia in promtu, sed adversus omnes alios hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus, projectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent; inter se nihil inlicitum; circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant: nec quidquam prius inbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere. Augendæ tamen multitudini consulitur. Nam et necare quemquam ex adgnatis, nefas: animasque prœlio aut suppli-

*Per numeros conficiant*] Vera lectio, quam e Vaticano promsi referente: *per numeros coniciant:* ex quo ego *conficiant.* Aliter vulgati. De re autem ipsa Dionem vide 37, 16. et in primis Alex. Clementem Strom. 6, 16. p. 290. LIPS. *Coniciant* etiam ed. pr. MS. Agr. *conjiciant.* At MS. Flor. (et Bud.) *commearent* MS. Guelf. edd. ceteræ ante Rhen. *ac plerisque cœlestium vim suam et cursum—commeare.* Rhenanus ceterique ante Lipsium dedere: *ac pleraque c. vi sua et cursu commeare.* Mox MS. Guelf. *his quoquo m.* ERN. Bud. *pleraque.* Bip. conjectant locum ita effingendum: *ac plerisque cœl. vim suam recursu septimos per numeros commeare.*

*Stipes illuc congerebant*] Cicero pro Flacco 28. *Cum aurum, Judæorum nomine, quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret.* Philo de Legatione ad Caium p. 1023. Καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἱεροπομποὶ στέλλονται χρυσὸν καὶ ἄργυρον πλεῖστον κομίζοντες εἰς τὸ ἱερὸν, τὸν ἀθροισθέντα ἐκ τῶν ἀπαρχῶν. Et p. 1014. Ἡπίστατο (Γιβέριος) καὶ χρήματα συναγαγόντας ἀπὸ τῶν ἀπαρχῶν ἱερὰ, καὶ πέμποντας εἰς Ἱεροσόλυμα διὰ τῶν τὰς θυσίας ἀναξόντων. Sed et Josephus notat, *immensam vim auri congestam in templum ab omni Asia et Europa:* Antiq. 14, 12 (7). Nos plura in *Magnitudine Hebræa.* LIPS. Copiosius hæc tractantem v. Gothofr. ad cod. Theod. l. 14. de Jud. et Zornium de Patr. Jud. auro Cor. Ceterum *pessimus quisque* intelligendi de proselytis. Pro *congerebant*, MS. Guelf. *congregabant.* MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. *gerebant.* Forte fuit *ferebant.* ERN.

*Et, quia apud ipsos* etc.] Non satis apte cohærere orationem in promtu est. Quosdam e suis libris habere ait Acidalius *atque ut—sic adversus* etc. Sed, qui sint isti libri, scire pervelim. Mei omnes vulgatum habent. Videtur autem nunc sententia hæc cum antecedente conjungenda, ut altera causa potentiæ: quod adversus suos populares quidem (i. e. *apud suos*) fidem constantissime servant, et misericordes sunt etc. ERN. Recte, puto, priscam Puteolani interpunctionem restituere Bip. etiamsi novam esse arbitrentur. Ego quoque reddidi. Sic et Dotteville.

*Alienarum concubitu*] i. e. *alienigenarum*, quod frustra reponere tentabat N. Heinsius, cum hodie lexica doceant, *alienos* dici etiam externos, peregrinos, ut *alieni mores, alienus orbis* etc. ERN. Bud. *alienarum cubitu.*

*Exuere patriam*] Rom. cod. *exire.* LIPS. *Exuere* verum est, diciturque pro contemnere, negligere, more Græco. ERN.

*Necare quemquam ex agnatis*] Qui otiose legerit, nihil offendet: fortasse is, qui intente. Si enim de cæde capis tantum, quid in eo novi? Sane et Romanis et barbaris plerisque necare consanguineos nefas. Sed alium ego hic sensum odoror, et scribo, *necare quemquam ex gnatis.* Scimus Græcis Latinisque in promiscuo usu fuisse abjectiones infan-

ciis peremptorum æternas putant. Hinc generandi amor et moriendi contemptus. Corpora condere, quam cremare, e more Ægyptio: eademque cura, et de infernis persuasio: cœlestium contra. Ægyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur; Judæi mente sola unumque Numen intelligunt. "Profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant: summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum." Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis, sinunt. Non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor. Sed, quia Sacerdotes eorum tibia tympanisque concinebant, hedera vinciebantur,

tum et expositiones, immo neces. Id aliter in Judæorum moribus, et gentem in primis soboli studuisse, adeo ut nulliusmodi partum necare fas; notat ut novum noster. Itaque, quia de liberis, jure addit *hinc generandi amor:* quoniam matres scilicet certæ, prolem tollendam. Simile prorsus, quod de Germanis De moribus 19. *numerum liberorum finire aut quemquam ex agnatis necare, nefas habetur.* Nam et ibi scribo, *gnatis.* LIPS. Defendunt vulgatum Salinerius et Acidalius, sed ita ut *adgnatos* pro *natis* dictos contendant. Immo *adgnati* sunt gentis suæ homines, quos omnes pro fratribus habebant et pro suis. Et hinc securitas et cupido generantium, quod sciebant, sacrosanctam esse vitam in populo suo; et, si tamen vi aliqua perirent, aliam vitam restare. Mox *animos æternos* MS. Agr. ed. pr. quod non spernendum puto. ERN. Nimium argute Petitus Obs. 2, 4. *ex a. d. natis:* i. e. ex ante diem natis.

*Corpora condere*] Trillerus emendat *condire:* frustra, ut docet Elsnerus in Schediasm. Crit. p. 81. Mos condiendi latet in verbis *eademque cura.* Et, cum de moribus sepeliendi sermo est, cremationi opponitur mos *condendi*, non *condiendi.* ERN.

*Eademque cura* etc.] Varie hic locus legitur in libris. MS. Agr. *eademque cura de infernis, et persuasio cœlestium contra:* quod miror placuisse Ryckio. MS. Guelf. *eademque c. et d. i. et p. cœlestium. Contra* etc. atque sic edd. Put. Ber. Alc. Sed ed. pr. habet vulgatum, nisi quod male interpungit post *cœlestium:* atque sic edidit (duce Bud.) Rhen. correcta insuper interpunctione. Flor. videtur vulgatum habere, quod nihil varietatis notatum est neque a Pich. neque a J. Gron. *Eadem cura* intelligenda de ratione condiendi: similiter Curtius *curare* de pollinctura dixit 10, 10. de Alexandri mortui cadavere: Ægyptii *jussi corpus suo more curare.* Persuasio Ægyptiorum de infernis qualis fuerit, docet Diodorus Sic. 2, 93. p. 58. Per *cœlestia* intelligit Deos: quos diversos Ægyptii habebant, neque ita, ut Judæi, de Numine Divino sentiebant. ERN. *Eadem cura;* cum grano salis accipe. Condiebant Ægyptii cadavera intrinsecus; extrinsecus Judæi. Cf. Casaub. ad Lact. 7, 12. Huetius quoque malebat *condire*, improbante Broterio. Bud. *amore Ægyptio.*

*Judæi mente sola, unumque Numen intelligunt*] Bene et vere hæc Tacitus. Ideoque nec statuæ Judæis, et ipsum templum sub dio et apertum. Dico, majus illud et exterius templum: nam *interius clausum*, ut mox dicet. Dio 37, 17. Οὐδ' ἄγαλμα οὐδὲν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἔσχεν· ἄῤῥητον δὲ δὴ καὶ ἀειδὲ θεὸν νομίζοντες εἶναι, περισσότατα ἀνθρώπων θρησκεύουσι, καὶ αὐτῷ νεών τε μέγιστον καὶ περικαλλέστατον, πλὴν καθ' ὅσον ἀχανής τε καὶ ἀνώροφος ἦν, ἐξεποίησαν. Sunt hæc verissima, pro Judæorum sano sensu; sed quem illi depravarunt, et, quia sub cœlo et in illud adspicientes precabantur, rati sunt, cœlum ipsum ab iis adorari. Juvenalis 14, 97. *Nil præter nubes et cœli lumen adorant.* Alius Satyricus (Petron. in fragm. p. 683). *Et cœli summas advocat auriculas:* quasi putarent, cœlum aures habere, idque invocarent. LIPS. Eadem de Germanis tradit in Germ. c. 9. ERN.

*Nulla simulacra urbibus suis*] Ego quoque, ut Acidalius, relinquo *suis:* sed ut commode accipere possim, scribo: *Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sinunt.* Nam quicquid congerant hujusmodi, vulgata σολοικίζει. GRON. ERN. Recepere Brot. Lall. Bip. Dottev. Ceterum nulla simulacra, scil. Numinis; nam e præced. *effigiem asini penetrali sacratam* retulit. Cf. c. 9. ubi et de Regibus.

vitisque aurea templo reperta, "Liberum Patrem coli, dominatorem Orientis," quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis: quippe Liber festos lætosque ritus posuit; Judæorum mos absurdus sordidusque.

VI. Terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur; a meridie Ægyptus objacet; ab occasu Phœnices et mare; septentrionem a latere Syriæ longe prospectant. Corpora hominum salubria et ferentia laborum: rari imbres, uber solum: fruges nostrum ad morem: præterque eas balsamum et palmæ. Palmetis proceritas et decor. Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pavent venæ; fragmine lapidis aut testa aperiuntur: humor in usu medentium est. Præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque nivibus. Idem amnem Jordanem alit funditque. Nec Jordanes pelago accipitur: sed unum atque alterum lacum integer

*Vitisque aurea*] Jos. B. Jud. 5, 5. *vites aureas* in templo fuisse refert, unde botri statura humana, *βότρυες ἀνδρομήκεις*, dependerent. Et Ant. 15, 11. narrat, in fronte supra fores templi expansam fuisse *vitem auream* cum racemis, ex illa sublime dependentibus, qui magnitudine et arte stuporem inciperent adspicientibus. Cf. Duker. ad Flor. 3, 5, 30. De Bacchi cultu Hebræis recepto v. Plut. Sympos. 4. p. 671.

*A latere Syriæ*] MS. Guelf. edd. ante Rhen. *e lat. S.* Ern. Rhen. e Bud. emendavit. Sic et Flor.

*Exuberant fruges*] Mihi vero vox ea ipsa exuberare videtur: legamque, *uber solum: fruges nostrum ad morem.* Lips. Ern. Bud. *exuperant.* Sed a Flor. et Agr. abest id verbum. Rejiciendum etiam Brot. autumat. Deleo cum Bip.

*Balsamum*] Propriam eam arborem Judææ esse, plerique tradiderunt, nec alibi gigni. Justinus 36, 3. *Opes genti ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur.* Atque ita sane tunc fuerit. Postea, non dubium, stirpem eam in Ægyptum transisse, atque illic crevisse. Claudianus in Epithal. Palladii 121. *Gemmatis alii per totum Balsama tectum Effudere cadis, duro quæ saucius ungue Niliacus pingui desudat vulnere cortex.* Perseverare etiam illic nostro ævo, qui peregrinati sunt, affirmant. Lips.

*Adhibeas, pavent venæ*] Sic interpungenda ista; et in *pavendi* verbo, elegans metaphora. Plinius de eadem arbore 12, 25 (54). *Inciditur vitro, lapide, ossisve cultellis: ferro lædi vitalia odit.* Josephus, qui indigena, *ὀξεῖ λίθῳ* aut *ὀξίσι λίθοις* incidi, adserit Ant. 14, 4. Falsus ergo cum Theophrasto 9, 6. Dioscorides, qui ferreis unguibus secari arborem credidit 1, 18. falsus compilator Isidorus, qui 17, 8. *percussum ferreis ungulis corticem.* Pausanias 9, 28. nescio quid de balsamo Arabiæ nugatur et circa eum viperis. Lips. Ed. pr. *intimuit.* MS. Bud. non habebat *si.* Ern.

*Libanum erigit*] Int. e superioribus *terra;* quod non videns Vertranius, locum temere tentavit. Montes eleganter *attolli, erigi,* dicuntur. Omnino magna est venustas in descriptionibus locorum et rerum naturalium, deligere verba ab animalibus ducta, qualia hic plura posuit Tacitus. Quod deinde e Libano nasci Jordanem dicit, proprie ille quidem ex Antilibano oritur, sed et hic a scriptoribus subinde Libanus dicitur. In sacris quidem libris uterque mons *Libanus* vocatur. Ern.

*Unum atque alterum lacum*] Ita et Hegesippus 3, 26. *Duos lacus victor egressus, tertio retinetur.* At Pausanias repugnat clare, et quidem oculatus, ut ait, testis 5, 7. Ἐν δὲ τῇ γῇ ποταμόν τινα Ἑβραίων καὶ αὐτὸς οἶδα Ἰόρδανον λίμνην, Τιβεριάδα ὀνομαζομένην, διοδεύοντα, ἐς δὲ τὴν λίμνην ἑτέραν, καλουμένην Θάλασσαν νεκράν, ἐς ταύτην ἰόντα, καὶ ἀπὸ τῆς λίμνης αὐτὸν ἀναλώμενον. Sed Tacito nos jure fidem habemus, qui in Trachonitide lacum minorem esse scimus, quem primo Jordanis ingreditur, cui Samochonitis nomen. Lips.

perfluit, tertio retinetur. Lacus inmenso ambitu, specie maris, sapore conruptior, gravitate odoris adcolis pestifer, neque vento inpellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur. Incertæ undæ superjacta, ut solido, ferunt: periti inperitique nandi perinde adtolluntur. Certo anni bitumen egerit: cujus legendi usum, ut ceteras artes, experientia docuit. Ater suapte natura liquor, et sparso aceto concretus, innatat: hunc manu captum, quibus ea cura, in summa navis trahunt. Inde, nullo juvante, influit, oneratque, donec abscindas: nec abscindere ære ferrove possis: fugit cruorem vestemque infectam sanguine, quo feminæ per menses exsolvuntur: sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt, undantes bitumine moles pelli, manuque trahi ad litus: mox, ubi vapore terræ, vi solis, inaruerint, securibus cuneisque, ut trabes aut saxa, discindi.

VII. Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse; et

*Incertæ undæ superjecta*] Emendatio e libris. Vulgo est: *incertum unde:* quod sententiam etiam aptam recipere potest. Vide de tota re Hegesippum 4, 18. LIPS. *Incertum unde: superjacta* Guelf. edd. inde a Puteol. omnes ante Lips. item ed. Bernec. Nec id absurdum, modo scribatur *undæ:* nam id idem est, quod *incerta unda* vel *incertæ undæ*, intelligendumque *est*. At Agr. (Bud.) *incerte unde*, quod est *incertæ undæ:* sed tamen super ultima primæ vocis syllaba adscriptum est *tum:* ed. pr. *incertæ undæ*. Atque hinc et MS. Vat. est lectio a Lipsio inducta, cui et Flor. (et Bud.) consentit; unde et ipse servavi. *Incertæ undæ* sunt, quæ eam speciem naturamque habent, ut dubium videri possit, aqua sit an solum, solida loca: ut recte explicat J. F. Gron. ad Senec. Cons. ad Marciam c. 10. Sic *ambigua natura*, *ambiguus vultus*, et alia sæpe apud poetas. Sed ambiguum esse potest, utrum post *undæ* interpungendum sit, necne. Nam utrumvis facias, commodus sensus et idem. Sed mihi magis placet interpungi. Ita in sequentibus est explicatio verborum, *incertæ undæ*, quæ in nominativo accipiendæ. Atque veteres libri omnes, etiam ed. pr. sic interpungunt; qui non sine gravi caussa sunt deserendi, præsertim cum et totius orationis structura hanc interpunctionem desideret. Series enim hæc est: Incertæ lacus undæ sunt. Nam primum injecta natant omnia: deinde periti natandi et imperiti eodem modo feruntur, nihil submergitur. Vincula orationis omisit Tacitus. Denique e MSS. Flor. Vatic. ed. pr. edidi *ferunt*, ut volebat etiam J. Gronovius (sic et Bud. et Reg. Lall.). Ita variatur constructio et oratio fit Taciti consuetudini et elegantiæ aptior. *Attolli* de natantibus et c. 14. Vulgo, *feruntur*. ERN. Lectio vulg. inde a Put. omnino bonum sensum offert, eamque restituere Bip. Ast a Flor. et conspirantibus codicibus recedere mihi religio est. Neque nugari puto, qui *incertam undam* eo, quo Gronovius, modo exponunt, quod et Pichenæ sic visum. Heinsius e MS. Spinæ, quod, quale sit, non indicat, profert *inerti undæ*. Id ipsum Grotio et Freinshemio placuerat. Heinsius malebat *inertes undæ— ferunt*. Mox Bud. *attollunt*.

*Periti inp.* etc.] Id Vespasianum esse expertum, docet Jos. B. Jud. 4, 5 (8).

*Certo anni*] Ita libri; et phrasis nota et Tacito frequens: vulgati vocem addunt, *certo anni tempore*. LIPS. *Tempore* abest ab ed. pr. ERN. Sed Put. Alc. Rhen. item cod. Bud. habent.

*Urbibus habitatos*] MS. Orosii Periz. edd. Venet. August. *habitos*. ERN. Put. Alc. Rhen. *habitatos*. Sic et c. Bud.

*Fulminum jactu*] Ex Orosio 1, 5. qui hæc expresso etiam Cornelii nomine transcripsit, legas *fulminum ictu*. LIPS. At MSS. optimi et veteres edd. Orosii habent *jactu:* quod et edidit Havercampus. Et *fulminum jactus* Cicero non uno loco dixit, ut docet ad h. l. Pichena. (Cf. Catil. 3, 8. Divin. 2, 18.) Ceterum *fulminum* edidit primus (e Bud.) Rhen. et sic MS. Guelf. Ceteri ante Rhen. *fulminis*. *Fulminum* etiam Orosius. ERN.

manere vestigia, terramque ipsam, specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Num cuncta sponte edita, aut manu sata, sive herbæ tenues aut flores, ut solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclitas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, conrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum et autumni putrescere reor, solo cœloque juxta gravi. Et Belus amnis Judaico mari inlabitur; circa cujus os conlectæ arenæ, admixto nitro, in vitrum excoquuntur: modicum id litus et egerentibus inexhaustum.

Flor. et Bud. *jactu*. Sic et edd. vet. Heinsius volebat *tactu*, ut A. 13, 24.

*Terramque specie torridam*] In eodem Orosio *terramque ipsam, specie solida*. Lips. *Ipsam* etiam Flor. unde edidit Pichena, Guelf. (Bud.) Agr. ed. pr. et Orosius. *Solidam* Orosii plerique MSS. edd. vett. Sed tamen quidam scr. et edd. etiam *solida*; i. e. integra, ut visu sterilitatem non deprehendas. Certe verbum, quod τῷ *specie* addatur, aliquid boni indicare debet: quamquam *specie* bona est, tamen *vim* frugiferam non habet. Sed tale non est *torridam*. Itaque hoc verbum sanum judicare non possum. Adde notam proxime seq. Ern. Bip. ex cit. Orosii loco exsculpunt *specie solita*. Id mihi non adridet. Non credibile est, Tacitum iisdem verbis tam prope iterum fuisse usurum. Porro autem Strabo 16. p. 764. eam terram τεφρώδη eodem sensu dicit. *Specie* minus recte capit Ern. Notat hic *visu*, qui primus ejus significatus et nativus. Firmat narrationem Taciti etiam cit. a Brot. Hasselquist in Voy. dans le Levant t. 2. p. 86.

*Sive herba tenus aut flore*] Sic edidit Rhenanus, cum ante legeretur edd. pr. Ber. Alc. *herbas tenues aut flores*, quod in MS. Bud. erat *tenus*. Id sane et a pr. manu habuit Guelf. habet et Puteol. quod non est temere. Itaque Rhenanum bene correxisse puto, nec imiter Ryckium, qui e MS. Agr. edidit: *sive herbæ tenues, aut flores, ut solitam in speciem adolevere*, consentiente tamen ed. pr. nisi quod *herbas* præfert. Nam, quorsum addiderit Tacitus herbas tenues aut flores, quæ sane sunt in rebus sponte natis, aut manu satis. Immo vult dicere, nihil ibi in usum hominum nasci: ne ea quidem, in quibus herba et folia tantum spectantur, aut flores, habere suam utilemque naturam, nedum frugifera: hoc est, cum, pro sua quodque natura, vel herba tenus, vel flore, vel in solitam speciem adolevere etc. Ceterum Salmasius (ad Solin. p. 430.) corrigebat *in solidam speciem*, capiebatque de fructibus; quod ego non adeo spernam: aptum enim contrariis, *inania velut in cinerem vanescunt*. Sed tamen et *solitam* commodum sensum facit. Ac suspicari licet, *solidam* pro *torridam* ap. Orosium hinc natum. Ern. Bene hoc de Orosio monet Ern. Locus Taciti dubius. Pro lectione inde a Rhenano recepta facit, quod et in Flor. legitur *flore*: nec me movet, quod Bip. de particula *tenus* adferunt. Verum idem Flor. habet *herbas tenues*, teste Ryckio, ut Ber. et Alc. Rem conficit, meo arbitratu, testimonium aliorum, cum lectione Agr. concordans. Sane Jos. B. Jud. 4, 27. itidem refert: *fructum plantarum, quum edulibus sit similis, in fumum vanescere*. Eodem *respicit* vox *inania* apud nostrum. Itaque cum Bip. Ryckianam lectionem reducere non dubitavi.

*Judaicas quondam urbes*] Libri aliquot *inclitas urbes*: nec aliter Orosius. Lips. Sic diserte ed. pr. MS. Agr. Favet et Flor. (et Bud.) habens *indicas*: quo motus Pichena recepit. *Inditus* et *inclitus* confundi supra (ad H. 3, 44.) vidimus; quod non longe ab hac lectione differt. Ern.

*Infici terram*] MS. Guelf. *interfici*: in margine autem *infici*, man. sec. *Interficere messes* ap. Virgilium G. 4, 330. et similia non ignoro, unde hæc scriptura defendi possit: sed vulgatum h. l. melius puto. Infici terram velut veneno aliquo. Per *superfusum spiritum*, intell. aërem. Ern. Bud. *infici*.

*Belus amnis*] MS. Guelf. edd. ante Rhen. *Bellus*. Ern.

*Conlectæ arenæ, admixto nitro*] Non, *conjectæ*. Farnesianus etiam recte, *lectæ arenæ*. Plinium adi 36, 26 (65). Strabonem 16. p. 758. Lips. *Lectæ* etiam Flor. Agr. ed. pr. Ceteræ edd. ante Lips. omnes *conjectæ*. Item omnes ante Rhen.

**VIII. Magna pars Judææ vicis dispergitur: habent et oppida. Hierosolyma genti caput. Illic immensæ opulentiæ templum, et primis munimentis urbs, dein regia: templum intimis clausum, ad fores tantum Judæo aditus: limine, præter Sacerdotes, arcebantur. Dum Assyrios penes Medosque et**

*vitro*, quod ille correxit e Plin. l. c. ERN. Bud. vitiose *tecte—vitro*.

*Modicum id litus* etc.] Plin. l. c. auctore *quingentorum passuum* spatio: Josepho B. J. 2, 9 (10). *centum cubitorum*: unde Bochartus Hieroz. 2, 5, 9. in Plinio bene corrigit *quinquaginta*, ut jam monuit Ryckius: nam quinquaginta passus centum cubitos efficiunt. Isidorus 16, 15. *quinque millium*, manifeste confusa totius fluminis mensura ap. Plin. l. c. cum mensura litoris arenosi. *Sed* de conjectura induxit Rhenanus. MSS. (etiam Bud.) et edd. vett. *et*, quod centies pro *sed* apud nostrum occurrit, et frustra passim tentatur, ut sæpe monuimus. Itaque vetus restituimus. V. ad A. 5, 3. ERN.

*Genti caput*] Edd. ante Rhen. MS. Guelf. et alii *gentis*. Nil interest. ERN. Bud. *genti*.

*Primis munimentis urbs*] Ex Josepho et Zonara legam *et trinis munimentis*. Nam triplici muro circumdatam eam fuisse, uterque is scriptor te docebit. Josephus Haloseos 6, 1. Zonaras 6, 19. LIPS. *Munimentis* MSS. (etiam Bud.) edd. pr. Put. At ed. Ber. vitiose *monumentis* dedit, quod fideliter expressit ed. Basil. Alciati. *Primis mun. urbs* est, urbs et ejus munimenta primum adeunti occurrunt: intra urbem est regia, et omnium munitissimum templum. Sed vide notam seq. ERN. *Trinis* volebat et Heinsius.

*Urbs de jugis*] Jure nato, et mecum libri. Farnes. (Flor. Reg. Lall.) *urbs deingia templum clausum*. Vatican. *urbs ob demgia*. At Jos. Mercerus legit: *primis munimentis urbs, dein regia*. Feliciter. Tacitus ipse juvat, infra c. 11. *Alia intus mœnia regiæ circumjecta*. LIPS. Recepit Pichena cum seqq. præter Ryckium. MS. Guelf. ed. pr. ceteræque ante Rhen. *dein jugis*. In ed. Rhen. est *de jugis* divisim, nescio unde, et quo consilio, tacite editum; ut vitium operarum videatur. Et ea lectio tamen constanter ab omnibus servata. Unde apparet, frustra laborare, qui (ut Marc. Donatus) reverentia antiquæ lectionis conantur explicare, quomodo Hierosolyma *urbs dejugis* vocentur. ERN. Bud. *et pr. m. urbs de vigia* (s. *de jugia*). Bip. totum locum ita refingunt: *ex pr. m. urbi, dein vigiliis, ad postremum feminis clausum*. In alia abit Heinsius. Equidem ingenue fateor, mihi non liquere. A Mercero receptam lectionem sat commode reddit Dotteville interpres.

*Templum intimis*] Quomodo, *intimis*? Ablego eam vocem cum nonnullis libris et lego: *trinis munimentis* * *urbs, ob dejugia. Templum clausum: ad fores tantum Judæo aditus*. Aut, si retineri placet, scribam apposite, *templum intimum*, sive magis *interius*. Duplex enim templum, exterius et interius, ut Zonaras 6, 23. et Josephus Ant. 6, 9 (4). et 15, 14 (11). et B. Jud. 5, 5. describunt appellantque: et exterius patet, sola interior domus clausa. Rodolphus hæc omnia concinnat (sed ab ingenio, opinor), *et primis munimentis urbis: alienigenis templum interius clausum*. LIPS. Id tamen recepit Ryckius. *Ex pr. m. urbis* probari possit. Nam profecto templum præcipuum urbis munimentum. V. c. 12. Ita sensus sit: templum illud est primarium urbis propugnaculum: proximum est regia. *Urbis* vestigia in ed. pr. in qua est *ursob*, quod ex *urbis* factum videtur. Deinde punctum esse debet post *regia*. At *alienigenis* insitidum manifeste. Nam templum interius non externis magis, quam Judæis non sacerdotibus, clausum. *Templum* hoc loco non ita late sumitur, ut vulgo, sed de interiori æde, ναῷ, si *clausum* ad homines referas et ademtam facultatem adeundi. Ita omnibus clausum fuit, ut legere possis, *cunctis, adeuntibus*, aut simile quid. Sed refertur *clausum* ad *mœnimenta*, ut *intimis* moveri non debeat. ERN.

*Ad fores tantum Judæo aditus*] MS. Guelf. non male, opinor, *tamen*: præsertim, si *intimis* ad eam rationem, quam dixi, corrigatur. Ceterum illustratur hic locus Lucæ 1, 10. ubi, dum Sacerdos intus sacris operatur, populus precatur ἔξω, foris, ad fores. Transire limen nefas omnibus, præter Sacerdotes. Ed. pr. vitiose *Judææ* et *lumine*. Mox pro *arcebantur* legendum *arcentur*, totus contextus clamat. ERN.

Persas Oriens fuit, despectissima pars servientium: postquam Macedones præpotuere, Rex Antiochus, demere superstitionem et mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est: nam ea tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, (et Romani procul erant) sibi ipsi Reges inposuere; qui mobilitate vulgi expulsi, resumpta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita Regibus ausi, superstitionem fovebant; quia honor sacerdotii, firmamentum potentiæ, adsumebatur.

IX. Romanorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit; templumque jure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, "nulla intus Deum effigie, vacuam sedem, et inania arcana." Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit. Mox, civili

*Desp. p. servientium postquam* etc.] Hæc distinctio est a Rhenano, quoad comma hodie est ante *Rex*, cum olim punctum esset: qua ante *postquam* interpungitur, jam est in MSS. ed. pr. ERN. Bud. mox *adnisus*.

*Nam ea tempestate*] Errare hic Tacitum, convenit: confuso Antiocho Epiphane cum Antiocho, cognomine Θεῷ. Nam sub hoc Arsaces defecit. In quo valde diligentiam tanti scriptoris desideres. Nam satis magnum est intervallum inter utrumque, cum Theus sit tertius, Epiphanes octavus Syriæ Rex, et pueri in elementis discant, sub quo Parthi defecerint, a quo Antiocho maxime Judæi vexati. Accedit, quod epochæ Arsacidarum initium ita clarum et nobile sit, ut nullo modo vel mediocris scriptor in hoc potuerit errare. Itaque credo, verba hæc: *nam ea tempestate Arsaces desciverat*, esse additamentum imperiti hominis, quod e margine in textum venerit, ut alia, de quibus aliis locis vidimus. Parthorum bello sane prohibitus Antiochus Epiphanes dici potest, quo minus Judæos opprimeret: nam, cum maxime premeret Judæos, in Parthos belligeratum abiit, ibique mortuus est. Id non intelligens homo imperitus, credensque, *bellum Parthorum* esse, quod a Parthis illatum sit, hanc stultam et imperitam notulam adjecit, quæ ne in puero quidem ferenda. Nec conveniunt sequentia. Nam, si Tacitus ista dedisset, putassetque de Antiocho Θεῷ esse accipienda, quæ de vexatis Judæis traderentur, an dixisset, ab eo tempore Macedonas invalidos fuisse? cum post fuerit Antiochus M. At post Epiphanem sane invalidi Syri fuere. Itaque verba ista uncis inclusi. Quæ si quis Tacito adserat, feram: ab Tacito quidem nihil gratiæ ferat. ERN. Bip. utcunque vulgatum tuentur, quod Antiochus Epiphanes etiam adversus Parthos bellum infeliciter gesserit, v. Maccab. 2, 9. quodque Arsacidæ inde ex primo *Arsacis* nomen continuarint: Brot. legi jubet *Armenorum bello* et *Artaxias desciverat*, de quo Appian. in Syr. p. 117 et 131. Sed et huic et illis obstat, quod, ea ætate, dici non possit, *Parthos nondum* fuisse *adultos*, quod utique ætati Antiochi Dei convenit. Sic ab errore Tacitus inmunis præstari non poterit, nec quidquam juvat, ista de defectione Arsacis verba uncis inclusisse, quos proinde sustuli.

*Romani procul erant*] Sic MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. quod recepi. Reliqui libri *aberant*. ERN.

*Sibi ipsi Reges imposuere*] Eo Brot. refert nummos Simeonis inscriptos A. I. ET 4. REDEMTIONIS ISRAEL vel ZION, de quibus omnium instar Eckhel Doctr. NN. vet. t. 3. p. 465. Sed regium nomen hic non stricte capiendum.

*Judæos domuit*] *Judæos* omnes scr. (etiam Flor. et Bud.) et edd. veteres, quos inspexi. Lipsius tacite omisit. Unde Pichena, pro more suo, a vulgatis abesse dicit, restituitque. Sane melius abesset. Sed supra jam monui, nimis multis locis ita poni nomina, ut salvo sensu possent abesse. Mox *nullas effigies* MS. Guelf. edd. Put. Ber. Afc. ERN. Emendavit Rhen. e Bud.

*Mox bello civili interno*] Cur hæc

inter nos bello, postquam in ditionem M. Antonii provinciæ cesserant, Rex Parthorum Pacorus Judæa potitus, interfectusque a P. Ventidio, et Parthi trans Euphraten redacti: Judæos C. Sosius subegit. Regnum, ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit. Post mortem Herodis, nihil exspectato Cæsare, Simo quidam regium nomen invaserat. Is a Quinctilio Varo, obtinente Syriam, punitus; et gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere. Sub Tiberio quies: dein jussi a C. Cæsare, "effigiem ejus in templo locare," arma potius sumsere: quem motum Cæsaris mors diremit. Claudius, defunctis Regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam Equitibus Romanis aut libertis permisit; e quibus Antonius Felix, per omnem sævitiam ac libidinem, jus regium servili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatræ et Antonii nepte, in matrimonium accepta; ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.

X. Duravit tamen patientia Judæis usque ad Gessium Florum, Procuratorem. Sub eo bellum ortum: et comprimere cœptantem Cestium Gallum, Syriæ Legatum, varia

geminat civile et internum? placet immo Romana scriptio, *bello civili inter nos.* LIPS. MS. Agr. *civili inter nos bello:* concinnius. Per scriptionem Rom. Lipsius aut non intelligit editionem Rom. i. e. Spirensis, aut falso laudat. Nam in meo exemplo est *civili interno bello*, ut in Flor. Et tamen Rom. scripturæ nomine alibi hanc ed. laudat. Etiam alibi falso laudari hunc librum vidimus a Lipsio. Ceterum *inter nos* quidem tolerabilius est quam *interno*, sed tamen et ipsum supervacuum et correctoris manum redolens. Mihi alterutrum *civili* vel *interno* spurium videtur. ERN. Bud. male *civili interno*, omisso *bello*. Prius idem *dirupti*.

*Provinciæ cesserant*] Utrum *provincia cesserat*, an *Oriens cesserat*. GRON. *Provinciæ* verum: int. *Orientis*, ut Ryckius jubet. ERN. Bud. *provinciæ*.

*Rex Pacorus*] Proprie Regis filius, scil. Orodis. Sed sic solent, ut supra 2, 25. *Rex Epiphanes*. Nec necesse, quod conjiciebat Brot. *F. Reg. Parth. Pacorus*.

*C. Sosius*] Sive *Sossius*. Male quidam libri, *Sestius*. LIPS. *Socius* MS. Guelf. ed. pr. ceteræque. ERN. De *Sosio* v. Jos. Ant. 14, 16 (28). et Dio 49, 22. ad a. 718. Dio *Sossium* vocat. Ap. Murat. Inscr. t. 1. p. 295. item in nummis memoratur *C. Sosius*. Bud. *G. Sosius*.

*Victor Augustus sanxit*] Prisci aliquot libri, *auxit*. LIPS. Idque verum. *Sanxit* est ab Rhenani ingenio. (Bud. *ausit.*) *Auxit* restituit Pichena. De scriptura *Simo* ad c. 12. de ipso, Herodis servo, Jos. A. 17, 11 (10). ERN. Idem quoque B. Jud. 1, 15 (20). auctum ab Augusto regnum Herodi narrat.

*Tripartito rexere*] Archelaus Judæam, Herodes Antipas Galilæam, Philippus (Herodes) Trachonitidem, ut tetrarchæ.

*Dein jussi* etc.] De quo legenda Philonis Legatio ad Caium, et noster 12, 54. ERN.

*Arma potius sumsere*] Contra Jos. Ant. 18, 10 (8). et B. Jud. 2, 9 (10). docet, rem intercessione Petronii esse compositam et mox Claudium vita functum.

*Ad modicum redactis*] Unus tum Herodes, Agrippæ M. frater, regnum Chalcidis occupabat.

*Antonius Felix*] *Antonianum* potius dicendum disputat Canneg. de mut. sub Imp. nom. rat. p. 54. Is autem nepos fuit Claudii, qui ex Druso Germ. et Antonia min. Antonii filia natus erat.

*Comprimere cœptantem*] Sic bene editum a Rhenano. MS. Bud. ed. pr. *comprimere receptantem*: temere repetita ultima prioris verbi syllaba, unde factum *reos* in aliis MSS. et edd. ceteris ante Rhen. ERN.

*Cestium Gallum*] Idem Suetonio narratur Vespas. 4. *Judæi rebellarunt, cæsoque Præposito, Legatum insuper Syriæ*

prœlia ac sæpius adversa excepere. Qui ubi fato, aut tædio occidit, missu Neronis Vespasianus fortuna famaque et egregiis ministris, intra duas æstates, cuncta camporum omnesque, præter Hierosolyma, urbes, victore exercitu tenebat. Proximus annus, civili bello intentus, quantum ad Judæos, per otium transiit. Pace per Italiam parta, et externæ curæ redierе. Augebat iras, quod soli Judæi non cessissent. Simul manere apud exercitus Titum, ad omnes Principatus novi eventus casusve utilius videbatur. Igitur castris, uti diximus, ante mœnia Hierosolymorum positis, instructas legiones ostentavit.

XI. Judæi sub ipsos muros struxere aciem, rebus secundis longius ausuri, et, si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus ambigue certavit. Mox cessere hostes, et sequentibus diebus crebra pro portis prœlia serebant; donec adsiduis damnis intra mœnia pellerentur. Romani ad oppugnandum versi, neque enim dignum videbatur, famem hostium opperiri: poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine præmiorum. Ipsi Tito Roma et opes voluptatesque ante oculos: ac, ni statim Hierosolyma conciderent, morari videbantur. Sed urbem, arduam situ, opera molesque firmaverant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles, inmensum editos, claudebant muri, per artem obliqui, aut introrsus sinuati: ut latera oppugnantium ad ictus patescerent. Extrema rupis abrupta; et turres, ubi

*Consularem, suppetias ferentem, rapta aquila fugarunt.* In Josepho hæc ipsa, et plane omnia vide A. 20, 9 (11). B. Jud. 2, 23 (18). Sed quis tamen *Præpositus* ille *cæsus?* ita enim Suetonius, nec rem tam notabilem vel Josephus, vel Tacitus, dixere. Immo ille plane contra: Florum, qui tunc præpositus, evasisse et bellum iis fecisse. An *cæsoque præsidio?* ita enim Eutropius, qui sua solet ex Tranquillo describere: *Exstinctis Romanis præsidiis, Legatum quoque Syriæ suppetias ferentem, rapta aquila fugarunt.* Sunt ipsa, ut vides, Tranquilli. An verius, *Gessiumque Præpositum?* ut hoc dicat, *Gessium Florum* (id ei nomen) fugatum, ac tum etiam Cestium Gallum? interpretes nihil hic pro re dicunt: tu serie historiarum, lector, arbitrare. Lips. Vide dicta a me ad locum Suetonii, item quæ Dukerus et Oudendorpius. Ern. Lipsii notam, in Gron. editionibus versus finem truncatam, integritati suæ restitui.

*Adversa excepere*] Cod. Bud. *adversa excipere.* Ed. pr. *accipere.* Ern. Rhen. correxit ingenio.

*Intra duas æstates*] *Intra* edidit (ex ingenio) Rhenanus. Superiores edd. MS. Guelf. *intcr.* Mox MSS. Bud. Guelf. (Reg. Lall.) ed. pr. *Hierosolymam.* Vid. supra ad c. 2. Ern. Bud. *duas æstates* sine præpos. In notis Rhen. eam quoque submovendam docet, sed in textu ponit *intra.*

*Pace domi parta* etc.] MS. Guelf. (Bud.) edd. ante Rhen. *parata*, male. V. ad A. 16, 2. Ex ingenio bene correxit Rhenanus. Mox *et* aut tolli et ad sequentia rejici vult Freinshemius, aut mutari in *ut*. Illud melius, sed tamen non necessarium. Liv. 2, 52. *urbi cum pace etiam laxior annona rediit.* Abesse et hic posset *etiam:* sed propterea non vitiosum est. Infra edd. ante Pich. MSS. Agr. Guelf. *utile.* Flor. (Bud.) *utilis.* Ern.

*Uti diximus*] Cap. 1.

*Ambigue certavit*] Secus Jos. qui B. Jud. 5, 2. ferme oppressum Titum et legionem decimam castris pulsam memorat.

*Per artem obliqui*] Rationem dat Veget. 4, 2.

mons juvisset, in sexaginta pedes, inter devexa, in centenos vicenosque adtollebantur: mira specie, ac procul intuentibus pares. Alia intus mœnia, regiæ circumjecta: conspicuoque fastigio turris *Antonia*, in honorem M. Antonii ab Herode adpellata.

XII. Templum in modum arcis propriique muri, labore et opere ante alios: ipsæ porticus, quis templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Fons perennis aquæ, cavati sub terra montes: et piscinæ cisternæque servandis imbribus: præviderant conditores, ex diversitate morum, crebra bella: inde cuncta quamvis adversus longum obsidium: et a Pompeio expugnatis metus atque usus pleraque monstravere. Atque, per avaritiam Claudianorum temporum empto jure muniendi, struxere muros in pace, tamquam ad bellum; magna conluvie et ceterarum urbium clade aucti: nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant. Tres Duces, totidem exercitus. Extrema et latissima mœnium Simo, quem et Bargioram vocabant, mediam urbem Joannes, templum Eleazarus, firmaverat. Multitudine et armis Joannes ac Simo, Eleazarus loco, pollebat. Sed prœlia, dolus, incendia inter ipsos, et magna vis frumenti ambusta. Mox Joannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur: ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam pareret.

XIII. Evenerant prodigia, quæ neque hostiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visæ per cœlum concurrere acies, rutilantia arma et subito nubium igne conlucere templum. Expassæ repente delubri

*In centenos vicenosque attollebantur*] MS. Bud. *in centenosque*. Guelf. Oxon. *in centenos quoque*. Mox ed. pr. *circumvecta*: et MS. Oxon. *honore M. Antonii*: quæ phrasis Tacito et alibi usurpata. ERN. Bud. *circumjecta*: dein *in honore*: prius *in immensum*.

*Labore et opere*] MSS. Flor. Agr. Guelf. edd. ante Rhen. omnes *opera*: quod videtur natum ex initiali sequentis verbi. Nam *opus* proprium in hac re verbum. Mox Flor. *ambibatur*. ERN. Bud. *opere ambiebatur*.

*Præviderant conditores*] MS. Agric. (Bud.) ed. pr. Rhen. *providerant*: quod servatum usque ad Lips. qui vetus tacite restituit: quod h. l. melius. ERN.

*Ceterarum urbium clade*] Alii *exterarum*. LIPS. Velut ed. pr. MS. Agr. male: nam intelliguntur urbes Judaicæ. Add. ad G. 32. ERN. Bud. *ceterarum*.

*Simo*] Ita MSS. Flor. (Bud.) Guelf. Oxon. ed. pr. sed hæc tamen ut Flor. semel tantum: alii MSS. *Simon*. ERN.

*Joannes, quem et Bargioram vocabant*] Josepho B. Jud. 2, 23 (19). 4, 7 (9). Simo Gioræ filius vocatur: unde cum Ryckio probo Salinerii conjecturam, qui transpositum hoc incisum putabat, et post *Simo* ponendum. Dein MS. (etiam Bud.) et edd. ante Lips. omnes *Barbagioram*. Pro *Eleazarus* ed. pr. *et Lazarus*, item *Lazarus*, *Alazarus*, ut MS. Fl. (Bud.) ERN. Ex suffragio Brot. et Lall. quoque reposui suo loco verba ista, forsan a glossatore adjecta. Idem fecere Bip. et uncinis inclusere. Colerus putabat, *Bar Jonam* dicendum.

*Evenerant prodigia*] Plura enarrat Jos. B. Jud. 6, 12, (5.)

*Expassæ repente delubri fores*] MS. Flor. *expertæ*. (Bud. *ex parte*.) Agr. ed. pr. *apertæ*: quod pro glossa habet

fores et audita major humana vox, " excedere Deos :" simul ingens motus excedentium. Quæ pauci in metum trahebant : pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens profectique Judæa rerum potirentur : quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant. Sed vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum, omnis ætatis, virile ac muliebre secus, sexcenta millia fuisse accepimus. Arma cunctis, qui ferre possent : et plures, quam pro numero, audebant. Obstinatio viris feminisque par : ac, si transferre sedes cogerentur, major vitæ metus, quam mortis. Hanc adversus urbem gentemque Cæsar Titus, quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Dividuntur legionibus munia, et quies prœliorum fuit ; donec cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis, struerentur.

XIV. At Civilis, post malam in Treveris pugnam, reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera castra consedit ; tutus loco, et ut memoria prosperarum illic rerum augesceret

Ryckius. Nec audet J. Gronovius aliquid contra vulgatum e Flor. moliri. Ern.

*Profectique Judæa rerum potirentur*] V. dicta ad Sueton. Vesp. c. 4. sed etiam quæ monuit Oudendorpius. Mox *prædixerat* MS. Flor. (Bud.) ed. pr. quod quærit J. Gronov. cur mutatum sit. Nam profecto et *ambages* in singulari de vaticiniis dicitur. Ern. De re ipsa pluribus Brot. in ed. majore. Cf. et Jos. B. Jud. 6, 12 (5). *Ambages* ambigua sunt oracula.

*Virile ac muliebre secus*] Sic MS. Flor. a m. pr. quod recte receptum a J. Gron. Add. ad A. 4, 62. Ceteri libri (in his Bud.) *virilis ac muliebris sexus* : inde a Pichena *virile ac muliebre sexus*. In ed. pr. *sexus* excidit, ob initium sequentis verbi. Ern. De voce *secus* v. et Charisius ap. Putsch. p. 61.

*Sexcenta millia fuisse accepimus*] Numerus mihi non certus, et quem (a Rhen.) ex Budensi cod. et Orosio substitutum video parum caute. Nam ille scribit, *sexcenta millia Judæorum interfecto Cornelius et Suetonius referunt*. Sed interfecta ait ; cum noster hic universe, de obsessis : qui certe paullo plures. Libri etiam instabiles et quidam (ut Put. Alc.) *ducenta millia*. Fortasse, *dena* aut *undena millia* : quod paullo propius ad Josephum 6, 17 (9). et Zonaram 6, 26. et Jornandem accedat, qui omnes *undecies centena millia* periisse obsidione illa clare tradunt : periisse, inquam, fame, morbo, ferro. Nam Sulpicio Severo fidem vix habeo, qui l. 2. *numerum peremptorum ad undecies centena millia* profert, *capta vero centum millia ac venundata*. Sed peremptos fortasse largius accepit, et nostro illo sensu. Lips. *Sexcenta millia* clare præter Bud. etiam Flor. Agr. ed. pr. Reliquæ ante Rhen. *ducenta* : quod quomodo natum, patet e MS. Guelf. in quo *dcta*. Ceterum in numero cæsorum discrepare auctores, frequentissimum est in omni historia. Ern.

*Plures, quam pro numero*] Id valet, fuere obsessi *sexcenta millia* ; credas quartam aut circiter partem (pro communi ratiocinatione) arma tulisse : at hic aliter fuit, et plures impetu atque ardore ceperunt. Qui ? infra aut supra legitimam ætatem, pueri senesque. Lips. Paullo post *impetus*, quod e Flor. inductum a Pichena, etiam est in Guelf. (et Bud.) Ceteri *impetum*. Ern.

*Major vitæ metus q. m.*] Cf. Dio 66, 6.

*Post malam in Tr. pugnam*] V. 4, 77.

*Apud Vetera castra consedit*] *Castra* abest ab edd. Lipsii : in antiquioribus meis omnibus reperi : ne quis erret, credens Pichenæ, ab editis abesse. Ern.

barbarorum animi. Secutus est eodem Cerialis, duplicatis copiis, adventu secundæ et VI et XIV legionum. Cohortesque et alæ, jampridem accitæ, post victoriam properaverant. Neuter Ducum cunctator. Sed arcebat latitudo camporum, suopte ingenio humentium. Addiderat Civilis obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutus amnis adjacentibus superfunderetur. Ea loci forma, incertis vadis subdola et nobis adversa: quippe miles Romanus armis gravis et nandi pavidus; Germanos, fluminibus suetos, levitas armorum et proceritas corporum adtollit.

XV. Igitur, lacessentibus Batavis, ferocissimo cuique nostrorum cœptum certamen: deinde orta trepidatio, cum prærealtis paludibus arma, equi, haurirentur. Germani notis vadis persultabant, omissa plerumque fronte, latera ac terga circumvenientes; neque, ut in pedestri acie, cominus certabatur; sed, tamquam navali pugna, vagi inter undas, aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes, vulnerati cum integris, periti nandi cum ignaris in mutuam perniciem inplicabantur: minor tamen, quam pro tumultu, cædes; quia, non ausi egredi paludem Germani, in castra rediere. Ejus prœlii eventus utrumque Ducem, diversis animi motibus, ad maturandum summæ rei discrimen erexit. Civilis instare fortunæ; Cerialis abolere ignominiam. Germani prosperis feroces; Romanos pudor excitaverat: nox apud barbaros cantu aut clamore, nostris per iram et minas, acta.

XVI. Postera luce, Cerialis equite et auxiliariis cohortibus frontem explet: in secunda acie legiones locatæ: Dux sibi delectos retinuerat ad inprovisa. Civilis haud porrecto agmine, sed cuneis, adstitit. Batavi Gugernique in dextro;

*Adventu secundæ et XVI.*] Mercerus acute corrigit *et sextæ:* quia XVI dudum cum Ceriali fuerat, et sexta ex Hispania demum accesserat. Et sic recensentur infra c. 16. *quartadecimani, sexta legio, secundani.* Add. H. 4, 68. Adjuvat forte et ordo numerorum: XIVtam opinor XVItæ præposuisset: quod visum et J. Gronovio. ERN. Cf. mox c. 16. ubi istæ tres legiones sic junctæ.

*Arma, equi*] Ita J. Gron. e Flor. edidit. Consentiunt MS. Bud. ed. pr. in quis *arme qui. Aurirentur*, quod e Flor. notat J. Gron. sine adspiratione, etiam Guelf. qui frequenter hoc verbum et alia sic exhibet: in quo supra tamen subinde adscripta nota adspirationis. ERN. In Bud. adspiratio non deficit. Qui *arma* potuerint hauriri, se non videre, profitentur Bip. forsan abjecta ab equitibus, ut sese facilius expedirent in paludibus.

*Omissa pl. fronte*] Bud. *diversa pl. fr.* Rhen. conjicit *dimissa.*

*Nec u. i. p. a. cominus certabatur*] MS. Flor. (Reg. Lall.) ed. pr. ut Reg. *cominus minus:* unde J. Gron. faciebat *cominus eminus:* quod recepit Broterius. Ego non imiter. *Pedestris* acies h. l. opponitur *navali;* estque adeo terrestris, in qua non modo cominus, sed et eminus pugnatur. ERN. Bud. *cominus cert.*

*Rom. pudor excitaverat*] Bud. *exercitaverat.* Prius idem *redire.*

*Batavi Gugernique*] Ita edidi, ne Tacitus in ejusdem populi nomine sibi non constaret. Nam supra 4, 26. *Gugerni* editum, ut apud alios vocantur. Vulgo (et in Bud.) h. l. est *Cugerni:* ed. pr. *Eugenii:* infra c. 18. Guelf. *Gugerni.*

læva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. Exhortatio Ducum, non more concionis apud universos, sed ut quosque suorum advehebantur. Cerialis "veterem Romani nominis gloriam, antiquas recentesque victorias: ut perfidum, ignavum, victum hostem, in æternum exciderent: ultione magis, quam prœlio, opus esse. Pauciores nuper cum pluribus certasse: attamen fusos Germanos, quod roboris fuerit. Superesse, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant." Proprios inde stimulos legionibus admovebat, "domitores Britanniæ quartadecimanos" adpellans: "Principem Galbam sextæ legionis auctoritate factum: illa primum acie secundanos nova signa novamque aquilam dicaturos." Hinc, prævectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, "ut suam ripam, sua castra, sanguine hostium reciperarent." Alacrior omnium clamor, quis vel e longa pace prœlii cupido, vel fessis bello pacis amor, præmiaque et quies in posterum sperabantur.

XVII. Nec Civilis silentem struxit aciem, locum pugnæ testem virtutis ciens: "stare Germanos Batavosque super vestigia gloriæ, cineres ossaque legionum calcantes: quocunque oculos Romanus intenderet, captivitatem, clademque, et dira omnia obversari. Ne terrerentur vario Treverici prœlii eventu: suam illic victoriam Germanis obstitisse, dum, omissis

ed. pr. *ecugerni*. Mox *eorum* pro *suorum* edd. vett. inde a Puteol. usque ad Pich. *suorum* MSS. Flor. (Bud.) Agr. Guelf. ed. pr. Post dedi *exciderent* pro *excinderent*, e MSS. Flor. (Bud.) Agr. ed. pr. idque voluit edere J. Gronovius, sed operæ non paruerunt. MS. Guelf. edd. vett. *excinderent*. Add. ad Agric. 19. ERN.

*Attamen fusos Germanos*] Melius Flor. *ac tamen*, ut voluit Muretus: ed. pr. male *Romanos*. ERN. *Ac tamen* recepere Bip. Bud. *at tamen*. Sensus idem. Bud. *Germanos*.

*Sextæ legionis auctoritate*] i. e. initio a sexta legione facto Cæsarem appellandi, quod exemplum ceteras secutas. Mox *novam aquilam* et *nova signa* tribuit secundanis, quod vetera signa in bello civili amiserant. Mox *pervectus* MS. Agr. ERN. Bud. male *prevectos*. Dein *recuperarent: prœliaque: sperabatur*.

*Alacrior*] Cod. Agr. *alacer*.

*Silentem struxit aciem*] h. e. quæ non silentio exciperet hortantis voces, sed clamore probaret. Sed, quoniam id post iterum dicitur: *ubi sono armorum etc. approbata sunt dicta*: credo legendum esse *silens* vel *silentio* (vel *silenter*) ut viri docti voluere: sed posterius malim. Mox *omnia* MS. Guelf. edd. Beroaldi seqq. ante Pichenam, qui *omina* edidit e scriptura Flor. *oia*, quæ est et in ed. Put. *Omina* plane MS. Agr. ed. pr. Scriptura Florentina sane et *omnia* significare potest, estque ejus verbi usitatum compendium: nec id adeo absurdum puto. *Dira* per se possunt infausta omina significare. Deinde ed. pr. *observari*. Denique eadem et MS. Agr. *Treveriani*. Guelf. *Treviri*. ERN. Bud. *silentem*, bene, ut Flor. et Agr. Mox explicatur locus, ubi *sono armorum* etc. Nil ergo mutandum. Dein Bud. *omia*. Parum, credo, refert, *omina*, an *omnia*, legas. Bud. *obversari*. *Treverici*. Prius pro *ciens* habet *sciens*.

*Suam illic victoriam*] Vatic. *suam illic materiam*: quæ lectio involvit aliud verbi, quod nondum educo: certe de avaritia aut cupidine, id dici verius, quam de victoria. Neque enim ea, sed, quod ea per securitatem et insolentiam abusi, cladem dedit. LIPS. *Materiam* etiam ed. pr. Acidalius corrigit *avaritiam*, quod et in promptu Lipsio fuisset, si non nimis a vulgata differret. Idem dicere voluisse videtur, quod 4, 78. *obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi*. Videtur ergo requiri, quod respondeat *pravo spoliandi certamini*. Tale quid si quis repererit, non admodum discrepans a lectione librorum, audiam. Nunc liceat credere Tacitum captasse acumen, et alia sen-

telis, præda manus inpediunt: sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse. Quæ provideri astu Ducis oportuerit, provisa: campos madentes et ipsis gnaros; paludes hostibus noxias. Rhenum et Germaniæ Deos in adspectu: quorum numine capesserent pugnam, conjugum, parentum, patriæ memores: illum diem aut gloriosissimum inter majores, aut ignominiosum apud posteros, fore." Ubi sono armorum tripudiisque (ita illis mos) adprobata sunt dicta, saxis glandibusque et ceteris missilibus prœlium incipitur: neque nostro milite paludem ingrediente, et Germanis, ut elicerent, lacessentibus.

XVIII. Absumptis, quæ jaciuntur, et ardescente pugna, procursum ab hoste infestius: inmensis corporibus et prælongis hastis fluitantem labantemque militem eminus fodiebant: simul e mole, quam eductam in Rhenum retulimus, Bructerorum

tentia uti voluisse, quæ non sit nimis ad vivum resecanda, quales plures in Tacito. Victoria est abusus victoriæ, nimia fiducia e victoria, verbo, vitia victorum. ERN. Flor. et Bud. *victoriam.*

*Præda manus impediunt*] Hoc sine dubio vitiosum. Saltem *impediant* esse debebat, sed vera lectio est *impedirent*, e necessaria et perpetua ratione Latinitatis. *Ne terrerentur—obstitisse—dum impedirent.* ERN.

*Quæ provideri* etc.] Sententia nostro aliisque in tali oratione trita. Libri fluctuant inter *providisse*, ut est in vulgatis, inde a Rhenano, (idemque habet MS. Guelf.) et *prævidisse*, quod est in edd. Put. Ber. Alc. et *prævise*, ut habet Flor. (et Reg. Lall.) ed. pr. denique *prævise* in MS. Bud. et *provisa* in MS. Agr. Ed. video viros doctos inclinare in *provisa*, ut Rhen. Pichenam: quod est utique optimum, et sic aliis sæpe locis reperi. *Prævise* autem esse e compendio scribendi pro *prævidisse:* nisi fuit potius *provisa esse:* in quo genere quam sæpe in libris peccatum, ad alium locum notavimus. ERN. Rhen. perperam e Bud. profert *prævisa;* habet is clare *prævise.* Contra Flor. teste Pichena, *provise.* In nota Ern. male hæc relata; sed culpa, quoad Bud. Rhenani est, apud quem forsan error typographi. Bene recentiores recepere *provisa*, ut codicibus suus honos foret.

*Paludes hostibus noxias*] MS. Agr. *medias;* quod verum videtur Ryckio. Consentit ed. pr. et fuere paludes inter utramque aciem. Sed cur *hostibus medias* vocet, quæ inter utramque aciem? ERN.

*Rhenum et Germ. Deos*] Huc facere putat Tollius ad Ausonii Mosellam p. 421. nummum Neronis Drusi, in quo Numen Rhenus, additque, se vidisse Coloniæ signum Rheni æneum cum litteris DIUS RHENUS.

*Quorum numine*] i. e. auspiciis, favore, auxilio sublevati ac freti: ut sæpe, apud poetas in primis. Mox verba *inter majores*, si ad vivum resecemus, perinepta sint: nam dies præsens quomodo gloriosus esse inter majores, celebrari, laudari a majoribus potest? Sed acumen quæsivit Tacitus in antithetis *gloriosus. inter majores* et *ignominios. apud posteros.* Sensus est: illo die aut plus gloriæ consecuturos, quam majores ipsorum antea consecuti sint, aut tantum ignominiæ, ut etiam posteri male de ipsis existimaturi sint. MS. Guelf. habet tantum *gloriosum.* ERN.

*Ut elicerent, lacessentibus*] *Elicerent* bene Rhen. e Bud. sic et Flor. Agr. Guelf. ed. pr. Primus Puteol. edidit *eluderent:* quod Ber. Alc. secuti. ERN. Probabat hoc Muretus. Acidalius nil mutat. Mox Bud. *assumtis.*

*Fluitantem labantemque*] Interpunxi et voce addita explevi locum, fide Vaticani. LIPS. Nempe *labantem*, quod et in marg. Guelf. et ed. pr. reperi. Mox cum J. Gron. edidi *tranatavit* e MSS. Flor. Agr. eodemque redit, quod corrupte in ed. pr. *renatavit:* sic et alibi apud nostrum exhibetur. Post MSS. Flor. Bud. Agr. Guelf. ed. pr. *æquatur:* quod recepi pro vulgato *exæquatur:* idque legitimum in hac re verbum. ERN. Bud. *fluitantemque*, quo patet, vocem omissam. Idem *transnatavit: equatur.*

*Retulimus*] C. 14.

cuneus tranatavit. Turbata ibi res: et pellebatur sociarum cohortium acies, cum legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia, prœlium æquatur. Inter quæ perfuga Batavus adiit Cerialem, "terga hostium" promittens, "si extremo paludis eques mitteretur: solidum illa, et Gugernos, qtibus custodia obvenisset, parum intentos." Duæ alæ, cum perfuga missæ, incauto hosti circumfunduntur: quod ubi clamore cognitum, legiones a fronte incubuere, pulsique Germani Rhenum fuga petebant. Debellatum eo die foret, si Romana classis sequi maturasset. Ne eques quidem institit, repente fusis imbribus et propinqua nocte.

XIX. Postera die, quartadecima legio in superiorem provinciam Gallo Annio missa: Cerialis exercitum decima ex Hispania legio supplevit. Civili Chaucorum auxilia venere. Non tamen ausus oppida Batavorum armis tueri, raptis, quæ ferri poterant, ceteris injecto igni, in insulam concessit: gnarus, deesse naves efficiendo ponti, neque exercitum Romanum aliter transmissurum: quin et diruit molem, a Druso Germanico factam, Rhenumque, prono alveo in Galliam ruentem, disjectis, quæ morabantur, effudit. Sic velut abacto amne, tenuis alveus, insulam inter Germanosque, continentium terrarum speciem fecerat. Transiere Rhenum Tutor quoque et Classicus et centum tredecim Treverorum Senatores; in quis fuit Alpinus Montanus, quem a Primo Antonio missum in Gallias superius memoravimus. Comitabatur eum frater D. Alpinus.

*Solidum illa*] MS. Oxon. *solidam illam* sc. paludum partem. Vulgatum melius et verum est. MS. Agr. *solida illa*. ERN. Bud. *solidum illa*.

*Debellatum eo die foret*] Cf. c. 21.

*Ex Hispania*] Bud. *Spagna:* ubi 2. m. præposuit *Ys*. Ab Italo homine scriptum codicem dixeris. *Spaniam* olim et Latinis dictam, ostendi ad Vibium seq. p. 398.

*Oppidum Batavorum*] Quod oppidum? nominare enim certe debuit. An *Batavodurum* scribendum? an cum Rom. codice legimus, *oppida Batavorum?* Et intelligam tunc ea oppida, quæ extra insulam. Nam Batavorum veterum sedes non dubie supra et extra etiam insulam, in ora Gallica. Tacitus clare, supra 4, 12. *Extrema Galliæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam occupavere.* LIPS. Sententias Cluverii, qui *Bateburgum* intelligebat, et Pontani, qui *Noviomagum*, examinat Ryckius ad h. l. Quia *oppida* est in MS. Reg. ed. pr. recepi, ut Alem. et Brot. (et Bip.) fecere. ERN. Bud. vulgatam habet, *oppidum*. Agr. et Reg. Lall. *oppida*.

*Molem a Druso Germanico factam*] Fuit agger, Rheno, in ripa Gallica, humiliori, et in quam Rhenus magno impetu rueret, oppositus, ut coerceret flumen; et quidem ea in parte Insulæ Batavorum, qua proxime intratur venientibus a Batavorum oppido. Ejus aggeris auctor Drusus, qui opus instituit anno vitæ ultimo h. e. U. C. 745. Id opus continuavit Paullinus, auctore Tacito A. 13, 53. Adde Altingium in Notit. Bat. et Fris. Ant. t. 1. p. 54. ERN. Ipse quoque olim hac de re egi in Jungend. mar. fluv.que omnis ævi moliminibus. Arg. 1773 sq. Bud. male *diluit*.

*Sic velut abacto amne*] *Abacto* MS. Guelf. (Bud.) edd. inde a Rhen. omnes. MS. Agr. *amoto:* ed. pr. *ab amoto:* edd. Puteol. Ber. Alc. *ablato*. ERN.

*Et centum tredecim Tr. Senatores*] Vox *senatores* aberat a MS. Bud. nec est in Guelf. Mox *in quis* Flor. ed. pr. Ceteri libri ante Pich. (Bud. quoque) *quibus*. ERN.

*Quem a Primo Antonio—memoravimus*] Hæc verba absunt a MSS. Oxon. Cum 3, 35. 4, 31. in Germaniam missus dicatur, non in Gallias: J. Gronovius

XX. Simul ceteri miseratione ac donis auxilia concibant, inter gentes periculorum avidas. Tantumque belli superfuit, ut præsidia cohortium, alarum, legionum, uno die Civilis quadripartito invaserit: decimam legionem Arenaci, secundam Batavoduri, et Grinnes Vadamque, cohortium alarumque castra; ita divisis copiis, ut ipse et Verax, sorore ejus genitus, Classicusque ac Tutor suam quisque manum traherent: nec omnia patrandi fiducia; sed " multa ausis aliqua in parte fortunam adfore. Simul Cerialem neque satis cautum, et pluribus nuntiis huc illuc cursantem, posse medio intercipi." Quibus obvenerant castra decumanorum, oppugnationem legionis arduam rati, egressum militem, et cædendis materiis operatum, turbavere, occiso Præfecto castrorum et quinque primoribus Centurionum paucisque militibus. Ceteri se munimentis defendere. Et interim Germanorum manus Batavoduri rumpere inchoatum pontem nitebantur. Ambiguum prœlium nox diremit.

spuria hæc verba judicabat. Qui hoc nolent, legendum putabunt *Germaniam*. Mox *D. Alpinus* (*Alpinius* Flor. et Bud.) omnes libri, præter Agr. in quo *Dr.* i. e. Drusus. ERN.

*Una die Civilis quadripartita invaserit*] Sic scribendum e MS. Agr. putavit Ryckius. Quia consentit ed. pr. et *Civilis* post *quadrip.* etiam a Guelf. abest: denique in eodem codice et edd. ceteris ante Rhen. *modicis villis:* id recepi. MSS. Flor. Bud. edd. Rhen. sqq. omnes *modicis vicis:* quod contra Ryckium defendit quidem J. Gronovius, sed nullo alio argumento, quam antiquitate MS. Flor. cum multis aliis locis ejus lectionibus alias prætulerit. Vellem docuisset, quid esset *præsidia modicis vicis quadripartita* et quæ forma loquendi: non urgebo id, quod Ryckius, oppida fuisse, non modicos vicos: quorsum et quo consilio additum putabimus *modicis vicis?* Fateor, *una die* potuisse intelligi, si abesset; sed id tamen valet ad clarius perspiciendam magnitudinem reliquiarum Germanicarum, et aliis quoque locis brevitas temporis eodem consilio additur, nempe rei augendæ caussa. Ceterum ne sic quidem locum persanatum puto. Corrigendum insuper *quadripartito invaserit:* qui modus loquendi frequens Livio. v. c. 21, 7. urbem *tripartito adgreditur.* Cæs. B. G. 1, 25. *signa bipartito intulerunt:* ubi vid. Oudend. Observandum autem, librarios in hoc et similibus verbis valde proclives fuisse ad terminationem mutandam, ut proximo substantivo congrueret. Sic ap. eundem Liv. 4, 59. cum esset, *tripartito ad devastandos fines discessere*, librarius Vossiani pr. fecit *tripartitos*, referens ad *fines*. In loco ante laudato alius addidit *loco*. Ap. Cæsarem l. c. in variantibus e pluribus codd. notatum in margine habeo *bipartita*, quod debetur librario genus ad *signa* accommodanti. Et sic sæpe turbatum. Quo minus dubitavi hanc correctionem in textum recipere. Ceterum in MS. Guelf. est *legionem m. v. quadripartitam invaserint.* ERN. Hic iterum lectio Bud. male refertur. In eo legitur *modis civilis*, ubi dubie procul *modis* ortum ex *uno die*, tum Civilis egregie, ut in Agr. Rhenanus nil hic notavit, sed ex ingenio dedit *modicis vicis*. Porro Bud. *quadripartita*. Cum Ern. faciunt Brot. Lall. Bip. Mox in Bud. *Arenaque*, omissis intermediis. Addo, in Bud. vocem *Civilis* post *quadripartita* non legi.

*Verax, s. e. genitus*] In Beroaldi ed. est *vera:* haud dubie operarum vitio, quod, ut alia conservavit ed. Basil. Alciati. *Verax* Rhen. restituit. ERN. E Bud.

*P. m. Ceteri se munimentis def.*] MS. Bud. *mil. eminentis def.* Ed. pr. *ceteris imminentibus defendere.* ERN.

*Irrumpere inch. pontem nitebantur*] *Irrumpere pontem* nihili esse, quivis animadvertat. Itaque tentabam *abrumpere;* quod in ed. pr. aliisque libris antiquis passim reperi *arrumpere* pro *abrumpere*, ut *assumere* pro *absumere* et similia: sed cum e MS. Oxon. *rumpere* notatum a J. Gron. reperissem, id probavi, secutusque exemplum est Alemannus. Sed Broter. notat in MSS. Oxon.

XXI. Plus discriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Classicus, oppugnabant: nec sisti poterant, interfecto fortissimo quoque; in quis Briganticus, Præfectus alæ, ceciderat; quem fidum Romanis, et Civili avunculo infensum, diximus. Sed, ubi Cerialis cum delecta equitum manu subvenit, versa fortuna, præcipites Germani in amnem aguntur. Civilis, dum fugientes retentat, agnitus petitusque telis, relicto equo, tranatavit: idem Veracis effugium. Tutorem Classicumque adpulsæ lintres vexere. Ne tum quidem Romana classis pugnæ adfuit, ut jussum erat: sed obstitit formido et remiges per alia militiæ munia dispersi. Sane Cerialis parum temporis ad exsequenda imperia dabat: subitus consiliis, sed eventu clarus. Aderat fortuna, etiam ubi artes defuissent: hinc ipsi exercituique minor cura disciplinæ. Et paucos post dies, quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit.

XXII. Profectus Novesium Bonnamque ad visenda castra, quæ hiematuris legionibus erigebantur, navibus remeabat: disjecto agmine, incuriosis vigiliis. Animadversum id Germanis; et insidias composuere: electa nox atra nubibus, et prono amne rapti, nullo prohibente, vallum ineunt. Prima cædes astu adjuta: incisis tabernaculorum funibus, suismet tentoriis coopertos trucidabant. Aliud agmen turbare classem;

esse *irrumpere*. Sed tamen *rumpere* servavi, quia *irrumpere p.* non dicitur, et sine dubio vitium ortum est e finali in verbo præcedente. ERN. Bud. *irrumpere.*

*Nec sisti poterant*] Sic omnes libri, quos vidi. (item Bud.) Suspicatus sum olim, legendum esse *nec sisti poterat* sc. res, malum: actum erat de castris et obsessis: sed nunc credo, vulgatum verum esse, et defendi posse ex H. 3, 71. ubi eadem forma: ibi refertur ad *scandentes*, hic ad Civilem et Classicum, qui oppugnabant. Mox *ceciderat* est in omnibus libris: sed rem e consuetudine Taciti æstimanti videtur hoc verbum esse a mala manu. Etiam supra c. 19. *in quis fuit*, languet τὸ *fuit*; sed est tamen tolerabilius, quam h. l. *ceciderat*, nec illius generis exempla desunt. Nam præcedit verbum diversæ significationis: hic autem synonymum. H. 3, 77. *Sex Liburnicæ in primo tumultu evasere; in quis præfectus classis Apollinaris.* Agric. 37. *nostrorum trecenti quadraginta ceciderе; in quis Atticus, Præfectus cohortis:* et sic sæpe alibi. ERN.

*Diximus*] Supra 4, 70. Cf. 2, 22.

*Tranatavit*] V. ad c. 18. Ed. pr. *transnavit.* ERN. Bud. *tranatavit.*

*Idem Germanis effugium*] De militum fato jam dixit: sequebatur, ut de Ducum casibus diceret. Tres comparent, quartus, Verax, abest. Unde prona conjectura legendum esse *Veracis*; quod jam in mentem venit J. Gronovio. In ed. pr. est *idem germani transfugium.* Si Verax eadem matre potius, quam e sorore Civilis natus fuisset, *germani* teneremus. *Transfugium* sic dici, ut in scriptura illa, nondum reperi. ERN. Bud. *Germani.* Recte Gronovianam conjecturam probant et Bip. unice vera est et recipienda. Germani milites modo in amnem acti dicuntur.

*Infamiam non vitavit*] Bud. *mutavit.*

*Disjecto agmine*] Cum alio loco classis, alio castra militum terrestri itinere, Cerialem prosequerentur. ERN.

*Prono amne rapti*] Difficultatem movet Pichena ex eo, quod, quemadmodum Cerialis adverso amne Bonnam profectus est, sic Germani quoque ita occurrere regredienti debuerint. Quasi fugati eodem loco manserint, ac non per ambages in loca superiora venire potuerint, ut eum persequi defluentem amne possent. Per *vallum* deinde intelligenda castra nocturna prope flumen, ubi classis stabat. ERN.

*Suismet coriis*] *Tentoriis* MSS. Vatic. Agr. (et Reg. Lall.) Guelf. ed. pr. Et-

injicere vincla; trahere puppes. Utque ad fallendum silentio, ita, cœpta cæde, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Romani, vulneribus exciti, quærunt arma, ruunt per vias, pauci ornatu militari, plerique circum brachia torta veste et strictis mucronibus. Dux semisomnus ac prope intectus errore hostium servatur. Namque Prætoriam navem vexillo insignem, illic Ducem rati, abripiunt. Cerialis alibi noctem egerat, ut plerique credidere, ob stuprum Claudiæ Sacratæ, mulieris Ubiæ: vigiles flagitium suum Ducis dedecore excusabant, tamquam "jussi silere, ne quietem ejus turbarent: ita, intermisso signo et vocibus, se quoque in somnum lapsos." Multa luce revecti hostes, captivis navibus, Prætoriam triremem flumine Luppia donum Veledæ traxere.

XXIII. Civilem cupido incessit navalem aciem ostentandi. Complet, quod biremium, quæque simplici ordine agebantur. Adjecta ingens lintrium vis, tricenos quadragenosque feren-

iam Flor. non longe abludit, in quo *toriis*. Itaque, cum nuspiam *coria* pro tentoriis dicantur, ne *pelles* quidem, nisi in una illa formula *sub pellibus, tentoriis* edidi pro vulgato *coriis*. Ern. Bud. *coriis*.

*Quo plus terroris*] Copula *et*, quam auctore MS. Flor. sustulit ante *quo* Pichena, etiam ab ed. pr. abest. Mox *ornatu militari* ex eodem Flor. dedit Pichena pro *ornati militariter*. In Flor. est *ornati militari*: in ed. pr. plane *ornatu militari*. Sed nec alteram lectionem spernam, cum etiam H. 2, 80. *sit loqui militariter*. Ern. Bud. male *et ut quo plus*. Dein *ornati militariter*.

*Dux semisomnus*] Ita cum J. Gron. edidi e Flor. Agr. Guelf. ed. pr. (sic et Bud.) Ceteræ *semisomnis*, quod sæpe illi a librariis substituitur. Paullo post pro *Ubiæ: vigiles* MS. Guelf. edd. omnes ante Rhen. *ubi et vigiles*. Ern. Sic et Bud. Rhenanus scite et tacite *Ubiæ* dedit.

*Signo et vocibus*] Heins. volebat *vicibus* scil. vigiliarum, ut 2, 29.

*Prætoriam triremem*] MS. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. *biremem*: (Bud. *triremem*.) Post Rhenanus *flumine Luppia* se restituisse ait e lectione MS. Bud. *flumine impia*, quod et in Guelf. ed. Put. unde factum in ed. Ber. *impio*. Sed ante jam ed. pr. plane *Lupia*. Pro *donum* porro ed. Puteol. Ber. (Alc.) *donum*. (Correxit Rhen. e Bud.) In ed. pr. nihil est nisi *flumine Lupia detraxit*. Ern.

*Civilem cupido incessit*] Flor. *C. c. invasi incessi*. Unde Pichena corrigit *C. c. inanis incessit*: frustra. *Invasit* fuit glossa τοῦ *incessit*; eaque antiquitus in textum venit: aut, cum fluctuarent libri inter utrumque verbum, librarius utrumque posuit, ut et alibi factum in Tacito. V. ad H. 2, 1. 3, 13. et centies in aliis. V. Drakenb. ad Liv. 3, 44. et quos ibi laudat. Etiam ed. pr. *cupido invasit, cessit*. In seqq. *biremium, quæque* etc. est clarum testimonium, biremes, triremes, etc. ordinibus remigum censeri. Ern. Veram Flor. lectionem e Pichena initio notæ restitui. Bud. habet *invasi incessit*. Heins. e MS. Spinæ dat *invasit*.

*Complet quod bir.*] Bud. *et quod bir.* quod se recepisse ait Rhen. sed in textu non legitur.

*Quæque simpl. ord. ageb.*] Græce *moneres*. Liv. 38, 38.

*Adjecta ingens lintrium vis*] Locum vitiatum et mutilum correxi et auxi e Vatic. qui sic: *Armamenta liburnicis solite et simul capte lintres sagulis versicoloribus haut indecore pro telis juvabantur*. Hegesippi verba commode adtexam et corrigam 2, 9. de Rheno: *Itaque jam non copiis Germanorum repletur, sed Romanorum Liburnis*. Vetus lectio, *copolis Germanorum*: quæ recta est, sive *caupulis*: et cape exiguas illas lintres. Quam vocem Agellio 10, 25. etiam restituimus in Electis 1, 7. At hic insignis locus tunc me fugit. Lips. Locus hic in omnibus libris mire corruptus, ut frustra ejus correctio tentari videatur. MS. Flor. *tricenos quadragenosque se et armamenta Liburnicis solita*. Omninoque in accusativis nume-

tium: armamenta Liburnicis solita: et simul aptæ lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis juvabantur. Spatium velut æquoris electum, quo Mosæ fluminis os amnem Rhenum Oceano adfundit. Caussa instruendæ classis, super insitam genti vanitatem, ut eo terrore commeatus Gallia adventantes interciperent. Cerialis miraculo magis, quam metu, direxit classem, numero inparem, usu remigum, gubernatorum arte, navium magnitudine potiorem. His flumen secundum; illi vento agebantur. Sic prævecti, tentato levium telorum jactu, dirimuntur. Civilis, nihil ultra ausus, trans Rhenum concessit. Cerialis, insulam Batavorum hostiliter populatus, agros villasque Civilis intactos, nota arte Ducum, sinebat:

rorum consentiunt Reg. (Bud.) Guelf. Agr. ed. pr. omnesque ante Lipsium, qui *tricenis quadragenisque* induxit, utrum e Vat. an e superiore aliqua mihi non visa editione, nescio: sed hoc videtur. Itaque accusativi haud dubie tenendi. Post *fere* s. *ferre* MSS. Reg. Agr. ed. pr. ita tamen, ut in isto *armamenta*: in illo *armatos*, in hac *arma* sequatur. *Liburnicæ* solus cod. Agr. at *solitæ* præter ipsum iidem libri. Edd. ceteræ ante Rhen. MS. Guelf. *Liburnicas soli*, at Rhen. *liburnicas olim*. Unde sane probabilis fit lectio MS. Agr. quam Ryckius in textum recepit: *tricenos quadragenosque ferre armatos Liburnicæ solitæ*. Reliqua scriptura cod. Vaticani *et simul* etc. itidem est in ed. pr. *pro telis* etiam MSS. Reg. Agr. at ceteræ edd. et scr. tantum *haud indecore pro velis juvabant*, omissis præcedentibus in hodie vulgato sex vocibus. Sed nihil attinet laborare in loco, sine melioribus libris insanabili. Ern. Bud. *tricenos quadrigenosque seu armente taliburnicis soli haud* etc. in quo nil boni, nisi quod accusativos habeat ab initio. In seq. lineam totam omissam, clare patet. Particula *seu* in Flor. exprimitur per *set*, in aliis per *fere* vel *ferre*. Hinc Bip. effingunt *ferentium* et locum ita concinnant, ut ego posui. Recepi autem ideo, quod proxime ad Flor. accedit, etsi non negem, Ryckianam lectionem e cod. Agr. commodum sensum dare, eamque admisit Lall. Contra Brot. vulgatum servat: *tricenis quadrageuisque armamenta Liburnicis solita*; intelligit quippe cum Huetio, XXX vel XL ex illis lintribus armatas fuisse in modum Liburnicarum. Ita locum quoque Gallice reddidit Dotteville. Porro pro *captæ lintres* Bip. reponunt *aptæ*, quod et mihi videtur aptius, ut A. 2, 6. Demum Bud. *pro velis juvabantur*.

*Spatium velut æquoris electum*] *Electum* MS. Guelf. ed. pr. ceteræ ante Rhen. quo alludit etiam Flor. lectio *ejectum*: idque restituit Pich. cum a Rhenano inde fuisset *captum* e MS. Bud. in quo *ceptum*. Ern.

*Quo Mosæ fluminis amnem Rhenus O. a.*] Probe, nec improbe in libris quibusdam, *Mosæ fluminis os amnem Rhenum*. Res quidem ipsa eadem, aliter elata. Lips. *Quo Mos.* MSS. et edd. ante Rhen. qui dedit *ubi* e Bud. in quo *ut* erat. Illud restituit Pichena. Lectio a Lipsio laudata est in Flor. Reg. Agr. (et Reg. Lall.) ed. pr. et congruit cum alio loco Taciti de Rheni cursu, Ann. 2, 6. unde hanc potius secutus sum, ut etiam J. Gron. fecit. Præterea ed. pr. (item e Bud. et Reg. Lall.) *effundit*. Ern. Bud. male, *ut mos est fluminis amnem* etc. non, ut Rhen. refert, *ut Mosæ*. Quod ad *os fluminis*, cf. c. 7. et Liv. 22, 19.

*Miraculo magis, quam metu*] Magis, quia mirabatur, Civilem hoc audere, quam quod timeret. Nam revera Romanis hic peritissimis nihil periculi: et nondum Batavi in mari aut aquis, quales nunc miramur. Lips. Bip. exponunt sic: magis ut mirabile fecisse videretur hostibus, quam eos metuens, conjectantque leg. *metui*.

*Magnitudine potiorem*] Hic desinit textus hujus libri in ed. pr. Ern.

*His flumen secundum*] Edd. ante Pich. *is flumine secundo*. Mox *provecti* edd. ante Rhen. *Prævecti* est prætervecti, ut alibi. Ern. Pich. emendavit e Flor. Sed sic et Bud. *Is* (pro *iis*) *flumen secundum*, quod Rhen. se profitetur recepisse, sed in textu vulg. habet. Dein Bud. *prævecti*, inde Rhen.

*Tentato lævium t. j.*] *Levium* Flor. addit teste Ryckio. Recepere et Bip.

cum interim, flexu autumni et crebris per hiemem imbribus, superfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciem stagni opplevit: nec classis aut commeatus aderant: castraque in plano sita, vi fluminis differebantur.

XXIV. "'Potuisse tunc opprimi legiones, et voluisse Germanos, sed dolo a se flexos," inputavit Civilis. Neque abhorret vero, quando paucis post diebus deditio insecuta est. Nam Cerialis per occultos nuntios "Batavis pacem, Civili veniam," ostentans, Veledam, propinquosque monebat, "fortunam belli, tot cladibus adversam, opportuno erga Populum Romanum merito mutare. Cæsos Treveros, receptos Ubios, ereptam Batavis patriam: neque aliud Civilis amicitia paratum, quam vulnera, fugas, luctus: exulem eum et extorrem recipientibus oneri: et satis peccavisse, quod totiens Rhenum transscenderint: si quid ultra moliantur, inde injuriam et culpam, hinc ultionem et Deos fore."

XXV. Miscebantur minis promissa. Et, concussa Transrhenanorum fide, inter Batavos quoque sermones orti: "non prorogandam ultra ruinam: nec posse ab una natione totius orbis servitium depelli: quid perfectum cæde et incendiis legionum, nisi ut plures validioresque accirentur? Si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri; sin Populum Romanum armis provocent, quotam partem generis humani Batavos esse? respicerent Rhætos Noricosque et ceterorum onera sociorum; sibi non tributa, sed virtutem et viros indici: proximum id libertati: et, si dominorum electio sit, honestius Principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari." Hæc vulgus. Proceres: "atrociore Civilis rabie semet in arma trusos: illum domesticis malis excidium gentis opposuisse: tunc infensos Batavis Deos, cum obsiderentur legiones, interficerentur Legati, bellum uni necessarium, ferale ipsis sumere-

*Flexu autumni*] Edd. ante Rhen. vitiose *fluxu*. Flexus autumni eleganter posterior ejus pars, vergens in hiemem. Unde ducta loquendi forma, docui in Clave Cicer. Mox Flor. *et crebris per hiemem imbribus*. ERN. *Flexu* Rhen. e Bud. Sic A. 1, 16. *flexo in vesperam die*. Cic. pro Cœlio 31. *In hoc flexu quasi ætatis*. Mox et Reg. Lall. *per hiemem*, quod rectius. Recepere et Bip. Cf. et A. 4, 25.

*Nec classis aderat*] Nempe dimissa, cum plana Batavorum loca populandi caussa peteret. Mox *deferebantur* MS. Guelf. edd. ante Rhen. male. ERN. Is e Bud. correxit.

*Neque aliud—paratum*] Hic *paratum* edidi e Guelf. pro vulg. *peractum*, quod hic alienum. Sæpe illa verba confusa scimus. Imitatus est Brot. ERN. Et Lall. item Bip. *Paratum* habet etiam Bud. quod miror a Rhen. neglectum. In aliis contra Bud. hic peccat, sic in seq. *profectum* pro *perfectum*: *fures* pro *plures*: *vocent* pro *provocent*.

*Et ceterorum o. s.*] Copulam, ab Alciato omissam, e Bud. restituit Rhen.

*Virtutes et viros*] Rhenanum audiebam corrigentem, *juventutem et viros*: nunc magis cum Flor. legam *virtutem*: id est bellicum ab iis robur exigi, non pecuniam aut opes. LIPS. Bud. *virtutes*. Muretus et Acid. ejiciendas putabant duas voces *virtutem et*. Mox *Germ. feminas*: intellige Veledam similesque. Cf. 4, 61.

tur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant, et noxii capitis pœna pœnitentiam fateantur."

XXVI. Non fefellit Civilem ea inclinatio, et prævenire statuit: super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito conloquio, scinditur Nabaliæ fluminis pons; in cujus abrupta progressi Duces: et Civilis ita cœpit: " si apud Vitellii Legatum defenderer; neque facto meo venia, neque dictis fides, debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, a me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia: et, cum privatus esset, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanicæ legiones, et Gallica juventus Alpes transscenderet. Quæ Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus præsens monebat, arma in Germania movi, quæ Mucianus in Syria, Aponius in Mœsia, Flavianus in Pannonia."

*Nabaliæ fluminis*] Nusquam id fluminis in hoc tractu. An oppidum eo nomine? Quod Junio Hadriano videtur, legitque *Navaliæ:* et urbem Campos ita indigitat, ad sinum hodie australem, Ptolemæo parum firmiter innixus. Ego ambigo, ne *Vahalis* corrigendum sit. Pontem quidem aliquem cœptum a Romanis paullo supra legas, sed Batavoduri: de quo hæc non vane intelligas, nisi quod Batavodurum ad Rhenum fuisse volunt, quos arguat hic locus. LIPS. Idem visum ante Rhenano (quia in Bud. *flabalie*). Aliis aliter: quæ commemorare, cum incerta sint omnia, nihil refert. ERN. *Vahalis* hic locum habere nequit. Civilis in Transrhenanam concesserat; Cerialis agebat in Batavis. Cluverius G. A. 3, 17. et Alting. t. 1. p. 67. intelligunt alveum Rheni, qui vulgo fossa Drusi, qua Isala Rheno committitur. Pontanus *Navam* volebat, sed ea nimis a castris Romanis remota. Cellarius nil definit 2, 3, 19.

*Et Civilis ita cœpit*] Conjunctionem e Flor. præfixit Pich. Bud. non habet.

*Et cum privatus esset*] De hoc loco sensit Sidonius in Epistolis 4, 14. *Caius Tacitus e majoribus unus tuis, sub verbis cujusdam Germanici Ducis in Historia sua retulit: Cum Vespasiano mihi vetus amicitia, et, dum privatus esset, amici vocabamur.* LIPS.

*Quæ Antonius epistolis*] *Epistolis* e Flor. edidit Pichena. Ante edd. omnes *absens.* Mox in ed. Rhen. vitio operarum factum *movebat:* id fideliter ab omnibus conservatum usque ad Pichenam, qui a Flor. admonitus, correxit. ERN. *Absens* glossæ debetur. Bud. ita: *Quæ Antonius præsens monebat*, omissis intermediis. Cum hoc loco conferri meretur 4, 13.

*Fabianus*] Lego *Flavianus.* LIPS. Consentit Florent. (et Bud.) unde edidit Pichena. ERN. Bud. in fine male *in Parma.*

# C. CORN. TACITUS

DE

# SITU, MORIBUS. ET POPULIS GERMANIÆ.

## BREVIARIUM LIBELLI.

Cap. 1. Germaniæ situs, 2. incolæ indigenæ: auctores gentis: nominis origo. Hercules. 3. barritus: ara Ulyssis. 4. Germani, gens sincera: habitus corporum. 5. Terræ natura: non aurum, non argentum, nec æstimatum. 6. Germanorum arma, equitatus, peditatus, ordo militiæ: 7. Reges, Duces, Sacerdotes: 8. feminarum virtus et veneratio. Veleda. Aurinia. 9. Dii, sacra, simulacra nulla. 10. Auspicia, sortes: ex equis, e captivo præsagia. 11. Consultationes publicæ et conventus. 12. Adcusationes, pœnæ, jus redditum. 13. Scuto frameaque ornati juvenes, Principum comites: eorum virtus et fama. 14. Gentis bellica studia. 15. In pace, venatio, otium. Collata Principibus munera. 16. Urbes nullæ: vici, domus, specus suffugium hiemi et receptaculum frugibus. 17. Vestitus hominum, feminarum. 18. Matrimonia severa. Dos a marito oblata. 19. Pudicitia. Adulterii pœna. Monogamia. Liberorum numerus non finitus. 20. Liberorum educatio. Successionis leges. 21. Patris, propinqui, amicitiæ, inimicitiæque susceptæ: homicidii pretium. Hospitalitas. 22. Lotio, victus, ebriorum rixæ: consultatio in conviviis. 23. Potus, cibus. 24. Spectacula: aleæ furor. 25. Servi, libertini. 26. Fœnus ignotum. Agricultura. Anni tempora. 27. Funera, sepulcra, luctus.

28. Singularum gentium instituta. Galli, olim valida gens, in Germaniam transgressi, Helvetii, Boii. Aravisci, Osi, incertum genus. Germanicæ originis populi Treveri, Nervii, Vangiones, Triboci, Nemetes, Ubii. 29. Batavi, Cattorum proles. Mattiaci. Decumates agri. 30. 31. Cattorum regio, habitus, disciplina militaris; vota, virtutis incentiva. 32. Usipii, Tencteri, equitatu præstantes. 33. Bructerorum sedes, a Chamavis et Angrivariis occupatæ. 34. Dulgibini: Chasvari: Frisii. 35. Chauci, pacis studio, justitia et virtute nobiles. 36. Cherusci et Fosi, a Cattis victi. 37. Cimbrorum parva civitas, gloria ingens. Romanorum clades. Germani triumphati magis quam victi. 38. Suevorum numerus, mores. 39. Semnonum religio, victimæ humanæ. 40. Longobardi: Reudigni: Aviones: Angli: Varini: Eudoses: Suardones: Nuithones. Herthæ cultus communis. 41. Hermunduri. 42. Narisci: Marcomanni: Quadi. 43. Marsigni: Gothini: Osi: Burii. Lygiorum civitates, Arii, Helvecones, Manimi, Elysii, Naharvali;

horum numen Alcis. Gothones: Rugii: Lemovii. 44. Suiones, classibus valentes. 45. Mare pigrum. Æstyi, Matris Deum cultores, succinum legunt. Sitonibus femina imperat. 46. Peucini, Venedi, Fenni, Germani an Sarmatæ? Eorum feritas, paupertas. Hominum monstra, Hellusii, Oxiones.

I. GERMANIA omnis a Gallis Rhætisque et Pannoniis Rheno et Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus, separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus et insularum inmensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac Regibus, quos bellum aperuit. Rhenus, Rhæticarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. Danubius, molli et clementer edito montis Abnobæ jugo

Ordinem scriptionis si sequimur, ante Historias et Annales sibi locum vindicet hic libellus. Scriptus enim est Trajano secundum Consule, id est Nerva adhuc vivo. Ipse ostendit c. 37. *Cæcilio Metello ac Papirio Carbone* COSS. *Ex quo si ad alterum Trajani Consulatum computemus, ducenti fere et decem anni colliguntur.* At Historiæ cœptæ Nerva jam mortuo et inter Divos, ut docui. LIPS.

*A Galliis Rhætiisque*] MSS. et edd. vet. (etiam Romana Joh. Gensbergii et Norimbergensis Frid. Creussneri) *a Gallis Rhætiisque.* Lipsius editione sexta dedit *a Galliis*, unde in ceteras fluxit. Restituimus veterem lectionem, itemque cum Broterio Rhætis, quia et in altero membro non regionum, sed populorum, nomina. Decepit editores, ut videtur, nomen *Pannoniis* itemque recentior adpellatio Rhætiarum. Sed Rhætiæ et Pannoniæ sunt inferiores Taciti ætate, ut monuit dudum Cellarius. ERN. Editiones a morte Lipsii cum ejus notis curatæ fol. Paris. 1608. et Antw. 1627. habent *a Gallis Rhætiisque.*

*Mutuo metu aut montibus*] Vitiat acutam sententiam Bambergense exemplar, *mutuo victu.* Immo vero *metu:* qui inter æque potentes pro termino et repagulo. Thucydides 3, 11. bene et apposite: Τὸ δὲ ἀντίσαλον δέος, μόνον πιστὸν ἐς ξυμμαχίαν. LIPS.

*Nuper cognitis*] Domitiani imperio, opinor: cui bella cum Cattis, Suevis, Sarmatis, et ea occasione illustratæ magis vicinæ gentes. LIPS. Colerus potius de Drusi Germ. bellis accipit, testibus Strabone l. 7. p. 291. Plinio 2, 67. Suetonio Claud. 1. Egregie rem illustrat monumentum Plautii Silvani Æliani apud Grut. p. 453.

*In Occidentem versus*] Pleonasmus elegans, Ciceroni aliisque usurpatus. V. Clav. Cic. in *versus.* Adde Manut. ad Cic. Ep. 8, 15. Cautio est, ne eum iis locis quæramus, ubi *versus* participium est, ut bene monet Dukerus, exquisitæ vir doctrinæ, ad Liv. 38, 51. Hoc loco participium agnoscere non licet. Nam copula deberet esse post ortus, sic: *et modico flexu* etc. *Modico fl. i. O. v.* est: ubi modice versus Occidentem se flexit. Mox *molli et clementer edito jugo* synonymice: ne Tacitum, brevitatis auctorem, talia refugere putes, ubi exquisita verba in promtu sunt. ERN.

*Montis Abnobæ*] Plinius nominat 4, 12. (24) sed ibi quoque infida scriptura. Alii enim libri, *Arnobæ.* Bambergensis hic, *Anribæ.* Roman. *Arbonæ.* Ptolemæo sunt Ἀυνοβοὶ montes. LIPS. *Arnobæ* cod. Kapp. *Arnobæ.* Pogg. Rhag. Puteol. ceteri ante Rhen. Ast MS. Arundel. *Arnibæ*, ut Bamb. nam in eo sic, non *Anribæ* credo fuisse. Rhenanus ex ed. ab Artolpho, medico, secum communicata prodidit *Abnobæ* et quidem in ed. 1533: nam in ed. 1519. hujus libelli adhuc est *Arbonæ.* Ex quibus patet, lectionem *Abnobæ* h. l. niti sola illa editione vetere, quam Artolphi librum vocat Rhenanus. Si cod. Artolphi est idem, quem nos Kapp. vocamus, ut mihi visum est propter summum consensum in ceteris lectionibus inde prolatis, aliud hic egit Rhenanus. In Plinio 4, 12 (24). lectionem *Abnoba* non certam esse, Lipsius monuit. Ego *Arnoba* reperi in edd. primis omnibus, quas habeo e sec. XV. In ed. a. 1497. in margine primum *Abnoba*, sc. e conjectura Hermolai Barb. e cujus castigatione est illa ed. In textu primum reperi in edd. Benedict. ut 1507. sed post eam etiam in Germanicis et Paris. 1526. in textu *Arnoba*, inter-

effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpit: septimum enim os paludibus hauritur.

II. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus et hospitiis mixtos; quia nec terra olim, sed classibus, advehebantur, qui mutare sedes quærebant: et inmensus ultra, utque sic dixerim, adversus Oceanus raris ab orbe nostro navibus aditur. Quis porro, præter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam cœlo, tristem cultu adspectuque, nisi si patria sit? Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ et annalium

dum in margine *Abnoba* est. Ill. tamen Rezzonico in MS. reperit *Abnova*, ejusdemque lectionis vestigia in alio, quam lectionem veram putat. Sed nil interest inter *Abnobam* et *Abnovam*; sicut Ptolemæus habet Αὐνοβ. cujus etiam testimonium firmat lectionem *Abnoba* apud Plinium et nostrum. ERN. Apud Ptol. 2, 11. dicuntur Ἀβνοβαῖα ὄρη, item Ἀβνοβα vel Αὔνοβα. Ed. Rom. habet *Arnobe*, Norimb. editio, quæ dicitur codex Kappii item Artolphi, *Arnobæ*. Rhenanus hic in limine statim humani quid passus, qui e sic dicto codice isto Artolphi profert *Abnobæ*. Eum quippe a. 1533. nota fugientibus litteris margini exemplaris adlita decepit, ut monui in præfatione. Ceterum *Abnobæ* nomen verum esse, monumenta haud ita pridem reperta abunde confirmant. Scilicet in ipsa Nigra silva sive monte Abnoba reperta est a. 1778. ara, inscripta hoc titulo: IN H. D. D. DEANAE ABNOBAE CASSIANVS CASSATIVS L L M ET ATIANVS FRATER FALCONE ET CLARO COSS. quæ proinde A. U. C. 946. A. C. 193. posita fuerat. Sistit eam decus, dum viveret, eximium S. Blasianum, Abbas Gerbertus in Hist. silvæ nigræ t. 1. p. 7. Tum vero a. 1784. Badavillæ in jugo ejus montis sitæ e ruderibus thermarum Romanarum extracta est ara vel basis columnæ sive statuæ inscripta DIANAE ABNOB. de qua vid. laudatus Gerbertus t. 2. p. 243. et Aug. Gottl. Preuschen in Denkm. von alt. phys. u. polit. Revolutionem in Deutschland, bes. in den Rheingegenden. 8. Frf. 1787.

*Erumpit*] Cod. Kapp. (s. ed. Norib. item Rom.) *erumpat*, itemque edd. Rhen. seqq. ante Pichenam, qui ex ed. Put. edidit *erumpit*, quod et ceteri mei veteres habent. Ceterum utrumque rectum. ERN.

*Utque sic dixerim, adversus*] Haud satis capio. An *adversum* dicit oppositum et contrarium? An *obversus* verius sit legi, idque ex situ ipso? An vox aliqua durior aut remotior fuit, præsertim quam præfatione ea leniit? Tamen haud male *adversum* ceperis, quasi mari Italico et Tyrrheno oppositum: eodemque sensu etiam, *diversus*. Sic in Agricola scripsit c. 23. *Glota et Bodotria diversi maris æstu in immensum revecti, angusto terrarum spatio dirimuntur*. LIPS. Quomodo *adversus Oceanus?* numquid aliter quam *secundum* et *adversum mare*, 2, 98. *Mare quoque Etesiarum flatu in orientem navigantibus secundum, inde adversum, erat*. Sumtum inde, quod *secundo flumine, amni secundo*, et vicissim *adverso flumine* vel *fluvio, adversa aqua per flumen* dixere. Sic etiam, qui ex Italia Oceanum, per Germaniam proprie dictam, ingreditur, *adversa aqua* videtur vehi, sive æstu contrario; præcipue versus septemtriones: ibi enim *consurgere mundum*, qui in austros Libyæ *premerctur*; ibi *erectum borean*, ex opposito *notum jacentem* credebant. Plinius, 2, 70. *Navigantium hac maxime cursus deprehendunt, in alia adverso, in alia prono mari, subitoque conspicuis, atque ut e freto emergentibus, quæ in amfractu pilæ latuere, sideribus*. GRON. Nil opus Acidalii *aversus*. Improbabile prorsus Crusii *abstrusus* in Prob. crit. p. 33.

*Nisi si patria sit*] MS. Turic. *nisi sibi p. s.* ERN. *Nisi si* ed. Rom. et Nor. Sic et alibi. V. Dukerus ad Flor. 4, 7, 15. In depingenda imagine terræ consentit Seneca de Provid. c. 4.

*Quod unum apud illos*] Uti apud barbaros fere omnes et rudes litterarum. Nec Hispani aliter comperere apud novos Indos. Eginhartus in Vita Caroli Magni c. 29. *Barbara et antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus et bella canebantur, scripsit, memoriæque mandavit*. Jornandes de Gothis c. 5.

genus est) " Tuisconem Deum, terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tres filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, ceteri Istævones vocentur." Quidam autem, licentia vetustatis, " plures Deo ortos, pluresque gentis adpellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios" adfirmant: " eaque vera et antiqua nomina. Ceterum Germaniæ vocabulum recens et nuper additum; quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac, nunc Tungri, tunc Germani

*In priscis eorum carminibus pœne historico ritu recolitur*, etc. At proprie de Germanis, noster A. 2, 88. de Arminio: *Canturque adhuc barbaras apud gentes.* Julianus egregie in Antiochico ab initio, qui hæc, ἀγρία μέλη vocat, παραπλήσια ταῖς κλαγγαῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων: *agrestia carmina, similia clangoribus avium aspere clamantium.* LIPS. In hoc loco alii legunt τοῖς κωγμοῖς.

*Tuisconem*] Ita edidi e MS. Turic. cod. Kapp. ed. Rhag. ut dudum voluere viri docti (in his Conring.). Ceteræ edd. mese inde a pr. Spirensis *Tuistonem.* In vett. edd. autem sæpe observavi *st* esse pro *sc.* Sic mox c. 3. in edd. Spir. et Pogg. *stutis* pro *scutis.* In MS. Turic. ante abest etiam *est*: bene, ut opinor. In ed. Rhag. *sit* reperi. Post liber Artolph. *ei filium*: MS. Arund. *ejus f. M. o. g. conditoremque*: quod favet conjecturæ Rhenani: *Ei f. M. o. g. conditoremque*: *Manno tres filios adsignant.* Ed. Pogg. *conditorisque*, item Spirens. ERN. Ed. Rom. et Nor. *Tuisconem—ei filium—conditorisque.* Wachterus volebat *Tuisconem*; Cluverius *Tuitonem*, quod et placebat Perizonio. Scheidius in præf. ad Eccardum de orig. Germ. p. 23. suadet legendum *Thiudans* datque *et terra editum.* Ceterum hic non quæritur, quod nomen hominis verum fuerit, sed quale a Tacito scriptum, quod dubium esse nemo non sentit. Gebaverum si audias in Vestig. juris Germ. antiq. p. 926. Tacitus scripserit *Tuiscottem Deum, terra editum ei* (vel *et*) *filium Mannum.* Derivat scil. vocem a *thiud*, gens, et *cott* sive *Gott* Deus, ut sit gentis Deum.

*Hermiones*] Cod. Vat. Kapp. edd. Puteol. Rhag. *Hermiones*, ut fere in libris Plinii scribuntur. Mox ed. Alc. vitiose *Deos.* ERN. Ed. Rom. et Nor. *Hermiones.* Recepere et Bipontini, qui pro *Deo ortos* mallent *de eo* (Manno) *ortos.*

*Licentia vetustatis*] Cod. Kapp. *ut in licentia vet.* plane ut e cod. Art. laudat Rhenanus, et est in duobus Vatic. ap. Broterium. ERN. Sic et ed. Nor. qui est iste cod. Kappii et Artolphi, sed omisso *autem.* Sic porro et ed. Rom. Eam lectionem probat Zinzerling in Crit. juv. prom. c. 51.

*Vandalios*] Cod. Kapp. (s. Norimb. ed.) *Vandilios.* (Sic et ed. Rom.) MS. Arund. edd. Rhag. Ber. *Vandalos.* Ergo vulg. non ita firmum, ut Harduino visum ad Plin. 4, 14 (28). ERN.

*Recens et nuper additum*] Nos *auditum* maluimus legi (ut c. 41) quam *additum.* Quod ait, *nuper*, non Hercules ita nuper: quippe cum ab ævo Julii Cæsaris, quo constat Germanos Galliam irrupisse. LIPS. Multo magis *additum* demulcet quam *auditum.* Intellige, datum, inditum, impositum. Virgilius 1, 267. *Puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo Additur.* Seneca Herc. Fur. 1237. *Quis nomen unquam sceleris errori addidit?* ut ex Flor. restituimus. Claudianus Cons. Olybrii et Probini v. 9. *nam sæpe soles ductoribus illi: Instaurare vias et cursibus addere nomen.* GRON. *Nuper* de satis longo tempore uno alterove etiam sæculo dici, hodie satis constat inter Latine doctos. V. dicta in Clave Cicer. in h. v. *Auditum* placebat etiam Pighio in Hercule Prod. p. m. 9. ERN. Germanorum nomen in Fastis Capitolinis jam occurrit ad a. u. 531. Eos scite æri incisos dedit Piranesius.

*Nunc Tungri, nunc Germani*] Valde amplector Bambergensem scripturam, quam et Pichena repperit in veteri editione Bononiensi; *ac nunc Tungri, tunc Germani*: atque ita evolvam me ex obscura origine nominis, quod hodieque hæret in pace et bello optima gente. Sententiam enim hanc reor (quidquid dissertum aliis) eos qui transgressi primitus Rhenum sint, esse eum ipsum populum, qui nunc Tungri appellentur, at tunc Germani: quod tamen unius nationis peculiare nomen, paullatim

vocati sint: ita nationis in nomen gentis evaluisse paullatim, ut omnes, primum a victore ob metum, mox a seipsis invento nomine, *Germani* vocarentur."

III. " Fuisse apud eos et Herculem" memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prœlia canunt. Sunt

transfusum ad omnes. LIPS. *Tunc* MS. Turic. edd. Bonon. 1472. ap. Pichenam, Spirensis, Pogg. Ceteri edd. mei ante Pich. bis *nunc*. Cod. Kapp. (s. ed. Norib.) inverse *ac tunc Tungri, nunc G.* ut Acidalio placebat. *Sunt* edd. Rhag. Rhen. 1519. Post pro *non gentis* Acidalius malebat *in nomen gentis evaluisse*: quod non displicet. Est enim hæc legitima verbi *evalescere* constructio, ut H. 1, 80. et alibi. ERN. Recipio cum Bip. Ex hoc loco patet, editionem veterem, qua usus J. E. Kappius, non esse Romanam; hæc enim habet *ac nunc Tungeri tunc Germani*. Joh. Kappius in editione sua Germaniæ a. 1788. secutus alteram editionem istam reposuit *ac tunc Tungri, nunc G.* Ita quoque visum fuerat Acidalio. Longolius τὸ *ac* recidendum putabat. Ceterum Bononiensis editio a. 1472. est eadem, quæ Poggii, quod et alibi monitum. In sequentibus Wachterus in alia omnia abit. Servat vulgatum *non gentis* et nomen nationis intelligit *Germanorum*; gentis, *Theotiscorum*; istud, non hoc, prævaluisse paullatim censet.

*A victore ob metum*] Vox *Germani* eidem Bamberg. recte abest. Ista ipsa enim noviter interpretari posse videor, et præter mentem omnium, etsi non præter verum. Censeo eum hoc dicere. Factum, ut omnes, qui Rhenum accolerent, nomen ab ista victrice natione invenirent, ob metum scilicet recentem Gallorum: qui, quoties de transgressu vel adventu Transrhenanæ nationis audirent, aiebant trepidi adventare Germanos: at isti proprie Germani, novum nomen invenirent a se ipsis, discriminandi nimirum caussa, et dicerent se Tungros. Possim vulgatam tueri et explicare: sed cur nuger? hæc mera veritas. LIPS. Vir doctus (de la Bleterie) apud Broterium corrigit *ad metum*, quod est facilius, sed *ob m.* idem significare posset. ERN.

*Mox a se ipsis*] *Mox* pro postea est et apud Flor. 3, 10, 8. ubi vid. Dukerus.

*A seipsis invento nomine Germani*] Si mordicus hanc retines, legam, *a re ipsa invento*. Germani enim etymo prisco bellaces viri sunt. *Gerra*, bellum; invenere ergo id nomen, ab ipsa re, quia tales. Vulgatam quomodo expedies? aut qui a seipsis nomen hoc invenere, quod antea in Tungris? Sane interpretes hic fluctuant, et fluctuabunt æternum. LIPS. Locus ex illis, in quibus majore cum fiducia destruas aliena, quam moliaris et struas tua. Utrumque autem defendi possit *a victore*, malim tamen *a victrice*, ut referatur ad *nationem*. Deinde utrobique admitto scripturam Bambergensem. Sensus: ut Transrhenanæ gentes, inter Gallos, et ab his ad Romanos Græcosque potissimum per Massilienses propagata communi appellatione, a victrice natione, metu dictante, omnes *Germani*, (quod primis experimentis virtutis appellabantur, qui postea *Tungri* dici maluere) mox, postquam non metus, sed ratio, valuit, et interius eæ Transrhenanæ gentes sunt cognitæ, proprio et a seipsis invento nomine, velut Suevi, Catti, Sicambri, Cherusci, Usipetes etc. vocarentur. GRON. MS. Arund. *mox et a se i. i.* ERN. Quæritur hic, quis *victor* sit intelligendus? Tungros vulgo putant, quorum pristinum nomen ob metum aliis quoque sit datum, ut Germani dicerentur. Longolio, quem cum Kappio Bipontini sequuntur, secus videtur. His *victor* est Populus Romanus: qui, etsi non domitos a se Germanos, victos tamen, crepabant, ut Florus habet 4, 12. Metuisse vero, satis constat. Alii, Muretus, Cluverius, Harlæus, et nuper Lallem. conjiciebant legendum *a victis*, quod bonum sensum fundit; verum, refragantibus codicibus, haud admittendum.

*Virorum fortium. Ituri*] Recte distinxi. Non enim ea mens, quod Herculem canant; sed quod alacres et cum cantu incipiant pugnas. Tacitus H. 2, 22. *Temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci et more patrio nudis corporibus*. Lib. 4, 18. *Ut virorum cantu, fœminarum ululatu sonuit acies*. Noto autem, etiam Hispanos prœliis præcinuisse, ex Silio 10, 230.—*ritu jam moris Iberi Carmina pulsata fundentem barbara cetra*. Diodorus Siculus, de Lusitanis 5, 34. Ἐν τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνουσι, καὶ παιᾶνας ᾄδουσιν, ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιτεταγμένοις. Similia in

illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem *barritum* vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille, quam virtutis, concentus videtur. Adfectatur præcipue asperitas soni et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat. Ceterum et "Ulyssem," quidam opinantur, "longo illo et fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adissé Germaniæ terras, Asciburgiumque, quod in ripa Rheni situm hodieque incolitur, ab illo constitutum no-

Thracibus aliisque barbaris fuisse, notavi ad A. 4, 47. Lips. Antiquam distinctionem revocavit Pichena. Ern.

*Barditum vocant*] Ita Farnes. et scio, Bardos Gallos dictos cantores sive poetas. Placet tamen nunc magis *baritum*: quæ mera vox nostras, quibus *beren* aut *bæren*, clamare, vocem tollere. Errabit enim, qui ab elephantis barritu deducet, Germanis tunc ignoti. Althamerus *blaritum* vellet, Germanico item verbo. Quidquid de nomine sit, Ammianus hunc describit 16, 12 (30). *clamorem fuisse maximum, qui ipso fervore certaminum exoriens identidem, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cantibus illisorum.* Lips. *Barditum* etiam MS. Arund. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Ceteri libri mei omnes *baritum*. *Relatum* vocat ipsum cantum, ut poetæ *referre* de quocumque genere orationis dicunt. Ern. *Barditum* et liber Artolphi s. ed. Nor. item ed. Rom. Ammianus *barritum*, 26, 7. et 31, 7. et Veget. 3, 18. habent. Verosimilius etiam apud Tacitum sic fuisse scriptum. Etymon incertum. Car. Gottl. Anton. notis ad vers. Germ. Taciti libelli ducat ex *War-lied*, quod belli cantum significat. Perizonius legit *baritum*, quasi, a *baer*, *baar*, ursorum murmur.

*Nec tam voces illæ*] Sic MS. Tur. et cod. Kapp. edd. Spirensis, Pogg. Rhag. Put. Bonon. Ber. Rhen. 1519. at post edidit, *nec tam vocis ille*: quod omnes ante Pichenam edd. servant: idque præferrem, si a libris firmaretur. Ern. Ed. Rom. et Nor. *voces illæ*. Verum mire blanditur lectio ista Rhenaxi *vocis ille*, quæ et Heinsio placuit, qui tamen perperam ad vetustiores editiones provocat, et recepta est a Bip. quos sequor.

*Quam virtutis concentus videtur*] Bamberg. *quam mentis concentus*: quod haud præferam vulgatæ. Lips. *Mentis* etiam MS. Arund. quæ vox sane bonum sensum facit: sed et *virtutis concentus* bene habet. Etiam Cicero *virtutum concentum* dixit, sed alio sensu, ut *concentum doctrinæ, naturæ* etc. Ern. *Mentis* probat Colerus.

*Ulyssem quidam*] Interque eos Strabo, magni et directi judicii scriptor, lib. 3, p. 149. qui adfirmate tradit, Ulysseam Lusitaniæ (Ulyssiponem aliter dicimus) Homerici Ulyssis monumentum esse. Sed et in Britanniam eum venisse, ex ara Græcis litteris inscripta collegit Solinus c. 25. itemque Mela. Cui miræ et blandiendi opinioni si indulgemus, quidni Ulyssinga nostra in Zelandia, ab eodem sit? quidni Circzea a Circe? Sed vani et lascivi, vereor, lusus isti ingeniorum sunt: quibus tamen hodie nonnemo se ostentat et superbit. Jo. Brodæus hæc de Ulyssis errore in Miscellaneis 3, 4. scite coarguit: Brodæus, vir, sive adolescens potius, acris ingenii, probi judicii, lectionis diffusæ, quem non magis in ore famæ esse miror, immo indignor. Lips. Mox *adisse* vett. edd. non *adiisse*. Ern. Mela male hic citatur.

*Hodieque incolitur*] MS. Turic. edd. Spir. Puteol. Rhag. *hodie*. Ern. Ed. Rom. et Nor. item Rhen. *hodieque*. Meminit *Asciburgii* Marcianus Heracleota, item Ptolemæus, licet loco alieno. Contra in Tabula Theod. occurrit ad Rhenum inter Novesium et Vetera, eique respondet hodie vicus *Asburg*. Sic Cellarius, D'Anville, alii. Contra J. H. M. Ernesti in hodierno *Essenberg* prope Mors rectius quæri autumat.

*Nominatumque* ἀσκιπύργιον] Vel, ut Rhenanus, ἀστυπύργιον: etsi abesse vox ea potest, incolumi sensu. Præcessit enim. At libri quidam magis hic diversi, qui ἀκρινίκριον referunt: ex quo placet quibusdam ἀκρινήριτον, a Nerito, ut volunt, Ithacæ monte: locus quidem hic ipse, quem indicari putamus, clivosus est, haud procul Veteribus vicus, *Aschelburg* nunc dictus. Lips. MS. Arund. ἀστυτεάγιον. Cod. Artolphi, Kapp. (s. ed. Nor.) ed. Rhen. 1519.

minatumque. Aram quinetiam Ulyssi consecratam, adjecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaque et tumulos quosdam, Græcis litteris inscriptos, in confinio Germaniæ Rhætiæque adhuc exstare;" quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem.

IV. Ipse eorum opinionibus accedo, qui "Germanæ populos nullis aliis aliarum nationum connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem exstitisse," arbitrantur: unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et cærulei oculi, rutilæ comæ,

*Acriniprion.* A ceteris meis ante Rhen. abest: sed in quibusdam, velut Spir. Put. Ber. ut lacuna sit, signum vocis Græcæ, quam exprimere typis non possent. Rhenani lectio servata est in omnibus ante Lipsium, qui recte delevit; scripserat aliquis Græce nomen in margine: inde corrupte in textum venit. Restituit in textum ἀσκιπύργιον Broterius: quod forma orationis non sinit imitari. Si pro *Asciburgium* esset *oppidum*, locum haberet nomen Græcum. ERN. Expungunt iteratum nomen Pichena, Colerus, alii. Contra, servandum altero loco et Græce scribendum Ἀσκιπύργιον, Altmannus judicat. Hagenbuchius inde exsculpsit Ἀσκιπυργον, quasi Ascanii arcem, in quo sibi mire placet. Bipontini spatium vacuum reliquere. Ceterum hoc loco Rhenanus in notis abusu vocum turbat lectorem. In exemplari, quocum a. 1519. contulerat codicem suum, adserit scriptum fuisse *acriniprion*; ubi per *exemplar* intelligit codicem, quem vocare solet, Artolphi sive editionem Noribergensem; contra *codex* hic ei est editio Beroaldina, in qua, ut in editione Romana, lacuna est relicta.

*Ulyssi consecratam*] Intelligo, ab Ulysse, ut ap. Sueton. Aug. 1. *ara Octavio consecrata*, accipiunt quidam viri docti. Tacit. A. 15, 41. *ædes Statoris Jovis vota Romulo.* ERN.

*Græcis litteris*] Litteris fortasse, vix credo lingua. Quid autem mirum de illis, cum etiam Helvetii et Galli litteratura Græca usi sint, Romanis characteribus juxta cum imperio ignotis? LIPS. Græcarum literarum usum etiam Gallis tribuit Cæsar B. G. 6, 14. ubi v. Davies et Oudend. lectionem vulgatam recte defendentes. ERN.

*Neque confirmare argumentis*] Scriptus olim Bil. Pircheimeri *adfirmare*, ut monuimus ad Liv. 22, 13. GRON. Libri mei omnes vulgatam habent. Sed non modo *adfirmare* probo, verum et *argumentis* suspectum habeo: quorsum addat scriptor brevitatis amans, cum non addat copiosus ille Livius, a quo etiam totum hoc sumtum est, e præf. *ea nec adfirmare, nec refellere in animo est.* Etiam sequentia e Livio sumta. ERN.

*Ipse e. o. accedo*] Livium si sequi voluisset, dixisset *accedam.* ERN.

*Aliis*] Redundat. LIPS. Recte. Pichena conjicit *nullis alienigenarum.* ERN.

*Propriam et sinceram*] Bamberg. *perpetuam et sinceram.* LIPS. Τὸ *perpetuam* huic rei accommodatum non videtur. Tria enim, quæ ponit hic Tacitus, nihil aliud sunt, quam idem alio modo, majoris affirmationis et ἐμφάσεως χάριν. Ita et *proprius* suus, οἰκεῖος, cum pluribus non communis, eoque impermixtus, *sincerus et tantum sui similis.* GRON. MS. Arund. *propterea*, male. Sed mihi *tantum* suspectum est: neque enim intelligi potest *tantum sui similem esse*: quis sic dixit unquam? scripserim *totam.* Error forte natus est e mox sequentibus, *et tantum ad impetum valida.* ERN. *Perpetuam* placebat Conringio et Colero; *propterea* Bipontinis.

*Rutilæ comæ*] Sive flavæ et colore auri. Ideo auricomi Batavi Silio 3, 608. *At puer auricomo jam formidate Batavo.* Wandali χρυσοειδεῖς Procopio dicti. Rufum Seneca dixit 3, 26. De Ira: *Non est Æthiopis inter suos insignitus color, nec rufus crinis et coactus in nodum apud Germanos.* Et Martialis Ruffum ea mente Batavum Epigr. 176. *Sum figuli lusus, ruffi persona Batavi.* Græci plerumque ξανθὸν verterunt: etsi Galenus Commentario ad Polybum De victu c. 6. velit, Germanos magis proprie πυῤῥοὺς dici, quam ξανθούς. Calpurnius Flaccus Declamat. 2. de hoc Germanorum connu-

magna corpora et tantum ad inpetum valida: laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam cœlo solove adsueverunt.

V. Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus fœda: humidior, qua Gallias; ventosior, qua Noricum ac Pannoniam adspicit: satis ferax: frugiferarum arborum inpatiens: pecorum fœcunda, sed plerum-

to habitu: *Miramur hanc legem esse naturæ, ut in sobolem transeant formæ, quas quasi descriptas species custodiunt? Sua cuique genti etiam facies manet. Rutili sunt Germaniæ vultus, et flava proceritas Hispaniæ: non eodem omnes colore tinguntur.... Diversa sunt mortalium genera, nemo tamen est suo generi dissimilis.* Quem obiter emendo: *et flava proceritas*; (apage enim hoc de Hispanis.) *Hispani an non eodem omnes colore tinguntur?* Nec a natura solum rutilus hic crinis, etiam ab arte. Lavabant enim crebro et medicamento rutilabant. Ammianus: *Videbat* (Germanos) *lavantes alios, quosdam comas rutilantes ex more.* Medicamentum, sapo. Martialis 14, 26. *Caustica Theutonicos accendit spuma capillos.* Plinius 28, 12 (51). *Prodest et sapo. Galliarum hoc inventum rutilandis capillis, ex sevo et cinere.* Ita Caligula procerissimum quemque e Gallis ad Germanicum triumphum legit: *coegitque rutilare et submittere comam*; ut Germani scilicet germani viderentur. Suet. narrat cap. 47. Herodianus item de Antonino Germanos æmulante 4, 12. Κόμας τε τῇ κεφαλῇ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κουρὰν Γερμανῶν ἠσκημένας. Caussam huic coloris studio adsignat Clemens Pæd. 3, 3. p. 98. terrorem. Τῶν ἐθνῶν, inquit, οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' οὐ κοσμοῦνται. ἔχει τὶ φοβερὸν, τὸ εὔτριχον τοῦ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν αὐτοῦ πόλεμον ἀπειλεῖ, συγγενές τι χρῶμα τῷ αἵματι. (Cf. porro Diod. Sic. 5, 28.) Romanæ etiam matronæ veteres amavere hunc colorem, *et summa diligentia capillos cinere rutilabant*, ait Valerius, 2, 1, 5. Posteriores magis avide, quæ capillicium ipsum emebant a Germanis, et pro comis suis supponebant. Ovidius ad puellam Am. 1, 14, 45. *Jam tibi captivos mittet Germania crines, Culta triumphatæ munere gentis eris.* Quamquam Servium notare video in 4. Virgilii 698. *matronis nigram comam, meretricibus flavam probatam fuisse.* Quo videatur Satyricus respexisse de Messallina matronam sedulo dissimulante (Juven. 6, 120). *Et nigrum flavo crinem abscondente galero.* De hac ipsa re doctissimus Tertullianus de Cultu 2, 6. *Video quasdam et capillam croco vertere; pudet eas etiam nationis suæ, quod non Germanæ aut Gallæ procreatæ sint: ita patriam capillo transferunt. Male ac pessime sibi auspicantur flammeo capite.* Nam quod mali auspicii sit flammeum caput; intelligit omen ad flammas æternas. Lips.

*Magna corpora et tantum*] Mutilus, me judice, Bambergensis, qui spreta priori voce scribit: *corpora tantum impetu valida.* Nam proceritas etiam inter Germanorum proprias notas. Lips. *Et* accipe dictum pro *sed*, ut sæpe: ne tentes cum Acidalio corrigere *sed*. Bambergensi consentit MS. Arund. Res ipsa multis Taciti, Livii, Cæsaris, aliorumque testimoniis nota. Ern. Adde supra A. 2, 14. et Plut. in Mario c. 14. p. 411.

*Cœlo solove*] Perizon. mallet *soloque*.

*Et si aliquanto specie differt*] Nescio, quid idem liber sibi velit, *etsi aliquando specie aret.* An, *variet?* Lips. *Aliquanto*, i. e. non parum. V. ad Sueton. Cæs. 86. etsi debebat esse *aliquantum*. Ern. Bip. τὸ *aret* explicant per *arefit* calore solis superficies soli.

*Ventosior, qua Noricum*] Vix fides. Loca certe, quæ humida et ad mare, magis obnoxia ventis, quam sicca et mediterranea, quod utique verissimum experimur in omni Germaniæ isto tractu, qui ad septemtrionem. Sed nec ventorum proprie hic res est: de humore agitur, aut siccitate. Anne *verticosior*, ausim legere, id est magis alta et montana? Mela quidem ita disparat, in hac ipsa terra describenda 3, 3. *Terra multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, et magna ex parte silvis aut lapidibus invia.* An frustra angimur? et ventosam accipi, pro sicca atque aërea, simplicius et verius sit? Lips. Colerus non male defendit vulgatum, *ventosum*, pro silvestri, pro montano, dictum dicens. Ern. Scil. Alpibus connexum.

*Satis ferax*] Sive segetibus. Cluver. et Conring. mallent *sati*.

*Plerumque improcera*] Malo, *plera-*

que inprocera: ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis: numero gaudent: eæque solæ et gratissimæ opes sunt. Argentum et aurum propitii an irati Dii negaverint, dubito. Nec tamen adfirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est? possessione et usu haud perinde adficiuntur. Est videre apud illos argentea vasa, Legatis et Principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur: quamquam proximi, ob usum commerciorum, aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt atque eligunt: interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem et diu notam, serratos, bigatosque. Argentum quoque magis quam aurum sequuntur, nulla adfectione animi, sed quia

*que.* De reipsa autem, ita hodie contra est, ut armenta nostra Bataviæ aut Frisiæ palmam poscere audeant contra omnia Europæ. LIPS. Sed ad armenta non videtur pertinere, quæ satis clare excipit Tacitus: *ne armentis quidem:* in quibus solum nitorem et cornuum magnitudinem desiderat. ERN.

*Suus honor aut gloria frontis*] *Honor* est pulchritudo e pinguedine et nitore. *Gloriam frontis* poetice cornua vocavit. ERN.

*Nullam Germ. venam*] Respice tamen A. 11, 20.

*Possessione et usu haud perinde adficiuntur*] Subaudienda particula, quasi esse, *sed possessione haud perinde*, puta, ac nos Romani, et omnes fere aliæ nationes. GRON. Ceterum veteres quidam libri ut MS. Tur. cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) etc. *proinde:* cujus confusionis jam supra exempla vidimus. ERN. Edit. Rom. *perinde.* Rhen. *perinde* e Beroaldina. Sed Put. *proinde.*

*Non in alia vilitate*] i. e. pari, non minori. Rhen. 1519. edidit *utilitate*, sed post *vilitate*. *Utilitate* tamen et Lipsius edidit. Si *utilitas* pro usu diceretur, et libri faverent, præferrem: apud nos in alio usu vasa argentea, h. e. diebus festis, in epulis utimur, non vulgo: at illi non ita. ERN. Perizon. particulam *quam* expungendam putabat. In ed. Rom. conruptus est locus. Ed. Nor. *vilitate.* Sic et Beroaldi.

*Serratos, bigatosque*] Diu hos *serratos* nummos quæro, homo alias non appetens valde nummum. Nam vulgo leviter defunguntur. Et *serrati*, inquiunt, nummi, quibus serræ forma impressa sive incusa, ut bigati, quibus bigarum; et de his quidem clarum est; oculi me docent quotidie: at de serratis, quis obsecro, in tanta ista copia nummorum veterum, unum aliquem protulit, aut proferet cum serra? Non vidi, non legi. Fulvius sane Ursinus, in gente Manlia nummum repræsentat, cujus in postica parte caput urbis, et inscriptum ROMA. SER. quod ipse interpretatur *serratum*; sed quo argumento? Mille nummi cum illo capite, in quis nihil tale: et potius id referendum ad Serrani cognomen, quod ex alia gente hærere huic potuit per adoptionem. An lectio solicitanda in Tacito? an *æratos*, aut *ratitos*, aut *Servianos* legendum? De prioribus quid fuerint, clarum: Servianos autem interpretor veteres Regios, quos in pretio fuisse, notat Suetonius Augusto 75. Servius certe primus Regum æs signavit. Adde, quod in codice Bambergensi *servatos*. An servamus lectionem, et capimus serratos eos, quorum ambitus dentatus atque asper sit in modum serræ? quæ proba nota, et nihil periisse longo usu aut resectione. Nummos ego quosdam argenteos ita formatos usurpasse his oculis, sum certus. Spectasse autem id eos in nummis vulgo, ratio et Tertullianus de Pœnit. 6. addocent: *Qui venditant, prius nummum, quo paciscantur, examinant, ne scalptus, neve rasus, ne aduliter sit.* Sed tu, erudite lector, cogita: nam de me Tullianum illud habe, *Cedo, ejs manum tollo.* LIPS. *Serratos* nummos esse denarios, quorum exterior ora in serræ modum est incisa, docet clare Eckhel in D. NN. vet. in prolegom. ad NN. fam. § 16.

*Nulla affectione*] Cod. Kap. (s. ed. Norib.) edd. Rhen. sqq. ante Lips. *affectatione.* ERN. Sic et ed. Rom.

numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus.

VI. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum conligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur: hastas, vel ipsorum vocabulo *frameas*, gerunt, angusto et brevi ferro, sed ita acri, et ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent: et eques quidem scuto frameaque contentus est: pedites et missilia spargunt, plura singuli, atque in inmensum vibrant, nudi aut sagulo leves: nulla cultus jactatio: scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt: paucis loricæ: vix uni alterive cassis, aut galea. Equi non forma, non velocitate conspicui: sed nec variare gyros, in morem nostrum, docentur. In rectum, aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior sit. In

*Numerus arg. facilior usui est*] *Facilior* omnes libri mei præter ed. Lips. in qua est *faciliori*, nescio unde. Illud verum est. Argentei nummi opportuniores sunt ad usum eorum hominum, qui res viles mercantur, quia varia genera, varii pretii etiam perparvi nummos argenteos habemus, quod secus est in aureis. Ern.

*Rari gladiis utuntur*] Iisque grandibus et oblongis. Plutarchus de Cimbris in Mario c. 41. p. 420. Μεγάλαις ἐχρῶντο καὶ βαρείαις μαχαίραις. Cæsar item, Livius, et Historici passim. Illud dignum nota e Widichindo Annal. 1. ab initio. *Erat illis diebus Saxonibus longorum cultellorum usus, quibus usque hodie Angli utuntur morem gentis antiquæ sectantes.... Cultelli autem nostra lingua sahs dicuntur: ideoque aiunt quidam Saxones nuncupatos.* De veritate etymi nescio: illud scio, falces oblongas et grandes frumentarias eo nomine etiam hodie nobis dici. Lips. De armis Germanorum veterum fuse egit G. Achenwall 4. Gött. 1755. Inserta est diss. Notitiæ Hermundurorum. 8. Norimb. 1793.

*Majoribus lanceis*] Mirum, quod hic rarum id telum facit: at in Annalibus vulgat. Ut 1, 64. de Cheruscis: *Hastæ ingentes, ad vulnera quamvis procul faciendo.* Et 2, 14. universe de Germanis: *Immensa barbarorum scuta, enormes hastas.* Iterumque c. 21. *Artis locis prælongas hastas non protendere, non colligere*, Nusquam de istis brevibus, quas frameas vocat. Lips.

*Ipsorum vocabulo frameas*] Quod genus teli fuerit, quæro. Isidorus vult gladium fuisse. *Framea*, inquit, *gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo spatham vocant. Ipsa est et romphæa.* Valde a Tacito abit, qui clare appellat hastam: et addit, eodem telo cominus eminusque pugnasse. Non ergo gladius. Numquid romphæa? nam et hoc addidit; pariterque glossæ veteres, *Framea*, ῥομφαία. Ambigo, nec facile inducor credere, si Valerii quidem descriptio hæc proba: Argonaut. 6, 98. *Æquaque, nec ferro brevior, nec romphia ligno.* (Burm. *rumpia*) Facit enim genus teli, in quo hastile et mucro pari fuerint longitudinis modo. Tacitus autem aliud fuisse in sua framea docet, quam statuit *brevi et angusto ferro.* Itaque magis est, ut ad exemplum hastæ sive *Spiesse* nostræ fuerit, breviore tamen ligno. Lips. Reperta est *framea* in thesauro sepulcrali Merovingico prope Virodunum a. 1740. et in Museo Schœpfliniano apud nos servatur. Exhibui totam supellectilem et, quid *framea* differat ab *hasta*, ostendi in Laudati Musei descriptione p. 146. Plane eandem formam habet cum instrumento, quod hodieque *Pfriem* dicitur.

*Plura singuli*] Sic MS. Turic. edd. Spir. Pogg. Ber. Puteol. Rhag. idque melius, quam aliorum *pluraque*, ut quivis facile sentiet. Ern. *Plura* habet ed. Rom. *Pluraque* Norimb. Pro *vibrant* Heinsius malebat *librant*.

*Cassis aut galea*] Cod. Kapp. (a. ed. Norib.) edd. (Rom.) Spir. ceteræque ante Rhen. ed. 1533. *galeæ*. Rhenanus correxit *galea* ex ingenio, odoratus *e* adhæsisse e verbo sequente. MS. Turic. *galea*. Mox idem liber *varietate*, ut edd. Spir. Pogg. Ern. Item ed. Rom. Norimb. Contra Ber. Put. Rhen. *variare*.

*Ita conjuncto orbe, ut nemo posterior*

universum æstimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti prœliantur, apta et congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos, ante aciem locant. Definitur et numerus: centeni ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur: et quod primo numerus fuit, jam nomen et honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis prœliis referunt. Scutum reliquisse, præcipuum flagitium: nec aut sacris adesse, aut concilium inire, ignominioso fas: multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

VII. Reges ex nobilitate; Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita aut libera potestas; et Duces exemplo potius, quam imperio: si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. Ceterum, neque animadvertere, neque vincire, ne verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt: effigiesque et signa quædam, detracta lucis, in prœlium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ et propinquitates, et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exigere plagas, pavent: cibosque et hortamina pugnantibus gestant.

*sit*] Primum eleganter, pro *in orbem, ut orbis fiat.* Formula Plinio majori usurpata. Sed hic simpliciter *orbem conjungere* dicit: alterum per se intelligitur. Nam in orbe nihil prius aut posterius esse, quis nescit? ERN.

*Centeni ex singulis pagis*] Cod. Artolph. Kapp. *centum.* Ac nescio, an *sunt* melius abesset. ERN. Ed. Norimb. *centim.* Rom. *centum.* Put. Rhen. *centeni.*

*Concilium inire ignominioso fas*] Cod. Kapp. (ed. Nor.) *Consilium.* Vulgatum verum. Ignominiosus est, ob flagitium bello commissum infamis. ERN. Rom. *consilium.*

*Aut libera*] Edd. Spir. seqq. *ac*, usque ad ed. Rhen. In sequentibus interpunctionem correxi et colon feci post *imperio.* Duces exemplo potius se Duces præstant, quam imperio. Si præ ceteris fortes se probant, cum admiratione Ducatum obtinent. Ante colon erat post *conspicui.* ERN. Ed. Rom. Norimb. Rhen. 1533. 1544. *aut:* Put. Rhen. 2519. *ac.*

*Neque animadvertere*] Repugnare Cæsar videtur 6, 22. *Cum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello præsint, et vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur.* Sed Cæsar de belli tempore tantum; noster in pace intellexit. LIPS. Sed sequentia obstant apud nostrum, ut recte monuit Acidalius. Est vero major in his Taciti, quam Cæsaris, auctoritas. Ceterum vide, quid ad hæc moneant Fr. W. Pestel in Adjectis ad Notit. Hermundur. t. 1. p. 37. et Gebaver. in Vestig. juris Germ. ant. p. 607.

*Neque verberare quidem*] Scribe, *ne verberare quidem.* GRON. Ego sic rescripsi, ut alibi. Et sic habet MS. Arund. Idem liber mox *Deo inspirante.* ERN. Editi omnes *neque.* Id Gebaverus p. 608. putabat restituendum, quia a leviori ad gravius adscendat oratio. Mihi secus videtur. Gravius erat vinciri, levius verbera pati.

*Effigiesque et signa quædam*] Int. ferarum. Vid. H. 4, 22. Detracta lucis, indicat, ea signa, ubi pax esset, in lucis servata. ERN.

*Pignora*] Vid. Quinctil. 6, 1, 24.

*Nec illæ numerare, aut exsugere pla-*

VIII. Memoriæ proditur, quasdam acies, inclinatas jam et labantes, a feminis restitutas, constantia precum et objectu pectorum, et monstrata cominus captivitate, quam longe inpatientius feminarum suarum nomine timent; adeo, ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Inesse quinetiam sanctum aliquid et providum putant: nec aut consilia earum adspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus, sub divo Vespasiano,

*gas, pavent*] Ita Rhenanus: spectatque suctus ille ad medicinam, Homero etiam non ignotam: qui de Machaone Iliad. δ. vers. 218.

Αἶμ' ἐκμυζήσας, ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδὼς
Πάσσε.

Farnes. tamen codex et Rom. (it. ed. Rom. et Norib.) *exigere*; quod robur fœmineum magis exprimere videtur, tamquam illæ non numeraverint solum plagas, sed exegerint; expostularintque cum suis, si illæsi redissent, tamquam ignavi et vitæ suæ parci. Lips. Placet *exigere*, sed ut *sarta tecta exigere, ad summam veritatem jus exigere*. Quasi taxare ac plus aut minus in illis virtutis agnoscere. Vide Observ. 1, 8. Gron. Idque nos restituimus, repertum in omnibus præter MS. Arundel. libris ante Rhenanum, qui ex ingenio *exsugere* scripsit et contra libros. Verbum *pavent* non convenit τῷ *exsugere*: in quo misericordia potius est, quam fortitudo. MS. Turic. insuper *nec exig.* ut et in ed. Spir. Pogg. Rhag. Put. Ber. Sed MS. Arundel. etiam ante *mirari*. Ern. Mire hic dissentiunt critici et interpretes. Mihi verbum *pavent* utrique τῷ *exigere* et *exsugere* convenire videtur. Istud erit examinare sollicite, comparare, quod est itidem fortis animi. Itaque nihil muto. Alterum recepere Bip. Probabant et Colerus et Conringius.

*Cibosque et hortamina*] Nugatur strenue Colerus (qui de potu vini loco accipit *hortamina*) non videns Tacitum ludere in verbo *gestare*, quod aliter accipitur cum refertur ad *cibos*, aliter cum ad *hortamina*. Hæc enim sic *gestantur*, ut *fertur salus*, ut *portatur ave*. Plautus Pœn. 3, 3, 7. *Salutamus te, Lyce, quanquam hanc salutem ferimus inviti tibi*. Martialis 1, 56. *Et matutinum portat ineptus ave*. Et cibos eis ministrant, inquit, et verbis stimulos ad virtutem addunt. Gron. Et tamen nuper aliquis adeo corrigere tentavit *hordei vina*, male acceptus ab Elsnero in Spec. Crit. p. 80. Ern. Is aliquis Trillerus est in Obs. crit. p. 196.

*Quam longe impatientius*] Ab his verbis usque ad c. 16. verba: *solent et subterraneos specus aperire*, est lacuna in MS. Turic. Ern. Hanc notam integritati restitui, in nupera editione turpiter truncatam.

*Inter obsides puellæ quoque*] Igitur ad Germanos referam, quod generatim a Suetonio scriptum, in Augusto cap. 21. *A quibusdam novum genus obsidum fœminas exigere tentavit, quod negligere marium pignora sciebat*. Etsi cur id Tranquillo novum? Romani ipsi virgines obsides Porsenæ olim dederunt, interque eas Cœliam. Athenæus id primum inventum Cleonymo Spartano vult, parum vere, 13, 28. Ἐμοὶ γάρ, inquit, κατὰ φύσιν δοκεῖ πεποιηκέναι Κλεώνυμος ὁ Σπαρτιάτης, πρῶτος ἄνθρωπος εἰς ὁμηρίαν λαζῶν παρὰ Μεταποντίνων γυναῖκας παρθένους τὰς ἐνδοξοτάτας καὶ καλλίστας διακοσίας. Ubi discis, Metapontinos, immo credo ceteros Italiæ populos, habuisse antiquitus hunc morem. Lips.

*Puellæ quoque nobiles*] Heins. conjicit *nubiles*.

*Sanctum aliquid et providum*] i. e. divinum et futura præsentiens. Sanctitatem pro divinitate, majestate, dici, ad Suetonium dictum, Cæs. c. 6. Ern.

*Nec consilia earum*] Hocne supererat? heu ipsos parum firma mente, qui eam quæsivere apud amentem sexum! Et tamen adeo vera Taciti adfirmatio, ut Plutarchus narret, consultationibus omnibus apud Celtas (ita Germanos Græci vocant) de pace deque bello, fœminas adhiberi, et lites cum fœderatis aut sociis populis exortas earum interventu decidi. Verba ipsa in re parum credibili dabo. In libello De Virtutibus mulierum p. 246. Ἐκ τούτου διετέλουν, inquit, περί τε πολέμου καὶ εἰρήνης βουλευόμενοι μετὰ τῶν γυναικῶν, καὶ τὰ πρὸς τοὺς συμμάχους ἀμφίβολα δι' ἐκείνων βραβεύοντες. Lips.

Veledam, diu apud plerosque Numinis loco habitam. Sed et olim Auriniam et complures alias venerati sunt, non adulatione, nec tamquam facerent Deas.

IX. Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum et Isidi sacrificat. Unde caussa et origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnæ figuratum,

*Veledam*] De qua multa noster H. 4, 61. 65. quam captivam et in triumpho postea ductam colligas ex Statio Silv. 1, 4, 89. *Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellum Captivæque preces Veledæ;* qui nomen tamen id corripit: cujus germanam scripturam fuisse censeo *Weldam*. Huic successit in dignatione et divinatione *Gauna*, sub Domitiano celebris. Dio in Fragm. XLIX. (67, 5.) Καὶ Γαύνα παρθένος μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν τῇ Κελτικῇ θειάζουσα. Addit: ad Domitianum venisse, et præmiis ab eo affectam. Quæ ipsa ex Dione Suidas (tacito nomine, ut solet) in voce θειάζουσα. LIPS. Egregie de Veleda egit Gebaverus l. c. p. 939. Quæ hic *Gauna* vocatur, rectius *Ganna* dicitur, ut et Suidas habet. De mulieribus fatidicis veterum cf. Keysler in Antiq. Sept. p. 456. In Plutarchi Mario mulier est Syra, *Martha*, quam is circumducebat c. 17. p. 503. Sic et Vitellius *Cattæ* vaticinanti velut oraculo acquiescebat, teste Suet. c. 14.

*Auriniam*] Farnes. liber *Fluriniam*. Putem fuisse, *Aluriniam*. Quod Jornandes mihi auctor in rebus Gothicis c. 24. non proprium nomen, sed commune omnium sagarum fuisse. *Repperit*, inquit, *in populo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Aliorunas ipse cognominat.* De fatidicis autem fœminis Germanorum, præter Cæsarem B. G. 1, 50. Plutarchum in Mario et Cæsare c. 19. p. 121. Strabonem l. 7. p. 294. Vide etiam Clementem Stromate 1. p. 131. LIPS. Notæ sunt *Alrunæ* Septentrionalium, de quibus vid. Schilterus in Glossario, item Sam. Schmid in peculiari Diss. 8. Halæ 1739. et G. Chr. Roth 8. Helmst. 1737.

*Mercurium colunt*] Plura igitur ac certiora de religione Germanorum Tacito nota, quam Cæsari, qui contra scribit 6, 2. *Deorum numero eos solos ducunt quos vident, Solem, Vulcanum, et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt.* Falso. Nam noster etiam A. 13, 57. scriptum reliquit: *ab Hermunduris diversam aciem Marti ac Mercurio sacratam.* Paullus Diaconus 1, 9. notat, Longobardis (ii autem Germani) *Wodam* Mercurium appellari; ego legerim *Wondam*, vel *Wonstam*; a lucro scilicet, cui præest. Majoribus quidem nostris ita dictum, claret vel ex Mercurii die, qui veteri et gentili appellatione nobis *Wonstdach*. LIPS. Nempe, quicquid noster de Diis in Germania cultis dicit, intelligendum, ut infra ait, interpretatione Romana. Appellat Deos Germanorum nominibus Romanis, similitudine eorum, quæ de Diis tradebantur, ductus. Id semel monuisse sat erit, idque et ad ceteros Deos, Herculem, Martem, Isidem pertinet. ERN. Ad h. l. de hoc cultu Deorum videri meretur Gebaverus in Vestig. juris Germ. vet. p. 838.

*Humanis quoque hostiis*] Quod Gallis Germanisque commune: et priscis testatum crebro. Illud noto, mansisse eam diritatem etiam inferiori ævo. Procopius 2, 25. De Bello Goth. ait, Francos, etsi Christum jam colerent, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos. Ditmarus lib. 1. Nortmanos et Danos quotannis mense Januario Dis suis immolasse XCIX homines, totidem equos cum canibus et gallis: ab eaque barbaric Henricum Aucupem primum eos abduxisse. LIPS.

*Martem concessis animalibus*] Non certe Gothi: de quibus Jornandes c. 5. *Martem semper asperrima placavere cultura: nam victimæ ejus mortes fuere captorum.* LIPS. Concessa animalia vocat, quibus aliæ humaniores gentes sacrificant, humanis victimis litera nefas putantes, ut est. ERN.

*In modum liburnæ figuratum*] Qui aliquid sui moris reperire volunt, aut caussas rerum incognitarum indagant et nomina, sæpe plus vident, quam alii, aut quam in re est. In nummis subinde vidi, antiquarios videre, quæ mei aliorumque oculi non viderent: et physici per microscopia sæpe cernunt, quæ nemo alius.

docet, advectam religionem. Ceterum, nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur: lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus adpellant secretum illud, quod sola reverentia vident.

X. Auspicia, sortesque, ut qui maxime, observant. Sortium consuetudo simplex: virgam, frugiferæ arbori decisam, in surculos amputant, eosque, notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuito spargunt: mox, si pu-

Tale quid Tacito, sive aliis, ista indagantibus accidere potuit. Ego lignum informe fuisse crediderim, temere in eam figuram factum, in qua Romani liburnæ aliquam similitudinem agnoscerent; e qua nihil aliud colligere liceat, nisi antiquitatem signi, et ruditatem illorum temporum: V. dicta ad 2, 3. Quis unquam legit, originem religionis novæ figura statuæ esse expressam et significatam? Nam *signum* est nihil, nisi statua Deæ, quam Romani Isidem interpretabantur. Multæ navibus advectæ religiones apud Græcos et Romanos: nunquam tamen propterea ejus Dei vel Deæ signum in navigii figuram factum. Aliud esset, si Deæ signum liburnæ impositum fuisset, aut liburnam in humero gestasset. Ceterum, ut e sequentibus patet, super ruditate signorum suorum etiam sententias loquebantur. Mox edd. Spir. Pogg. Puteol. Ber. Rhag. *adjectam*. Ceteri libri mei *advectam*. ERN. Sic et Rom. Norib. Rhen. In monumentis Romanis Isidi, navigationis inventrici et præsidi, navigium, vela, gubernaculum tribui, satis notum. Quid sibi hoc loco commentum Taciti velit, non æque patet. De conjecturis eruditorum v. Gebaverus l c. p. 859. et Borhek. in prolusione ad Programma Duisburgi emissum a. 1790.

*Assimulare*] Omnes libri habent *assimilare*. Ego *assimulare* rescripsi: cum hodie certum sit, *assimilare* esse verbum nihili, quod inscitiæ librariorum imperitorum debeatur. Et illa vera scriptura jam est in vulgatis A. 15, 39. 16, 17. et ex h. l. quoque proditur in Indice Bern. Adde dicta ad Agric. 10. ERN. Index Bernegg. habet *assimilare*.

*Lucos ac nemora consecrant*] Fatuam religionem, quam Claudianus item iis opprobrat de laudib. Stil. 1, 228. *Ut procul Hercyniæ per vasta silentia silvæ Venari tuto liceat, lucosque vetusta Religione truces, et robora Numinis instar Barbarici, nostræ feriant impune secures.* Sed et Lucanus apposite, in obsidione Massiliæ 3, 399. *Lucus erat, longo numquam violatus ab ævo.—hic barbara ritu Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ, Omnisque humanis lustrata cruoribus arbos.* Bene ergo et merito *religione truces* eos fecit Claudianus; quoniam victimæ, imo et homines, ad arbores has (e Lucano hauries) immolatæ. Ait etiam, *robora Numinis instar*. Illustrabit Tyrius Maximus Diss. 38. qui *Celtas excelsam quercum coluisse* ait, *et Jovis nomine sollenniter appellasse*. Atque adeo posteriori etiam ævo mansit hic cultus. Luitprandi Regis Longobardorum lex est tit. 38. de hariolis. *Qui ad arborem, quam rustici Sanctivum vocant atque ad fontanos adoraverit, aut sacrilegium vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii sui in sacro palatio.* Tacitus hunc ipsum ritum saltem indicatum H. 4, 14. voluit, cum scripsit, Civilem Batavos *specie epularum sacrum in nemus vocasse:* nec putaverim sane *sacri* vocem illic peculiare aut proprium silvæ nomen. Hæc in Germanis merito nos ridemus: sed cur Romani? illi in eadem navi. Plinius de arboribus 12, 1 (2). *Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura Deo præcellentem arborem dicant.* Seneca epistola 41. *Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens lucus.. illa proceritas silvæ et secretum loci et admiratio umbræ, fidem Numinis facit.* LIPS.

*Temere ac fortuito*] Cod. Kapp. *fortuitu*, quod non spernam: cum ei centies *fortuito* substitutum, hodie constet. V. Oudend. ad Sueton. Tib. 39. In primis in conjunctione cum alia ejusdem sensus voce reperitur. Cic. Off. 1, 29. *temere ac fortuitu*. ERN. In cod. MS. Taciti, quem describit Hummel, legitur *vestem tenent: Fortuitu* habent ed. Rom. et Norimb. *fortuito* Puteol. Rhen.

*Si publice consulatur*] Cod. K. (s. ed. Norimb.) edd. omnes ante Rhen. 1532.

blice consuletur, Sacerdos civitatis, sin privatim, ipse paterfamiliæ, precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos, secundum impressam ante notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio; sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Et illud quidem etiam hic notum, avium voces volatusque interrogare: proprium gentis, equorum quoque præsagia ac monitus experiri: publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi, et nullo mortali opere contacti; quos pressos sacro curru Sacerdos, ac Rex, vel Princeps civitatis, comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud Sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscios putant. Est et alia observatio auspiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis, cum qua bellum est, captivum, quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis, committunt: victoria hujus vel illius pro præjudicio accipitur.

XI. De minoribus rebus Principes consultant; de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut inpletur: nam agendis rebus hoc auspica-

*consuletur*: quod nescio quare mutatum sit, cum hoc tempus sit in ista structura usitatissimum. *Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra.* Itaque restitui. Ceterum et *consulatur* et *consulitur* rectum foret. ERN. Ed. Rom. *consoletur*: Rhen. 1519. *consulatur*. Muretus, probante Broterio, conjiciebat *consultatur*.

*Equorum quoque præsagia*] Ditmarus l. 6. Luizicis (qui veterem superstitionem adhuc retinebant) hoc idem præsagium equinum adtribuit: sed diversa paullum forma: *Equum*, inquit, *qui maximus inter alios habetur, et ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duorum cuspides hastilium inter se transmissorum, supplici obsequio ducunt: et præmissis sortibus, quibus id exploravere prius, per hunc quasi Divinum denuo augurantur.* LIPS. *Monitus* vocat ipsa præsagia. Id verbum de omni genere significandæ voluntatis divinæ dici, hodie satis notum est. ERN.

*Pressos sacro curru*] J. Fr. Gronovius corrigebat *prensos*, ut aliis locis in hac forma, Diatr. in Stat. c. 9. explicans *junctos*. Sed eam rationem late et bene refellit Marklandus ad Statium p. 18, 19, 20. exemplis Markl. adde Ovid. Met. 1, 124. *pressique jugo gemuere juvenci*: ubi omnes libri *pressi*, nec verbum *gemuere* aliter patitur. ERN.

*Illos conscios putant*] sc. Deorum. Similiter locutus est Tibull. 1, 9, 3. *conscia fibra Deorum.* ERN.

*Apud Principes pertractentur*] Muretus, Grotius, Acidalius, Boxhornius corrigunt magna cum veri specie *prætractentur* e Græco verbo προβουλεύεσθαι. Suetonius dixit *ante tractare*. Aug. 35. *instituit sibi consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad Senatum referendis ante tractaret.* Sed tamen id verbum alibi in scriptore Romano non reperitur. ERN. Τὸ *prætractentur* arrisit quoque Conringio, Bleterio, Lallemando, aliis. Contra vulgatum tuetur Gebaverus l. c. p. 165. estque illi *pertractare* idem ac diligenter rem tractare, a populo firmandam. Sic et Bip. Kappius etiam pro vulgato stat, sed *pertractare* minus recte reddit ad finem tractare, decidere.

*Hoc auspicatissimum initium*] Cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) edd. Spir. Pogg. Put. Rhag. *auspicacissimum*. Primus *auspicatiss.* dedit Beroaldus, dubium an e libro: recte tamen. Nec enim quisquam illa forma usus est: quæ alias analogiæ non repugnat, cum

tissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut jussi conveniunt, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbæ placuit, considunt armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum et coercendi jus est, imperatur. Mox Rex, vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu adspernantur; sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum adsensus genus est, armis laudare.

et *perspicax* habeamus. Sed usus audiendus. ERN. Ed. Rom. *auspicatissimum*.

*Sed noctium*] De hoc ritu v. plura in Scherzii Gloss. Germanico medii ævi: v. *Nacht*.

*Sic constituunt, sic condicunt*] Sunt verba forensia, quæ illustrantur a Gronovio Obs. 1, 1. Vult dicere in rebus forensibus, cum tempus certum constituendum est, ut in vadimoniis et similibus, noctes finiunt, non dies: neque diei apud illos, sed noctis dictio. Add. Cæsar B. G. 6, 18. Mox *nox diem ducere videtur*, est nox prior die, dies sequi noctem, ut Cæsar ait. ERN.

*Non simul, nec jussi*] Bambergensis, *jussu*. Rhenanus in veteri codice (ed. Norimb.) legi ait, *nec injussi*: ex quo bene etiam scripseris, *nec ut jussi*. LIPS. MS. quondam Pirckheimeri, dein Comitis Arondelii *nec ut jussu conveniunt*. Et sic legendum, aut, quemadmodum Lipsius, *ut jussi*: hoc est, non tanquam ex lege et imperio, ut ad diem edictum religiosa observatione occurrant; non quasi parentes imperio indicentis vel indicentium, sed velut commodo et arbitrio suo. Ut illi advocati Plautini Pœn. 3, 1, 19. qui *liberos homines per urbem modico, magis par esse, gradu ire, censebant*. GRON. Nihil aliud fuit in libro, unde cod. K. editus est, qui habet *injussi*. Ego *ut jussi* edere non dubitavi, quod et Burmannus probabat. Habuisse videtur in animo locum Virgil. Æn. 3, 236. *haud secus ac jussi faciunt*. Paullo post cod. Kapp. pro *coeuntium* habet *cœtium*. ERN. MS. Longolii *nec injussi*. Sic et ed. Rom. Gebaverus l. c. p. 30. perinde putat, sive legas *nec jussi*, sive *nec ut jussi*; sensum esse, *etiamsi jussi fuerint*, extra ordinem scilicet et ad repentina comitia vocati. Dein MS. Longolii *cœtium* plane ut cod. Kappii s. ed. Norimb. ad quod Longolius: "quid si pro *cœtum*?" Ed. Rom. habet *cœtuum*. Put. *coeuntium*.

*Ut turbæ placuit, considunt armati*] Scripsit omnino Tacitus, *Ut turba placuit*: sua ipsis scilicet. Postquam satis frequentes convenisse sibi visi sunt. Et habet τὸ *placuit* suam Venerem. Sic Livius 33, 31. *Antiochum transgressurum in Europam quum primum ei res suæ placuissent, non dubitabant*. Liv. 39, 30. *Ubi satis placuere vires, et jam miles quoque ad delendam priorem ignominiam hostem poscebat*. Velleius 2, 112. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut ubicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent*. Seneca epist. 42. *non minus ausura, cum illi vires suæ placuerint*. Statius 2, 326. Thebaid. de tauro: *Quum profugo placuere tori, cervixque recepto Sanguine magna redit*. GRON. Recepit *turba* Alemannus. Nec dubito melius esse vulgato. ERN. Lallem. non recepit, probavit tamen, sicut et Brot. Bleterius, alii. Bipontinis vulgatum placet.

*Quibus tum et coercendi jus*] Ex Artolphi codice: *quibus tamen coercendi*, Rhenanus notat. In cod. Kapp. quem a cod. Artolphi non diversum puto, est *tñ*. quod Rhenanus legit *tamen*. Mihi videtur esse operarum vitium pro *tũ*. ERN. Ed. Norimb. *tñ et*. Ed. Rom. et MS. Longolii *tamen et*. Hoc recepit Longol. Puteol. *tum*.

*Prout ætas cuique*] Claudianus hoc etiam in Getico consessu notat de bello Getico 479.—*primosque suorum Consultare jubet, bellis annisque verendos. Crinigeri sedere patres*. LIPS.

*Sin placuit, frameas concutiunt*] Add. H. 5, 17. ERN.

XII. Licet apud concilium adcusare quoque et discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt: ignavos et inbelles et corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergunt. Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis, pro modo, pœna: equorum pecorumque numero convicti multantur: pars multæ Regi, vel civitati, pars ipsi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur. Eliguntur in iisdem conciliis et Principes, qui jura per pagos vicosque reddant. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul et auctoritas, adsunt.

*Imbelles et corpore infames*] Hoc lego de Germanis? feri illi et horridi, fœmineo morbo et mollitie corporis infames? Numquam credam, et Quinctilianus certe eos purgat in Declam. 3, 16. pro Milite, cujus pudicitia tentata a Tribuno: *Nihil tale novere Germani, et sanctius apud Oceanum vivitur.* Scribamus igitur (gratiam mihi age magna patria) *et torpore infames.* Non enim alia mens hic Taciti, quam quod ignavos, torpentes, bello inutiles, crate imposita merserint. Idem in eodem verbo vitium apud Agellium 19, 12. in extremo: *Omnibus vehementioribus* (*vehementioris*) *animi officiis amputatis, in corpore ignavæ et quasi enervatæ vitæ consenescunt*; scribe, *torpore.* Hoc mihi certum: quatit tamen nonnihil Athenæus 13, 8. qui fœdum illud vitium, remotum a me, rursus imponit Germanis. Κελτοὶ δὲ τῶν Βαρβάρων, inquit, καὶ τοι καλλίστας ἔχοντες γυναῖκας, παιδικοῖς μᾶλλον χαίρουσιν, ὡς πολλάκις ἐνίους ἐπὶ ταῖς δοραῖς μετὰ δύο ἐρωμένων ἀναπαύεσθαι. Quem falli tamen scio: nec urtica illa umquam tetigit majores nostros. Austri et Orientis ista infamia sit: quæ ne nunc quidem Septemtriones habitat, aut frigidum castumque hunc orbem. Hæc labefacere conati alii, sed firmavimus in excursu A. Lips. *Corpore infames* haud dubie, non vitiis omnibus commaculati, (ut placet Pichenæ) sed detestabilis patientiæ. *Nescimus ista*, Deo gratias, *et sanctius vivitur ad Oceanum:* non, quod nunquam contigerint, contingantve, sed quod raro, raroque sint impunita. Sic Ælianus 2. var. 31. disputat, ὅτι μηδεὶς τῶν βαρβάρων ἄθεος. Hoc satis ad Fabium cum Tacito in concordiam redigendum. Nam illa Salinerii *nimis addictos* et *gentes eo nomine infames cum flagitioso contendi*, vana sunt et intolerabilia, denique Germaniam ignorantis. Nec vero militem stupraverat Tribunus, sed in conatu stuprandi a milite occisus erat. Gron. Montesquieu Espr. d. Loix, 30, 19. intelligit eos, qui corpore se truncassent, ut bello forent inhabiles. Antonius in vers. Germ. *enervatos* reddit: Bahrdt, in fuga tergo saucios. Verum vidit Gronovius, cui adstipulatur Broterius. Gebaverus l. c. p. 714. *corpore informes* legendum ratus est, quem refutat Longolius in Auctario diss. de Hermund. p. 98.

*Sed et levioribus delictis, pro modo, pœna*] Sic scribendum esse res ipsa docet, et vidit Acidalius. Syllaba ultima in vulgato *pœnarum* adhæsit e sequentibus verbis, ut alias in Tacito factum aliquoties notavimus. Forte tamen fuit *pœnæ*, quod eodem redit. Ern. *Pœnarum* ed. veteres item MS. Longolii. Hic ipse id probat. Sic et Gebaverus l. c. p. 732.

*Qui jura per pagos vicosque reddunt*] In alia verba et sententiam it Bambergensis liber, *qui vita per pagos vicosque excellunt.* Sed non avellor a vulgata. Lips. Sic et MS. Arundel. Elegantius deinde foret *reddant:* et sic Tacitum dedisse puto. Eliguntur enim, ut reddant, non ii, qui reddunt: illud est, *qui reddant.* Et sæpissime in talibus peccavere librarii inscitia Latini sermonis, qua etiam vulgo hodie sic peccant. Ern. Colerus legendum præcipit: *qui vita excellunt, qui jura per p. v. q. reddunt.* Bipontini bene recepere *reddant:* sequor.

*Centeni singulis*] Hoc est, quod in lege Alamannorum prisca lego t. 36. *Conventus autem, secundum consuetudinem antiquam, fiat in omni Centena, coram Comite, aut suo Misso, et coram Centenario ipsum placitum fiat.* Lips. Legem Alam. huc non pertinere, bene monet Gebaverus l. c. p. 594. Censet autem, vocem *centeni* esse glossema,

XIII. Nihil autem neque publicæ neque privatæ rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio, vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque juvenem ornant: hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicæ. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, Principis dignationem etiam adolescentulis adsignant: ceteris robustioribus

quod mihi satis fit verisimile. Minus probandum, quod forsan *duodeni* substituendum conjicit, quod duodecimviralia judicia sint antiquissima. Brummerus cum aliis legi jubebat *certi*; Ditmarus *septeni*. De quibus vid. Gebaverus l. c. Glossa forsan e cap. 6. male huc adplicato orta. Longolium si audias, Tacitus aliquid de judiciis Germanorum, adpellatis *Zent*, *Zentgerichte*, comperit, quod Berneggero jam venerat in mentem. Consentiunt et Bip.

*Nisi armati agunt*] Quem eundem morem Græcis priscis fuisse, eosque solitos σιδηροφορεῖσθαι, Thucydides notavit 1, 6. Idemque de Gallis Livius 21, 20. *In his nova terribilisque species visa est, quod armati* (*ita mos gentis*) *in consilium venerunt.* Quin convivia etiam Germani adibant in armis. Tacitus hoc ipso libro c. 22. *Tum ad negotia, nec minus sæpe ad convivia, procedunt armati.* Athenæus 4, 13. famulos adstitisse vel adsedisse convivantibus iis vult, cum scuto, lancea, et justis armis. Καὶ οἱ μὲν, ait, τοὺς θυρεοὺς ὁπλοφοροῦντες ἐκ τῶν ὀπίσω παρίστασιν, οἱ δὲ δορυφόροι, κατὰ τὴν ἀντικρὺ καθήμενοι κύκλῳ, καθάπερ οἱ δεσπόται συνευωχοῦνται. Denique templa ipsa adiere armati. Panegyristes: *Ne majores vestri templa ingrediebantur, nisi armati.* Lips.

*Quam civitas suff. probaverit*] Int. quam civitas eum probaverit, ut suffecturum armis gerendis ac tuendis. Sed mihi locus vix sanus videtur. Conjeci: *quam civitati se maturum probaverit.* Ern. Nil mutandum. Subaudi *armis gestandis suffecturum.* Sic et Longolius.

*In ipso concilio*] Sic edidi, Latinitate jubente, et addicente cod. Kapp. (s. ed. Nor. it. ed. Rom. et) vett. omnibus: recentiores quædam male *consilio.* Sed MS. Ar. et edd. ante Rhen. addunt *eum* post *tum*; quod sequens deinde *juvenem* non patitur, nisi hoc deleas. Cod. K. (s. ed. Nor. it. ed. Rom.) habet: *cum in ipso* c. pro *tum*: quæ verba sæpe confusa: atque hinc *eum* natum videtur. Deinde pro *vel pater* cod. Artolph. (Kapp.) *vel ipsi.* Ern. Ed. 1519. ex Beroaldo habet *Tum eum.* Et in seq. editione Rhenanus notat: "exemplar illud (i. e. ed. Norimb.) habebat *tum in ipso.*" Credo, fugientes litteras in margine suggessisse Rhenano id *tum*: male quoque Ernesti tribuit *eum* codici Artolphi, quod factum ex confusione *exemplaris* et *codicis* apud Rhen. Dein ed. Rom. et Norimb. *vel ipsi.* Puteol. *vel pater*, sic et Beroaldus.

*Scuto frameaque*] Originem moris vides avis nostris ad insaniam amati, Equites creandi. Fallor, aut tangit eumpse Diaconus in Longobardicis 1, 15 (23). *Scitis, non esse apud nos consuetudinem, ut Regis filius cum patre prandeat, nisi prius a Rege gentis exteræ arma susceperit.* Adde, si lubet, caput sequens. Lips.

*Hæc apud illos toga*] MS. Longol. *Nec.*

*Ceteris robustioribus*] Lege, *ceteri*: statim liber vetus, *aggregant*, non *aggregantur*; quod Taciti et veterum phrasim olet. Lips. Frustra Lipsio obloquuntur in *ceteri* Pichena, Salinerius, et alii. Nam, si de iisdem hæc intelligenda forent, sensusque: et hos, quamquam Principibus dignitate pares, tamen aliorum comites fieri; deberet esse *ceterum*, non *ceteris.* Tum res non patitur. Si Principum loco sunt et habentur, quomodo aliorum comites fiant? Immo ipsi comitatum habent; unde apparet, eos Principum numero haberi, nec ex ulla alia re. Et clarum est, discrimina Equitum tradi. Alii ipsi Principes, alii Principum comites. In hac evidentia *ceteri* rescribere non dubitavi: probavitque ill. Gebaverus in Diatr. de Comitatu Principum Germ. 1754. et imitatus me est Broterius: obfuit sequens dativus, ut supra c. 12. genitivus, præcedenti verbo. *Aggregantur* omnes mei. Ern. Liv. 2, 16. *Appius, inter Patres lectus, haud ita multo post in Principum dignationem pervenit.* In loco hoc Taciti malim cum Bip. resti-

ac jampridem probatis adgregantur: nec rubor, inter comites adspici. Gradus quinetiam et ipse comitatus habet, judicio ejus, quem sectantur: magnaque et comitum æmulatio, quibus primus apud Principem suum locus; et Principum, cui plurimi et acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetuntur enim legationibus, et muneribus ornantur, et ipsa plerumque fama bella profligant.

XIV. Cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus adsignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant; comites pro Principe. Si civitas, in qua orti sunt, longa pace et otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt; quia et ingrata genti quies, et faci-

tuere *ceteris*, quod et codices et editiones veteres omnes exhibent. Dignatio Principis non ipsos statim adolescentulos faciebat Principes, sed Principes pridem probatos sequebantur ad munia bellica.

*Nec rubor, inter comites adspici*] Licet suspicari, Tacitum dedisse *rubori*, et ultimam literam a sequente absorptam. Nam hæc est forma legitima, et Tacitus alibi sic locutus est. A. 11, 17. *nec patrem illi rubori*: 14, 55. *unde etiam rubori mihi est.* Vulgata defendi potest ex eo, quod etiam *pudor est* dicitur ap. Ovidium pluribus locis. Igitur sine libris nil mutem. ERN.

*Quibus primus apud Pr. locus*] Acidalius malebat *cui*: quod præferrem et ipse, si libri addicerent. In primo comitum gradu plures possunt intelligi. Similiter Tiberius tres classes comitum suorum faciebat, auctore Sueton. c. 46. nec propterea in primo gradu unus tantum. ERN.

*Electorum juvenum*] MS. Art. cod. Kapp. (s. ed. Norimb. it. Rom.) *et electorum.* Videtur fuisse *et lectorum*: quamquam et alterum probum: nec copulam hic spernam. Nam et mox distinguit utrumque, *si numero ac virtute comitatus emineat.* Infra *bella profligant.* V. ad H. 2, 4. ERN.

*Non adæquare*] Edd. Spirens. Put. Pogg. Rhag. Ber. *æquare.* ERN. Ed. Rom. et Norimb. item MS. Hummelii et Longolii *adæquare.*

*Ex acie recessisse*] Exemplum dat Ammianus Marc. 16, 12.

*Præcipuum sacramentum*] Liber scriptus, *principum sacramentum.* LIPS. Hoc ita observant, ut religiosius non possent, si primum ac præcipuum caput sacramenti, quo rogati sunt, quoque se Principibus devovere vitam fuisset. Male liber ille, qui *Principum*: id enim foret, quo Principes quasi a populo rogati essent, non a Principibus clientes. GRON. *Principum* etiam ed. Spirensis et post ceteræ ante Rhen. Sed cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) *præcipuum.* Ea verba et alibi permutata vidi in Taciti libris, aliisque: etiam *princeps*, et *præceps* permutari solent. *Præcipuum sacramentum* verum puto. Neque tamen verum, quod Gronovius ait, *principum sacramentum* esse, quo ipsi a populo rogati essent, quod populo præstitissent. Vir summus non meminerat tum, apud Livium occurrere *sacramentum Consulis* h. e. quo milites Consuli obstringuntur s. quo Consul milites sibi obstringit. Atque etiam apud Tacitum hæc forma non uno loco: ut H. 1, 76. *sacramentum Othonis*; 2, 55. *sacramentum Vitellii.* ERN. *Præcipuum* habent et ed. Rom. et MS. Long. et Humm.

*Et facilius i. a. clarescunt*] Sic cod. Kapp. (s. ed. Nor.) quam scripturam

lius inter ancipitia clarescant, magnumque comitatum non nisi vi belloque tueantur: exigunt enim Principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque frameam. Nam epulæ, et, quamquam incompti, largi tamen adparatus pro stipendio cedunt: materia munificentiæ per bella et raptus. Nec arare terram, aut exspectare annum, tam facile persuaseris, quam vocare hostes et vulnera mereri: pigrum quinimmo et iners videtur, sudore adquirere, quod possis sanguine parare.

XV. Quotiens bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et Penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo

rursus induxit Rhenanus: *et ut clarescant* Puteol. Rhag. Ber. (ed. 1519.) At Spirensis, Pogg. *et facilius—clarescant:* quod non spernam, quia etiam sequitur *tucare*, quod idem est ac *tueantur*. Hinc etiam apparet, unde *ut* natum sit. Non intelligebant, unde conjunctivus penderet. ERN. Bip. bene Spirensem sequuntur: sequor et ipse. Ed. Rom. habet *clarescunt*.

*Tucantur*] Scriptus, *tucare*. LIPS. Haud dubie *tueare* elegantius: et sic etiam habetur in Arondeliano. Ipse Tacitus 6, 8. *Abditos Principis sensus exquirere inlicitum, anceps: nec ideo adsequare*. Hoc opusculo c. 36. *Inter impotentes et validos falso quiescas*. GRON. *Tueare* etiam (MS. Humm.) edd. Spir. Pogg. Puteol. Beroaldi: Groslotio placebat *tutantur*. ERN. *Tueantur* ed. Norib. quod recte restituere Bip. Nec enim res ad universos pertinet. Ed. Rom. *tuare*: Rhen. 1519. *tucare*: in seq. *tueantur*.

*Bellatorem equum*] Genus loquendi illustrat Broukhus. ad Tibull. p. 202. ERN.

*Nam epulæ et q.*] Ita edidit Rhen. a. 1533. ita et cod. Kapp. Sed ed. Spir. sequentes *et convictus*. ERN. Sic Puteol. Rhen. 1519. Contra in MS. Humm. et Long. item in ed. Rom. et Norib. ea desunt. Recepere iterum Bip. Pichenæ judicium secuti, qui tum *largi adparatus* genitivo casu positum putat.

*Exspectare annum*] i. e. dum maturæ sint fruges, quas severis, ut inde habeas victum. *Vocare hostes*, et *vulnera mereri*, sunt phrases Virgilianæ. Illam ad H. 4, 80. illustravimus: hæc est, fortiter pugnare, ubi acerrima pugna est, unde sine vulnere vix discedas. Similiter Silius 4, 141. *petere vulnus* et *invenire*. ERN.

*Non multum venatibus*] Pugnam cum Cæsare hic video, imo cum usu et ratione. Cæsar ait B. G. 6, 21. *Vita Germanorum omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consumitur*. Iterum de Suevis 4, 1. *multum sunt in venationibus*. Usus etiam et ratio suadent gentes acres, feras, ubi silvarum copia, venatui addictas. Nec aliter in hac ipsa gente hodie. Pacem vera emendatio faciet: *quoties bella non ineunt, multum venatibus:* negatione ejecta, quæ haud dubie male geminata et petita e prioribus verbis. LIPS. Recte. Nugantur Salinerius et Colerus, qui Lipsio obloquuntur. ERN. Negatio omnino tollenda. Sic Cluv. Conring. Periz. Bip.

*Per otium transigunt*] Benignior hujus otii apud Ælianum est interpretatio 10. Var. 14. Σωκράτης ἔλεγεν, ὅτι ἡ ἀργία ἀδελφὴ τῆς ἐλευθερίας ἐστὶ, καὶ μαρτύριον ἔλεγεν ἀνδρειοτάτους καὶ ἐλευθεριωτάτους Ἰνδοὺς καὶ Πέρσας. ἀμφοτέρους δὲ πρὸς σχηματισμὸν ἀργοτάτους εἶναι· Φρύγας δὲ καὶ Λυδοὺς ἐργαστικωτέρους, δουλεύειν δέ. Plutarchus Lycurgo c. 24. p. 117. καὶ γὰρ ἔν τι τοῦτο τῶν καλῶν ἦν καὶ μακαρίων ἃ παρισκεύασε τοῖς ἑαυτοῦ πολίταις ὁ Λύκουργος, ἀφῶνίαν σχολῆς· quibus interdixerat artibus sordidis, et pecuniæ quærendæ nulla erat cura, et agrum colebant Ilotes. Itaque Laco quidam Athenis πυθόμενός τινα δίκην ἀργίας ὠφληκότα, rogat proximos δεῖξαι αὐτῷ, τίς ἐστιν ὁ τὴν ἐλευθερίας ἐαλωκὼς δίκην. Cicero de Orat. 2, 2. *Mihi liber non videtur, qui non aliquando nihil agit: in qua permaneo sententia, meque, cum huc veni, hoc ipsum nihil agere et plane cessare delectat*. GRON. *Transigere* absolute dici, intellecto substantivo, quod negabat Colerus, ipse Tacitus docuit, qui modo *transigere bella* dixit, modo *transigere* eodem sensu, intell. bella. ERN.

cuique ex familia; ipsi hebent; mira diversitate naturæ, cum iidem homines sic ament inertiam et oderint quietem. Mos est civitatibus, ultro ac viritim conferre Principibus, vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subvenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modo a singulis, sed publice mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque. Jam et pecuniam accipere docuimus.

XVI. Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est: ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis et cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi. Ne cæ-

*Ipsi hebent: mira*] Expressi Farnes. scripturam, nec, quin ea germana sit, dubitaveris. Vulgati, *ipsi habent miram diversitatem.* Lips. Eadem scriptura cod. Kapp. (s. ed. Norib.) jam prodita a Rhenano, qui tamen non induxit in textum. Ed. Spir. *ipsi habent mira div.* unde Puteol. fecit *habent miram diversitatem.* Ita unus error peperit alterum. *Diversitas naturæ*, est quasi repugnantia: nam *diversa* ap. Tacitum sæpe contraria. Ern. Ed. Rom. quoque *ipsi hebent mira d. n.*

*Ultro ac viritim conferre*] Imminutum locum esse, res et sermo ipse clamant. Rhenanus ex vestigiis, ut ait, libri, *ultro equitium conferre.* Et scio vocem equitii probam, Jurisconsultis usurpatam: et morem ipsum in Armeniis etiam obtinuisse, qui equos Regi alebant in tributum. Xenophon id me docuit 4, 5. De expeditione Cyri. At ne sic quidem pendentia verba firmaveris, quæ sequuntur. An equitium armentorum dices? an frugum? ridiculum: mihi nota excidisse videbatur X, quæ decimam significat, vel decimas: sicut eadem geminata XX vigesimam, in lapidibus sæpe: scribesque meo sensu; *ultro ac viritim X conferre.* Quin mos quidem ille etiam hodie obtineat apud plerosque, de conferendis decimis in nobilitatis usum, negari non potest. Vel explere etiam possis: *vel frugum, quod pro.* Lips. Brevitas Taciti haudquaquam sollicitanda. Talia sunt Varronis R.R. 3, 16. *Si ex alvo minus frequenter evadunt ac subsidit aliqua pars, suffumigandum et prope apponendum bene olentium herbarum, maxime apiastrum et thymum.* Et Horatii Serm. 2, 6, 83. *neque illi Sepositi ciceris, nec longæ invidit avenæ.* Ælianus 11. ποικιλ. 5. Τούτοις ἐπιβουλεύοντες Δελφοὶ εἰς τὰ κανὰ, ἔνθα ἦν αὐτοῖς ὅ τε λιβανωτὸς καὶ τὰ πέπανα, ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων λάθρα. Idem de animal. 5, 13. εἰ δὲ αὐτῇ παρὰ δόξαν γένοιτο τὸ τοῦ πνεύματος, ὕψει φέρουσαν λίθον ἑκάστην ἄκροις τοῖς ποσίν. Apuleius lib. 5. met. *Sic ille novæ nuptæ precibus veniam tribuit, et insuper quibuscumque vellet eas auri vel monilium donare concessit.* Ipse Tacitus A. 15, 53. *Tribuni et Centuriones et cæterorum ut quisque audentiæ habuisset, accurrerent trucidarentque.* Gron. Liber ille Rhenani, quem Artolphi cod. vocat, est is, quem ego Kapp. vocavi. In hoc autem exemplo, mundo illo et bene conservato, non est *ac virium* sed *ac jurium*: quod est sine dubio natum e *viritim.* Locum corruptelæ fecit inversio primæ syllabæ, qua nil frequentius est in edd. priscis, ut sæpe ex ed. Taciti prima indicavi. Ern. Ed. Rom. Put. Rhen. *ac viritim.* Ed. Norimb. *ac jurium.* Notarat sibi hoc Rhen. in margine libri sui, verum ita supine, ut, quum ad curandum Tacitum rursus accederet ex litteris evanescentibus exsculperet *ac virium* vel *ecuirium*, unde somniavit *equitium.* Servavit tamen in textu *ac viritim.* Bip. inde fecere *auctarium.* Mihi Lipsius verum vidisse videtur, quod et Groslotio placuit et Rhen. expressit, pendere genitivos a pronomine *quod*, unde tollendum distinctionis majoris signum.

*A singulis*] Perizonius præpositionem *a* deletam volebat, ut dativum habeas.

*Sed publice*] MS. Art. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *sed et.* Ern. Sic ed. Rom.

*Non in n. morem*] MS. Arund. *nostro more.* Ern.

mentorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius inlinunt terra, ita pura ac splendente, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent et subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi et receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt: et, si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt.

XVII. Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, sed stricta et singulos artus

*Imitetur*] Ed. Seb. Gryph. *invitet*: vitio operarum, ut opinor. Tum vett. edd. fere *liniamenta*. ERN. Sed ed. Rom. et Norimb. *lineamenta*.

*Subterraneos specus aperire*] Idem Pomp. Mela de Sarmatis 2, 1. *Atque ob sæva hiemis adsiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant.* Xenophon de frigida Armeniorum regione, Expedit. Cyri 4, 5. Αἱ δ' οἰκίαι ἦσαν κατάγειοι, τὸ μὲν στόμα ὥσπερ φρέατος, κάτω δὲ εὐρεῖαι. αἱ δὲ εἴσοδοι τοῖς μὲν ὑποζυγίοις ὀρυκταὶ, οἱ δὲ ἄνθρωποι κατὰ κλίμακας κατέβαινον· ἐν δὲ ταῖς οἰκίαις ἦσαν αἶγες, βόες, ὄιες, ὄρνιθες, καὶ τὰ ἔκγονα τούτων. Frustra autem originem stubarum (ita Ditmarus et illa ætas appellant) petunt istinc: quid enim simile? Quæ tamen antiquæ: et, nisi fallor, Juliano intellectæ in Antiochico post init. ubi de Lutetia urbe: Ἐθάλπετο δὲ τὸ δωμάτιον οὐδαμῶς, ὥσπερ ἐκέλευδον, ὑπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ τοῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι. Quamquam et Romanos, ævo Senecæ, nescio quid tale commentos reperio; effectu quidem pari cum stubis, non prorsus forma. Seneca de Providentia cap. 4. *Quem specularia semper a flatu vindicarunt... cujus cœnationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit.* Quod fieri solitum per ambientes quosdam tubos. Idem epistola 91 (90). *Quædam nostra demum prodisse memoria scimus, ut specularium usum... ut suspensuras balneorum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret æqualiter.* Quos tubos vidisse et notasse me in ruinis balnearum Romæ, probe memini. Ceterum quod hic legitur, *fimo onerant*; in Bambergensi est, *fimo operiunt*. LIPS. Sic et MS. Arundel. Vix credam, Tacitum eodem versiculo scripsisse *aperire* et *operiunt*. Sed illud huic inducendo locum fecisse videtur. ERN. Ed. Rom. et Norib. *onerant*.

*Aperta populatur*] Cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) *aperta populatio*. ERN. Sic et ed. Rom. et MS. Long.

*Spina consertum*] Cur spina proprie et quæsite? an non aptius *pinna*? Sive e pisce, sive e ligno, aut alia materie fuit. Certe hodieque ita a tenuibus aut sordidis factitatur. LIPS. Immo *spina* rudibus hominibus erat in locis incultis pro fibula. Sic Achæmenidi ap. Virg. Æn. 3, 594. *Consertum tegmen spinis* tribuitur. ERN.

*Cetera intecti*] Cf. Gebaver. de nuditate corporum Germanis temere adficta, in Vestigiis p. 364.

*Non fluitante*] Proprium et elegans verbum de vestitu laxo, sinuosoque. V. Gronov. Observ. 2, 7. ERN.

*Sed stricta et singulos artus exprimente*] Exprimit vero egregie vestitum hunc nostrum, qui a nobilitate Germanica diffusus non dubie per Europam. Describit et Sidonius eleganter, in Paneg. Majoriani v. 243. *Strictius assutæ vestes, procera coercent Membra virum: patet iis arctato* (al. *altato*) *tegmine poples.* Pars tamen etiam quædam Germaniæ olim in laxis vestibus, Sarmatico ritu, sive braccis. Lucanus Batavis et Vangionibus hoc tribuit 1, 430. *Et, qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis, Vangiones, Batavique truces.* Quamquam de plebe id tantum ceperim. Ceterum ad adstrictas, et Sidonii verbo assutas, Germanorum vestes, facit Dionis locus 49, 36. me quidem interprete: ubi Pannonios dictos affirmat, ὅτι τοὺς χιτῶνας τοὺς χειριδωτοὺς ἐξ ἱματίων τινῶν ἐς πάνυους ἐπιχωρίως πας καὶ κατατίμνοντες

exprimente. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos: sed et proxima pars pectoris patet.

XVIII. Quamquam severa illic matrimonia; nec ullam

καὶ προσαγορεύοντες συῤῥάπτους: *quod tunicas manulcatas ex centonibus quibusdam et pannis (ita appellant) patrio more conscindunt et coaptant.* Certum mihi est describi nostram tunicam, quam etiam nunc ab istis pannis *Pantrock* vocamus, veterum Germanorum et Pannonum ipsam vestem. Ea sane, quod Dio ait, e variis panniculis, præter Romanum et Græcum morem, ad singula membra aptata. Lips. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *arctus:* et sic semper. Ern. Sic et ed. Rom.

*Proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius*] Si vera lectio hæc, quam certe libri omnes exhibent, sensus est: Proximi ripæ Rheni utuntur illi quidem pellibus ad vestitum, sed nullo delectu, nullo ornatu; quia commercia habent cum provinciis Rom. eoque utuntur vestibus melioribus ad modum provincialium. At remotiores a Rheno, quia aliis vestibus carent, quas e commerciis cum nostris provinciis habeant, in pelliceo vestitu artem et cultum adhibent. Sic explicat Berneccerus. At Muretus, Carrio Antiq. Lect. 3, 2. aliique adverbia transponunt sic: *proximi ripæ exquisitius, ulteriores negligenter.* Mihi vulgatum placet. Nam sequentia haud dubie pertinent ad exquisitiorem e pellibus cultum, et ad posteriori loco positos, h. e. ulteriores. Quod intellexit Cluverius, qui tota membra permutabat, *ulteriores negligenter, quibus proximi—ripæ exquisitius eligunt feras:* quod est vim facere. Et quam frigidum foret *exquisitius eligere!* Illud *exquisitius* explicatur sequentibus. Adde dicta nota prox. Ern. Berneggeri explicationem jam occuparat Lipsius in Dispunct. not. cod. Mirand.

*Spargunt maculis pellibusque*] Suspectus mihi locus: nec sat scio, quomodo detractas feris pelles, sparserint maculis, et pellibus aliis piscium. An Tacitus ipse hæc parum intellexit? an *maculæ* vox non sine macula? Ego de mastrucis aliquid libens supposuissem, si velificata mihi libri alicujus aura. Isidorus 19, 23. *Mastruca, vestis Germanica ex pelliculis ferarum.* Prudentius in Symm. 2, 698. —*Mastrucis proceres vestire togatos.* Cicero fragm. pro Scauro, Sardis etiam tribuit: *Sardorum mastruca tentavit.* Ceterum non dubium, quin duplici ornatu eos usos Tacitus velit, sive e feris, sive e piscibus. Justinus 2, 2. clarius paullo idem tradidit de Scythis: *Lanæ iis usus ac vestium ignotus... pellibus tantum ferinis aut marinis vestiuntur.* Lips. In verbis *spargunt maculis* non hæream. Ars est pelles v. c. albas, nigris maculis variegare; quod hodie quoque fieri apud nos vidi. Istis rudibus temporibus forte factum adsutis alius coloris segmentis. Mastruca sordidior est, quam ut ei exquisiti vestitus nomen conveniat. Pelles porro belluarum, quas exterior Oceanus gignit, atque ignotum mare, non intelligam de piscibus. Pelles quis tribuat piscibus? et duræ piscium membranæ quomodo vestibus aptæ? Locus Justini e vitioso libro sumtus est. Boni libri habent *murinis*, quod verum est. Immo intelligendæ pelles transmarinarum ferarum, quales hodie zibellinæ. Tales pelles a Suionibus potuerunt accipere, qui Oceanum accolebant, et per quos etiam Romani postea eas pelles accepere. V. Voss. ad Catull. p. 190. ubi de zibellinis digna lecta. Ern.

*Feminæ sæpius lincis*] Plinius 19, 1. *Jam quidem et Transrhenani hostes vela e lino texunt, nec pulchriorem alium vestem eorum feminæ novere.* Linigeræ igitur fœminæ, nec tamen solæ. Bene ait, *sæpius.* Diaconus in viris agnoscit, 4, 7 (23). *Vestimenta eis* (de priscis Longobardis ait, indubie Germanis) *erant laxa et maxime linea, qualia Angli-Saxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis.* Sed profecto quæ hic de variegatis latisque institis dicit, nos qui vidimus, scimus etiam nunc proprium amictum esse Germanicarum mulierum. Lips.

morum partem magis laudaveris: nam prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, sed uxori maritus, offert. Intersunt parentes et propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comatur; sed boves et frenatum equum et scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur; atque invicem ipsa armorum aliquid viro adfert: hoc maximum vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Ne se mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in prœlio passuram ausuramque: hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denuntiant. Sic vivendum, sic pereundum: accipere se, quæ liberis inviolata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant.

*Uxor marito*] Illud, *marito*, abest Bambergensi, et sine fraude. Lips. Item ab Arundel. Sed Venus sententiæ perierit, si tollas, etsi salva sententia restet. Ern. Dubium a Salmasio de modo usur. c. 4. p. 185. motum ad hæc nostri verba, de dote uxori a marito oblata, solvit Gebaverus l. c. p. 252. In ed. Rom. deest *uxor*.

*Delicias muliebres*] Intell. monilia, armillas, et similia ornamenta exquisitiora: et mox *comatur* accipe pro ornetur, ne de hasta cælibari cum Colero cogites. Terentius Heaut. 2, 2, 11. *dum moliuntur, dum comuntur, annus est.* Hinc *incomti* pro horridis, non ornatis, et supra, *incomti apparatus*, c. 14. Ern.

*Sed boves et frenatum equum*] Pichena suspicatur excidisse vocem, *sed binos boves*: nam infra, ubi hæc dona recenset, ait, *hoc juncti boves, hoc paratus equus*. Ern.

*In hæc munera accipitur*] E Græco sumta loquendi forma, ἐπὶ τούτοις δώροις· his muneribus datis, sub conditione veluti talium munerum, talis dotis. Ern.

*Hoc data arma denuntiant*] Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) *renunciant*, ut jam notavit Rhen. qui non improbat. Frustra. *Denunciant* refertur ad ea, quæ ante dixerat de societate laborum et periculorum; in qua re proprium verbum est *denunciare*, (non *renunciare*) quod inde accepit etiam vim minandi. Permutata autem et alibi hæc verba in libris vett. Ern.

*Sic vivendum, sic pereundum*] Pendet ab *denunciant*. *Sic* est, eadem lege atque conditione, qua maritos. Vivendum laboriose, moriendum fortiter. Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) *sic viventes, sic parientes*, quod accipit Rhen. Vulgatum verum. Ern. Colerus conjicit, *si vivendum, si pereundum* i. e. sive viv. sive per. sit. Rhenanus, si leg. *viventes, parientes*, tum quoque emendandum tradit, *reddant*. Bipontinis videtur leg. *patientes*, nisi oratio a singulari *mulier* flecteret ad pluralem. Verum recte vulgatum probant. Phrasis *inviolata ac digna reddat* occurrit et apud Liv. 26, 50. Bipontini verba hæc *inv. ac digna* pro nominativis accipiunt et ad *mulierem* referunt, non ad *munera*. Mihi secus videtur, ac nodus in scirpo quæri.

*Quæ lib.—ac digna reddat*] Vox, *digna*, non sincera videtur. Sed et paullo ante Rhenanus *sic viventes sic parientes*, alibi legisse ait. Lips. Nisi tamen non mendum hic, sed specimen brevitatis Taciti, qua fit, ut vox *liberis*, ceu bis posita intelligi debeat; et quidem relata ad τὸ *reddat* dandi, ad τὸ *digna* auferendi casu. Sensus enim, quæ salva et honesta liberis atque iisdem digna (generosæ scilicet matris dignum magna indole ac spe filiorum donum) olim restituat, quæque ab his aliquando sponsis ac speratis suis rursus dotis vicem ferant nurus et suis filiis, illius nepotibus, pari cura sarta tecta præstent perhibeantque. Gron. Cod. K. ed. Spir. ceteræque ante Rhen. 1533. *rursus quæ*. Ern, Ed. Rom. *que*: Norimb. *quæ*: hæc enim diphthongis utitur.

XIX. Ergo septæ pudicitia agunt, nullis spectaculorum inlecebris, nullis conviviorum inritationibus conruptæ. Litterarum secreta viri pariter ac feminæ ignorant. Paucissima in tam numerosa gente adulteria; quorum pœna præsens, et maritis permissa. Accisis crinibus, nudatam, coram propinquis, expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicatæ enim pudicitiæ nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec, conrumpere et conrumpi, *sæculum* vocatur. Melius

*Septa pudicitia agunt*] Livium imitatur 3, 44. *postquam omni pudore septa animadverterat.* Est autem *septa pudicitia* tuta et inexpugnabilis, sive custodiis, sive moribus gentis, sive ingeniis ipsarum. GRON. MS. Arund. *septæ pudicitia.* Turic. *separata.* ERN. Bip. recepere *septæ.* Recte, sequor. Ed. Rom. et Norimb. *septa.* Acid. *certa* conjicit, incassum.

*Litterarum secreta*] Quare hoc matrimoniis aut pudicitiæ interserit? mireris. Nimirum, quia et litteris occulte missis corrumpi fœminæ solent, sicut de ludis et conviviis præivit. At eæ non sunt. LIPS. Hoc vult Tacitus: Scribere ac per epistolas suspecta secreta fovere atque exercere nesciunt. Suetonius de Nicia (III. Gram. c. 14.) *quum codicillos Memmii ad Pompeii uxorem de stupro pertulisset.* Notum (ex Plut. in Cat. min. c. 24. p. 238. δελτάριον μικρὸν ἔξωθεν εἰσκομισθὲν altercanti cum Catone Cæsari, quod ille cum poposcisset, quærens inde adversario invidiam, Σερουιλίας τῆς ἀδελφῆς ἐπιστόλιον ἀκόλαστον, πρὸς τὸν Καίσαρα γεγραμμένον, ἐρώσης καὶ διαφθαρμένης ὑπ' αὐτοῦ, agnovit. Martialis 14, 6. *Tunc triplices nostros non vilia dona putabis, Cum se venturam scribet amicus tibi.* Centum alii. GRON. Mirandum est, potuisse viris doctis in mentem venire de scriptura universa. Quis ista *secreta* unquam appellavit? *Secreta litterarum* per Latinitatem nil aliud esse possunt, quam *literæ secretæ*: hæ, nisi forte ubi de Ægyptiorum arcana scriptura sermo sit, nil nisi epistolæ furtivæ, quarum passim in rebus amatoriis, ut apud Ovid. in Arte Am. mentio. ERN. Planissima videtur esse hæc verborum interpretatio; non video profecto, quomodo ad spectacula et convivia referri queant, quod Longolio venit in mentem. Sunt, qui de secretis Magiæ exponant, de quibus vid. Dithmarus ad h. l.

*Quorum pœna præsens*] Ad jus et Romanos mores propius in Bambergensi scriptum, *quorum pœna parentibus et maritis.* Nam maritos solos hic esse arbitros, satis crudum. Tamen e Tacito non aliter apparet. LIPS. Consentit Arundel. ERN. Prætulere Bip. *parentibus.* Sed librorum consensus est in *præsens*, et noster eo verbo uti amat. Vid. index.

*Accisis crinibus*] Pœna duplex. Crines accisi, et fustigatio. Quam reperio etiam alias usurpatam Germanis in hoc sexu. In Legibus Luitprandi Regis Longobardorum, hæc est in fœminas violentas et quæ sæviunt aut feriunt, 1, 17, 5. *Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, et faciat eas decalvare et fustare* (ita lego: vulgo, *frustrare*) *per vicos vicinantes ipsius loci.* Paullo aliam et magis sævam adulterii pœnam tribuit priscis Saxonibus Bonifacius Archiep. Epistola 19. ad Ethelbaldum Anglorum Regem: *In antiqua*, inquit, *Saxonia, ubi nulla Christi cognitio, si virgo in materna domo, vel maritata sub conjuge sit adulterata; manu propria strangulatam cremant:* (et addit, quod huc magis facit) *aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castæ matronæ, et de villa in villam missæ occurrunt novæ flagellantes, et cultellis pungunt, donec interimant.* LIPS. Mox MS. Arund. *verberans agit.* Male. ERN.

*Publicatæ enim*] Scribam, *publicatæ etiam.* Non enim hoc ad adulteras refero, sed ad eas, quæ adhuc injuges: vulgo tamen se vulgabant. LIPS. *Enim* accipio pro particula transeundi. Nam, quod ad pudicitiam publicatam attinet, omnino nulla venia est. Sed præferrem *etiam*, si libri addicerent. ERN.

*Invenerit*] Sic ed. Rom. et Norimb. Sed Put. *invenit.*

*Sæculum vocatur*] Gravis et acuta sententia. Seneca similiter: *Desinit esse remedio locus, ubi, quæ fuerant vitia, mores sunt.* LIPS. Cod. Kapp. (s. ed. Norimb.) *vocantur*: quod jam notavit Rhen. ERN. Sed ed. Rom. *vocatur.*

quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium, ament. Numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habetur: plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.

XX. In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt. Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt; donec ætas separet ingenuos,

*Melius eæ civitates*] Inter quas civitates fuisse Erulos reperio: apud quos adeo secundo matrimonio non locus, uti uxor marito mortuo laqueo sese statim juxta sepulchrum indueret, nisi invisa vivere mallet et infamis. Procopius tradit 2, 14. De bello Gothorum. LIPS.

*Ne ulla cogitatio*] Groslotius ter volebat *nec*, e vet. cod. Primo loco facile probem, non reliquis, nisi etiam corrigas *amant*; quod probarem, si libri faverent. ERN. Ed. Rom. et Norib. et Put. *ne, ne, ne.*

*Tamquam maritum*] In Lips. tertia est *meritum*, quod, ut in aliis forte, est vitium operarum. In ultima est *maritum*: quod in omnibus meis ante Lips. est. ERN.

*Numerum liberorum finire*] V. Lipsium ep. 85. Cent. 1. ad Belgas. ERN.

*Ex agnatis necare*] Agnatos hic accipies non ἀγχιστεῖς, aut συγγενεῖς, sed liberos, qui adnascuntur: etsi mallem omnino scribi, *gnatis*. Illud autem mirum, Tacitum omittere insignitum illum ritum et peculiarem Germanis, de exploratione liberorum. Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeoque imponebant: si undis abriperetur, notham censebant; si innataret, vere suam. Claudianus in Rufinum 2, 112. *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.* Julianus in epistola 16. ad Maximum: Πάντως οὐδὲ ὁ Ῥῆνος ἀδικεῖ τοὺς Κελτούς, ὃς τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις πέμπει, καθάπερ ἀκολάστου λέχους τιμωρὸς πρέπων. Ὅσα δ' ἂν ἐπιγνῷ καθαροῦ σπέρματος, ὑπεράνω τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ, καὶ τῇ μητρὶ τρεμούσῃ πάλιν εἰς χεῖρας δίδωσιν, ὥσπερ ἀδίκαστόν τινα μαρτυρίαν αὐτῇ καθαιρῶν καὶ ἀμέμπτων γάμων τὴν τοῦ παιδὸς σωτηρίαν ἀντιδωρούμενος. Meminit et Galenus De sanitate tuenda 1, 10. et Nazianzenus carm. 49. ad Nicob. v. 142. Nonnus in Dionysiacis 46, 55. ab hac caussa Rhenum ἐλεγχιγάμου agnominat, velut judicem vindicemque conjugii: et vidi, qui Rheni etymon hinc petendum adseveraret, quasi purgatoris. Purus quidem sermone nostro *reyn* dicitur. Sed addo, Valerium Flaccum 6, 336. ad Scythas et ad Phasim hunc ritum (nescio an ex vero) transferre. Ita enim ibi quispiam:—*subitam sævi duravimus amne Progeniem, natosque rudes?* LIPS. *Adgnati*, supra numerum nati, ἐπίγονοι. Sic et Perizon. ad Melam 1, 8. in Misc. Obs. crit. t. 8. p. 118. Juliani loco cit. adde ejus Orat. 2. de laud. Constantii in med. Quæ de exploratione ista liberorum traduntur, fabulosa esse, jure a Tacito prætermissa, putat Amelang in opusculo subjuncto versioni Germ. Taciti de M. G. editæ ab J. H. M. Ernesti; fabulam autem inde ortam, quod infantes flumini immergere sint soliti Germani ad duranda eorum corpora.

*Nec ancillis et nutricibus delegantur*] Insignem elegantiam observent tirones in verbo *delegantur*. Sumta metaphora ab iis, qui creditoribus, omninoque quibus debent, non ipsi solvunt ex arca, sed ad alios amandant, a quibus, suo nomine, pecuniam accipiant, quod dicitur etiam *solvere per delegationem*. Omnino Cicero et elegantissimus quisque tropico hujus verbi usu delectatur. Vid. v. c. Clav. Cic. in h. v. et Gron. Obs. 1, 20. ERN.

*Dignoscas*] Antiquissimi libri *dinoscas*: cod. Kapp. ed. Spir. ERN. Ed. Norimb. omnino *dinoscas*: contra ed. Rom. *noscas*. Put. *dignoscas.*

*Donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat*] Vide, si libet, observ. nostras 1, 4. *Separet* est, faciat, ut separentur; *agnoscat*, faciat, ut agnoscantur. GRON. *Agnoscere* eo sensu apud Sen. ep. 120, et Plin. ep. 5, 17.

virtus agnoscat. Sera juvenum Venus; eoque inexhausta pubertas: nec virgines festinantur; eadem juventa, similis proceritas: pares validæque miscentur: ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremque hunc nexum sanguinis arbitrantur, et in accipiendis obsidibus magis exigunt; tamquam ii et animum firmius, et domum latius, teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique liberi; et nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major adfinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.

XXI. Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quam amicitias, necesse est: nec inplacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus: utiliter in publicum; quia periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem. Convictibus et hospitiis non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere tecto, nefas habetur: pro fortuna quisque adparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes, proximam domum non invitati adeunt: nec interest: pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernit. Abeunti, si quid poposcerit, concedere moris; et poscendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus: sed nec data inputant, nec acceptis obligantur.

*Inexhausta pubertas*] Is. Vossius ad Melam 3. explicat ἀναφροδισίαν, quæ ibi *pueritia*. Pueritiam recte accipit; sed pubertas aliud est; nempe, vis juvenilis generandi, quæ sero consumitur. ERN.

*Pares validique*] Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) edd. Bonon. Spirens. omnesque ceteri mei ante Lips. magno consensu *validæque*: quod restitui. In Lipsianam, ut alia quædam, venit ex obscura editione. Intellige, pares maritis ætate aliisque rebus ducuntur, in primisque validæ. Paullo post pro *magis* MS. Arund. *maxime*. ERN. Pichenæ placebat *validique*: sed recte cum Ernestio faciunt Lall. Brot. Bip.

*Apud patrem*] Cod. Kappii (quem Joh. Kappius hic iterum male MS. vocat) sive ed. Norimb. item Rom. et ed. Rhagii *ad patrem*. Sic Cic. ad Att. 2, 16. et 10, 16. *ad me* pro *apud me*. Mox MS. Long. *obsidiis*. Dein pro *ii* male legitur *in* in ed. Nor. Rom. Rhag. et in MS. Long. et Humm.

*Nec ulla orbitatis pretia*] Non sunt, qui senes orbos captent, ut apud Romanos. Respice A. 15, 19. Cf. Ammian. Marc. 14, 6. Sen. Cons. ad Marc. c. 19. Paullo ante Put. *tanto gratior*: sed Rom. et Norib. ed. *gratiosior*.

*Utiliter in publicum*] Solus cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *utilitate*. Mox *juxta libertatem* est inter liberos homines, in civitate libera. ERN. Ed. Rom. et Put. *utiliter*.

*Cum defecere*] sc. epulæ; cum epulas amplius præbere hospiti non possunt. Infra c. 24. *cum omnia defecerunt*, sc. quæ ludendo perdere possint. Edd. vett. meæ ante Lips. omnes *defecere*: quod restituit Pichena. *Defecerit* est in ed. Lips. quod eodem modo intelligere licet. Sed illud verum puto. Vid. tamen ad c. 24. ERN. Bip. præferunt *defecerit* scil. hospes.

*Si quid poposcerit*] Sic MS. Arund. edd. ante Rhen. 1532. omnes. Is invexit, sive potius error operarum, *poposceris*, quod miror tamdiu toleratum, cum illud Latinitas desideret. ERN. Ed. Norib. *poposcerit*. In Rom. ea vox deest.

XXII. Victus inter hospites comis. Statim e somno, quem plerumque in diem extrahunt, lavantur, sæpius calida, ut apud quos plurimum hiems occupat. Lauti cibum capiunt: separatæ singulis sedes et sua cuique mensa: tum ad negotia, nec minus sæpe ad convivia, procedunt armati. Diem noctemque continuare potando, nulli probrum. Crebræ, ut inter vinolentos, rixæ, raro convicĭis, sæpius cæde et vulneribus transiguntur. Sed et de reconciliandis invicem inimicis et jungendis adfinitatibus et adsciscendis Principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultant; tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris licentia joci. Ergo de-

*Victus inter hosp. comis*] Hæc pro spuriis omisit in versione Francica de la Bleterie. Et sunt sane suspecta saltem de loco. ERN. Omnino glossema redolent.

*Separatæ singulis sedes*] Quæ sedes e gramine aut frondibus, et proprie tori, Strabo suggerit, qui de Gallis p. 197. καθεζόμενοι δειπνοῦσιν ἐν στιβάσι. Posidonius apud Athenæum 4, 13. fœnum sibi substravisse scribit, ab eadem mente: Κελτοὶ τὰς χοὰς προτίθενται, χόρτον ὑποβάλλοντες, καὶ ἐπὶ τραπεζῶν ξυλίνων, μικρὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἐπηρμένων, etc. Plura de ratione Germanici victus ibi vide. LIPS.

*Sua cuique mensa*] Herelius *über einige Stellen im Tacitus.* 4. Erf. 1796. conjicit *sua sexui cuique mensa:* quo trahi possit, quod c. 19. refertur, *nec ullis conviviorum irritationibus corruptas esse mulieres.* Contra Antonius h. l. de feminis plane non esse sermonem observat, suamque singulis viris sedem sive mensam, scamnum scil. fuisse putat. Quicquid sit, ingeniosa saltem est Herelii conjectura.

*Diem noctemque*] Uti et de Persis Xenophon scribit in Pædia 8, 8. extremo: qui mirum (studiose enim notavi et comparavi) quam in pleraque omni ratione vitæ, immo et lingua, consentiant cum Germanis. LIPS.

*Ut inter vinolentos*] Frustra Rhenanus tentat *violentos*, quod ulteriores Germani vino caruerint. Intelligendum vinum hordeaceum, κρῖθινος οἶνος, non ἀμπέλινος. Vett. edd. *vinulentos.* Mox bene Rhenanus edidit *sed et de reconciliandis.* Sic MSS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) At MSS. Arund. edd. ante Rhen. *sed de reconciliatis:* male. ERN. Ed. Rom. *reconciliandis.* Sic et MS. Humm. et Long. sed Put. *reconciliatis.* Prius Colerus malebat *transigunt* ex formula juris Romani.

*Simplices cogitationes*] i. e. faciles, lenes, refer ad ea, quæ dixerat de inimicitiis ponendis, amicitiis adfinitatibusque jungendis, item de pace. *Magnæ* pertinent ad bellum. ERN. *Simplices*, nudas, non fucatas, forsan et minoris momenti.

*Nec callida*] Vet. cod. apud Groslotium *aut callida.*

*Aperit adhuc secreta pectoris licentia joci*] MS. Arundel. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *ad hoc;* vetus ed. ap. Jac. Gron. *ad hæc:* quorum alterutrum reponendum videbatur Groslotio, illud Colero. *Adhuc* verum puto, quod et MS. Turic. habet. Id dupliciter licet interpretari: vel *insuper, etiam*, vel *nunc quoque*, nondum edocta artes dissimulandi et fingendi alia, quam sentiat. Deinde cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) ed. Spir. omnesque mei libri ante Lips. ed. *licentia joci*, quod merito restitui. In Lipsianam *loci* venit aut operarum vitio, aut potius ex alia ignobili ed. in qua ipsa vitium operarum fuit. Non enim tacitus veterem lectionem mutasset. Et id tamen temere ab omnibus servatum est. *Jocum* latius accipe, dictum, qua opponitur rebus seriis, deque carminibus, conviviis, similibusque dicitur, ut sæpe apud poetas in primis. Pro *jocus* centies librarii et operæ dederunt *locus.* V. Burm. ad Sueton. Calig. 9. ERN. Ed. Rom. *ad hec.* MS. Long. *ad hoc.* MS. Humm. *adhuc.* Dein MS. Long. etiam *joci.* Rhenanus in ed. prima consulto et ex ingenio dedit *loci*, quia in conviviis sermonis libertas sit. Restituerunt hoc

tecta et nuda omnium mens postera die retractatur, et salva utriusque temporis ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.

XXIII. Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini conruptus. Proximi ripæ et vinum mer-

Bip. Ad rem, perinde est, sed codicum et editionum veterum rationem habendam puto.

*Et salva utriusque temporis ratio est*] Ego scribo, *et sua utriusque temporis*. Interpretor: Germani in conviviis et compotationibus deliberant quidem agitantque res graves; sed easdem sobrii recoquunt et retractant: utrique rei sua quædam ratio est. Rationem autem addit, *deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt*. Ex quo discimus, Germanos in convivii illa licentia proposuisse quidem seria; sed eadem conclusisse et finisse, non nisi matutinos et serios. Persarum similis mos, qui, ut Strabo ait 15. p. 734. ἐν οἴνῳ τὰ μέγιστα βουλεύονται, καὶ ταῦτα βεβαιότερα τῶν ἐν νήψει τίθενται. idemque de iis Ammianus 18, 5. Sed et Cretensium ex Athenæo 4, 10. Græcorum omnium veterum ex Homero Il. 9, 225 sq. et Plutarcho diffuse Symposiacorum lib. 7. Q. 9. Propius ad Tacitum Herodotus 1, 133. *Quæ Persæ in conviviis deliberaverint, postridie proponi sobriis: et si tunc placuerint, rata esse.* Lips. *Rationem constare* et *rationem salvam esse* sensu eodem dicuntur; et proprie in pecuniæ rationibus domicilium habent. *Constat* enim et *salva est ratio*, quæ non conturbata et implicita, sed explicata vel expedita, est; ubi accepta et expensa quadrantur, ubi paria fiunt aut fieri possunt, ubi nulla reliqua, nec plus erogati est, quam accepti. Sic *constare* ac *salvum esse* dicitur, quicquid utiliter expensum vel impensum est, ut ejus nomine actio vel crimen non detur, neque oriatur dolor, aut pœnitentia; cujus nihil male collocatum vel insumptum. Ita Plinius in Paneg. cap. 92. *salva diligentiæ tuæ ratione*, id est, ut tibi ratio diligentiæ tuæ constet, ut nihil tibi videaris contra consuetam diligentiam tuam fecisse. Defendimus adversus optimum Buchnerum eidem Plinio epist. 2, 17. *salvo et composito die*, ad Senecam de ira 3, 36. Ergo et apud Tacitum, *Et salva utriusque temporis ratio est*, accipiendum, ut sit; et utrumque tempus non omnino otiose atque inutiliter, et sic, ut nullam ejus operam edant, agunt: et utrumque tempus non male collocant aut sibi collocare videntur. Quum Romani et Græci convivantes εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα proferant, et sic eis alterius temporis ratio non constet, nec salva sit, quippe quod et per merum lusum et lasciviam trahatur; boni Germani temperant, inquit, suas ferias utili negotio deliberandi, atque adeo non tantummodo, cum retractant consulta sobrii, sed etiam, dum consultant uvidi ac saucii, temporis salvam rationem habent. Allusit ad dictum Catonis, quod Justinus in præfatione ac pro Plancio 27. refert Cicero, *clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem constare oportere.* Gron. Mihi, qui et ipse *salva* probo, simplicius videtur, sic accipere: quæ in conviviis dicta, non pro ratis statim habentur; neque enim seria proprie conveniunt temporibus convivandi. Ita salva est ratio illius temporis; quam perturbes, si, quæ inter vina dicta sunt, pro certis et firmis habeas, et quæ revocare non liceat. Iterum ergo in deliberationem a sobriis vocantur, et, ut tum constitutum est, ita ratum habetur: merito; nam sobrii in potestate mentem et libertatem habent. Ita et huic tempori sua salva est ratio, nec quod ei convenit, alteri tribuitur. Atque hanc interpretationem sequentia videntur confirmare. Salvam temporum rationem relinquit, qui ea non perturbat, nihil alieno tempore agit. Ern. *Ratio salva* est integra. Nemini fraudi est, in convivio hoc velle, idem postero die nolle: sic Longolius.

*In qu. sim. vini corruptus*] *Corruptus* hactenus dici potest ille humor, qua omnia naturalia per artem in suavius, ad sensum hominum, mutata, dicuntur corrumpi: ut ap. Virgil. G. 2, 466. *corrumpitur usus olivi*, unguentis sc. adfusis. Sic quæ Callim. H. in Lav. Pall. 16. ἴλαια μιαντὰ dicit, opponitque λιτοῖς, ea dicuntur a Græcis φθείρεσθαι, συμφθείρεσθαι. de quo v. Kuster. ad Aristoph. Plut. 530. et Hemsterhusium τὸν ᾶνν ad Lucian. Prometh. p. 31. et quos ibi laudat. Sed potest etiam respexisse eo, quod Romanis, vino vero et aquæ adsuetis, vinum illud fœdam putredinem olere videbatur, ut patet e noto Juliani

cantur. Cibi simplices: agrestia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine adparatu, sine blandimentis, expellunt famem. Adversus sitim non eadem temperantia. Si indulseris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facile vitiis, quam armis, vincentur.

XXIV. Genus spectaculorum unum atque in omni cœtu idem. Nudi juvenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorem: non in quæstum tamen, aut mercedem: quamvis audacis lasciviæ pretium est, voluptas spectantium. Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate et de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit: quamvis juvenior, quamvis robustior, adligari se ac venire patitur: ea est in re prava

Cæs. epigrammate in cerevisiam. Verum illud melius: MS. Arundel. *corrupti.* Ern. *Corrumpi* hic potius nativo suo et proprio sensu sumi Longolius autumat. Epigramma Juliani videsis in Brunckii Anal. vet. poet. t. 2. p. 403.

*Vitiis, quam*] Bambergensis, *vino quam armis.* Lips. Vix est, ut τὸ *vino* non sit a mala scholiastæ manu. Nam *vitiis* prorsus est nimio vino, et hoc amplius τὴν οἰνοφλυγίαν consequentibus malis. Justinus de Philippo et Alexandro 9, 8. *Vini nimis uterque avidus, sed ebrietatis diversa vitia.* Quorum et Horatius quædam decantat Ep. 1, 5, 16. *Quid non ebrietas* etc. *Vinci* autem suis eos *vitiis* dicit, ut apud eundem Justinum 1, 8. Scythæ *prius ebrietate, quam bello vincuntur.* Et Antiochus Floro 2, 8. *Rex jam luxuria sua debellatus.* Neque enim invictos et vino et armis significari puto, (nam si vino invicti, cur crebræ inter vinolentos rixæ? cur cædes? vino utique sunt hæc succumbentium, ἡττόνων non κρειττόνων) neque tamen etiam facile armis vinci Germanos; sed, si quis ea irretire possit eos illecebra, juxta facile victum iri hoc genere vitiorum quam inexsuperabili vi armorum, quam *armis*, id est, ea mole armorum, quibus vinci possunt. Gron. *Vino* convenientius videbatur Conringio. *Vitiis* MS. Long. Humm. et editiones veteres.

*Inter gladios se*] Similem ludum describit Sidon. Apoll. carm. 5. v. 246. *clypeosque rotare Ludus et intortas præcedere saltibus hastas.*

*Artem paravit*] Edd. Spirens. seqq. ante Rhen. *parat.* At cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *paravit*, unde Rhen. dedit. Ern. Ed. Rom. etiam *paravit.* Put. *parat:* hoc placet Bipontinis. Parum interest.

*Cum omnia defecerunt*] Bene vulgata habet. Adde supra c. 21. sed tamen magis placet lectio MS. Turic. *defecerint*, in hoc contextu. Ern.

*De libertate et de corpore*] Hoc aleæ studium pertinax Hunnis adtribuit D. Ambrosius, de Tobia cap. 11. *Ferunt Hunnos, cum sine legibus vivant, aleæ solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul et arma portare, et plures suis, quam hostilibus ictibus, interire: in victoria sua captivos fieri et spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste nequiverint.* Et statim: *frequenter autem tanto ardore rapi, ut, cum ea quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad unum aleæ jactum vitam suam potestati vel victoris, vel fœneratoris, addicat. Denique constat, quod quidam et Imperatori Romano cognitus, in fide pretium servitutis, quod sibi tali forte superatus intulerat, suppliciis imperatæ mortis exsolverit.* O fœda, o barbara! et scio apud quosdam Septemtrionalium hodie hanc insaniam pro parte vigere. Lips. Heumannus, diss. peculiari hunc Taciti locum emendare conatus, expungi jubet *extremo ac*, tanquam superflua, et *tradunt* mutat in *reddunt*, ne Tacitus Germanos calumniasse videretur. Respondit viro docto et dubia solvit Gebaverus in Vestig. p. 487.

*Quamvis junior*] Cod. Kapp. (s. ed. Nor. item Rom.) *juvenior.* Mox *alligari*, pro vinciri; sic fere Cic. Tusc. 2, 17.

pervicacia: ipsi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriæ exsolvant.

XXV. Ceteris servis, non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur. Suam quisque sedem, suos Penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono, injungit: et servus hactenus paret. Cetera domus officia uxor ac liberi exsequuntur. Verberare servum ac vinculis et opere coercere, rarum. Occidere solent, non disciplina et severitate, sed inpetu et ira, ut inimicum, nisi quod inpune. Libertini non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in civitate; exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim et super ingenuos et super nobiles ascendunt; apud ceteros inpares libertini libertatis argumentum sunt.

XXVI. Fœnus agitare et in usuras extendere, ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset. Agri, pro numero cultorum, ab universis in vices occupantur, quos mox

*vulnus alligari.* V. plura in Clav. Cic. et, quem ibi laudavi, Gronovius ad Liv. 7, 24. ERN. *Juvenior* habent et MS. Long. et Humm. Restituo cum Bip. et Longolio. Sic et Plin. Ep. 4, 8.

*Verberare servum*] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) sic: *verberant servum, ac vinculis et opere coercere, rarum occidere solent.* ERN.

*Impetu et ira*] Hoc ita in Septemtrionis tractu, ut Holsatia atque alibi, etiam hodie Germani; et per mores licet. LIPS. MS. Turic. mox *impune est.* ERN. Receperunt Bip.

*Liberti*] Sic vulgati omnes. At nos castigavimus *libertini.* Ultima syllaba absorpta est a sequente verbo. Nam de ordine hominum loquitur, qui est libertinorum, non libertorum. Cicer. Verr. 1, 47. deinde mox diserte *libertini* in omnibus libris: denique non ad singulas domos, sed ad civitates referuntur. Similiter infra c. 44. in simili argumento, *libertinus,* non *libertus.* Similis est etiam locus Livii 4, 3. *et proinde hoc valet — tamquam servum aut libertinum aliquis Consulem fore dicat.* Nam quod in Agric. c. 19. Agricola dicitur *nihil per libertos servosque publicæ rei egisse;* sermo est de libertis et servis Agricolæ, non de ordine hominum in genere. ERN.

*Raro aliquod momentum i. d.*] MS. Arund. *aliquid momenti.* Vulgatum melius. Supra in Hist. 1, 59. habuimus *grande momentum,* de homine. ERN.

*Impares libertini libertatis argumentum sunt*] i. e. ex hoc ipso apparet libertas populi, quod libertini inferiores sunt ingenuis et nobilibus. ERN.

*Fœnus agitare*] Hæc de fœnore spuria videntur nonnullis, in his Antonio in notis ad versionem suam Germanicam.

*In usuras extendere*] *Fœnus* de pecunia dici, quæ sub usuris collocatur, facile cuivis patet, monuitque Salmas. de Usur. p. 24. et sic alibi centies. *In usuras extendere* intelligo dictum, pro *per usuras extendere,* ut apud Virgil. 10, 468. *famamque extendere factis.* Forte etiam fuit *et usuris* vel *per usuras extendere,* ut mox confunduntur *in vices* et *per vices.* Nam profecto fœnus non augetur in usuras, sed usuris fœnus. ERN.

*Ideoque magis servatur*] Quid servatur? immo non servatur fœnus, nec est ejus usus. Aliquid in hac scriptura vitii: an *spernitur,* vel *spernatur?* ac tale sententia petit. Aut pro sensu capiendum, quasi de interdicto prævisset. LIPS. Salmasius l. c. corrigit *aversantur.* Quo modo aversari possunt, quod ignorant? non magis, quam appetere. Recte Heraldus in Salmasii Observ. ad jus Att. et Rom. p. 583. monuit, ex antecedentibus esse ἀπὸ κοινοῦ intelligendum aliquid, ad quod *servatur* referatur, nempe ut abstineant a fœnore exercendo, abstinentia ab fœnore agitando. ERN.

*Agri ab universis*] Bambergensis, *ab universis vicis occupantur:* longe alia, nec deteriore sententia. LIPS. Satis placet *per vices.* Cæsar B. Gall. 6, 22. *Agriculturæ non student.. neque quis-*

inter se, secundum dignationem, partiuntur: facilitatem partiendi camporum spatia præstant. Arva per annos mutant: et superest ager: nec enim cum ubertate et amplitudine soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent: sola terræ seges imperatur. Unde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species: hiems et ver et æstas intellectum ac vocabula habent: autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXVII. Funerum nulla ambitio: id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus, cumulant: sua cuique arma, quorundam igni et equus adjicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum et operosum honorem, ut gravem defunctis, adspernantur. Lamenta ac lacrimas cito, dolorem et tristitiam tarde, ponunt. Feminis lugere honestum est; viris meminisse. Hæc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus: nunc singularum

*quam agri modum certum ac fines proprios habet: sed magistratus in annos singulos gentibus nationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis et quo loco visum est, attribuunt agri, atque anno post alio transire coguntur.* Ergo, quia nulla perpetua possessio, et quotannis allus tribus patrisvefamilias in alterius arationem successio, *vices*. Sic *vices excipere*, succedere, Phædro 2, 8. Idem de veteribus Ægyptiis Herodotus 2, 168. Ταῦτα μὲν (τὰ ἱερήων γέρα, ἄρουραι) δὴ τοῖσι ἅπασι, ἦν ἐξαραιρημένα· τάδε ἐν περιτροπῇ ἐκαρποῦντο, καὶ οὐδαμᾶ αὖτοί· scilicet ἐν περιτροπῇ *per vices* est, ἐκ περιόδου. Simile quid de Dalmatis Strabo, etsi vices istæ octo annorum essent libro 7. p. 315. Ἴδιον δὲ τῶν Δαλματίων, τὸ διὰ τῆς ὀκταετηρίδος χώρας ἀναδασμὸν ποιεῖσθαι. GRON. Recte Gronovius vulgatum defendit. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *in vices*. In ed. Spir. *vices* sine præpositione. Frustra tentant *per vicos*. *Per vices* primum reperi in ed. Puteol. ERN. *In vices* etiam ed. Rom. Recipio cum Bip. MS. Humm. *vice*, quod præfert Longolius. Alii, Lall. Brot. Ern. in ed. 1. dederant *per vices*.

*Amplitudine soli labore contendunt*] Columella R.R. 1, 3. *Acutissimam gentem Pænos dixisse convenit, imbecilliorem agrum, quam agricolam, esse debere: quoniam, cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum.* GRON. Edd. Bonon. Spirens. Put. Rhag. Beroald. Put. Rhen. 1519. *laborare;* sed post *labore* edidit. ERN. Sic et ed. Norib. et Rom. it. MS. Humm. et Long.

*Prata separent*] Sic vett. edd. Rhenanus a. 1533. edidit *sepiant*, e libro nescio quo. Illud restituit Pichena. Si libri plures faverent, *sepiant* non spernerem. Virgil. G. 1, 270. *segeti prætendere sepem*, inter labores rusticos ponit et rigandi curæ jungit. ERN. *Sepiant* Cluverio et aliis placuit. Ortum vero est ex negligentia Rhenani, qui in margine libri sui ex ed. Norib. notarat *seperent*, sed litteras non amplius satis dignoscere postmodum potuit. Patet hoc ex nota: "Nisi fallant annotatiunculæ quondam excerptæ, legitur illic *et prata sepiant.*" Vitiosum illud *seperent* habet et ed. Rom. item MS. Long. et Humm. In hujus etiam margine librarius addidit *secent*.

*Intellectum habent*] Tres partes tantum ab iis intelliguntur, tres tantum sciunt. ERN.

*Operosum honorem*] *Peroperosum* edd. Spir. Put. Ber. *Operosum* e cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edidit Rhenanus, ut mox, *ut gravem defunctis*, pro *et gr.* quod in Beroaldi ed. vitio operarum irrepserat: nam priores omnes *ut gr.* item MS. Turic. Mox *deponunt* MS. Arund. quod e repetitione præcedentis syllabæ ortum. ERN. Ed. Rom. etiam *operosum*.

*Viris meminisse*] Acute. Seneca communiter ita præcipit, epistola 100 (99). *Vir prudens meminisse perseveret, lugere desinat.* LIPS.

gentium instituta ritusque, quatenus differant, quæ nationes e Germania in Gallias commigraverint, expediam.

XXVIII. Validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum D. Julius tradit: eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc et nulla regnorum potentia divisas? Igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque et Mœnum amnes Helvetii, ulteriora Boii, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc *Boihemi* nomen, significatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Sed utrum Aravisci in Pannoniam ab Qsis, Germanorum natione, an Osi ab Araviscis in Germaniam, commigraverint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus utantur, incertum est; quia, pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripæ bona malaque erant. Treveri et Nervii circa

*Divus Julius tradit*] Bell. Gall. 6, 24. ERN.

*Potentia divisas*] Codex ille ipse, *diversas*: quod probum scio. LIPS. Sic et ed. Spirens. ceteræque ante Rhen. Is primum a. 1519. pro varia lectione in margine, deinde a. 1533. in textu edidit *divisas* e cod. Artolphi, quem nos Kapp. vocamus. ERN. Est editio Norib. quacum consentit et Romana. Conringius planius putat *divisas*. Sic et Lall. Brot. Longol. Contra Bip. placet *diversas* i. e. disjunctas.

*Mœnumque*] MS. Arund. *Mœnim*; quam terminationem a Mela 3, 3. firmari notat J. Gronovius. Et sic edidit Rhen. a. 1533. cum sequentibus. At Spir. Put. Ber. (et Rhen. 1519.) *Mœni*. Primus Lipsius e meis edidit *Mœnum*, nescio an casu: quod tamen est in cod. Kapp. Itaque servavi *Mœnum*, etsi magis inclino h. l. in *Mœnim*. Certe hoc loco pro altera terminatione non licebit uti cum Cellario in Geogr. Antiqua. ERN. Lipsius *Mœnum* hausit e Farnesio, quod ipse indicat in notis ad ed. 1. Ita et ed. Rom. habet et Nor. Scrupulum jure hic movent Schwarzius et Longolius, unquamne ad Mœnum usque habitarint Helvetii? Itaque ille in designatione veteris Helvetiæ finium longius protrahendorum legi jubet *Œnum*; hic in Diss. 42. de Hermunduris et in Collect. Diss. p. 363. substituit *Lemanum*, conjectura eo magis probabili, quod et Cæsar, quem ipse Tacitus laudat, Lemanum nominat B. G. 1, 2.

*Manet adhuc Boiemi nomen*] Latere aliud videtur in scriptura Bambergensi, *manet adhuc Boiis e munere nomen*. Scribo, *manet adhuc Boiasmi e re nomen*, vel *Boyasmum e re*. Apte ad hæc vestigia, et rem ipsam. Strabo quidem 7. p. 290. clare Βοϊάσμου regiam Marobodui nominat: quam dictam a Boiis vult nunc noster. Possis et *Boyaimum* scribere, verius propiusque ad etymon, quasi Boiorum domum. LIPS. Omnes edd. *Boiemi*: solus cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Boihemi*. ERN. Ed. Rom. *Bohiemi*. Recte Bip. recepere *Boihemi*. Vell. Pat. 2, 109. habet *Boiohemum*.

*Loci veterem memoriam*] Voculam inserit Bambergens. *veterem viæ memoriam*: qua quid faciam, sum incertus. LIPS. Colerus inde facit: *et veterem vicinia memoriam*. ERN.

*Aravisci .. ab Osis*] *Arabiscos* in Pannonia inf. locat Ptolem. 2, 16. *Osos* hic noster Germanorum nationem dicit, infra c. 43. negat. Longolius in Humm. MS. reperit *aboiis*, in suo *abois*, mox etiam Humm. MS. habebat in margine *boi*, secunda manu obliteratum. Non dubitavit proinde Longolius in textum recipere *a Boiis* et deinceps *an Boii*. Verum sic secum pugnaret ipso hoc capite Tacitus, quum minimo intervallo Boios Gallicam Germanicamque nationem diceret. Quin locus ægrotet, vix mihi dubium; medicina Longolii ad sanandum non sufficit.

*Treveri et Nervii* etc.] Edd. ante Rhen. 1533. omnes *Neruli*. Mox ed. Kapp. (s. ed. Nor.) *affectionem*: quo verbo noster etiam supra usus est. Item edd. ante Rhen. *Germaniæ*. ERN. Ed. Norib. *Neruli*. Sic et ed. Rom. unde

adfectationem Germanicæ originis ultro ambitiosi sunt, tamquam, per hanc gloriam sanguinis, a similitudine et inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes. Ne Ubii quidem, quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius *Agrippinenses*, conditoris sui nomine, vocentur, origine erubescunt, transgressi olim et experimento fidei super ipsam Rheni ripam conlocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

XXIX. Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis, colunt, Cattorum quondam populus et seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani Imperii fierent. Manet honos et antiquæ societatis insigne: nam nec tributis conte-

manus recentior fecit *Heruli*. Rhenanus in ed. 1519. ad marginem posuit: "leg. *Nervii*, quos Tornacenses putamus esse." Dein ed. Rom. *affectationem*. Treverorum patriam veram fuisse trans Rhenum ad utramque Loganam, docent Crollius et Chr. Jac. Kremerus. V. Bip. notam ad H. 4, 37.

*Triboci*] Male vulgo *Treboci*. Ed. Rom. et Nor. *Triboci*. De nomine ipso v. Schœpflinus Als. ill. t. 1. p. 1. 134.

*Ubii quidem erubescunt*] Immo vero, *non erubescunt*. Quamvis, inquit, Ubii nomen mutarint, colonico jam jure libentius Agrippinenses dicantur, a conditore: tamen nec Germanicæ originis eos pudet, libenterque se iis inserunt. LIPS. Meo judicio Gruterus hic πέπνυται. τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Sic et ipsi olim conjeceramus. *Origo* sine dubio est avita statio et incolatus Germaniæ, antequam colonia fierent. Nam pudere quemquam populum, quod coloniæ Romanæ honorem adeptus esset, præsertim Ubios (qui essent sponte translati, *ut arcerent, non ut custodirentur*; non ut essent in obsidione ipsi, sed ut seque commodius tuerentur ac fines Romanos, et virium imperantis populi pars, non servientium accessio, forent: qui inter Vitellii et Vespasiani arma Galliarum simul et Batavorum defectione et conjuratione grassante tam constantes in fide atque integri manserint et specioso nomini libertatis præsentia præstulerint: qui denique Agrippinenses quam Ubii vocari mallent) nemo Romanorum, illo utique seculo, diceret. Necessario igitur requiritur negandi particula; quam melius poni a fronte hujus orationis, quam ubi Lipsius inseruit, non obscurum esse censeo consideranti τὸ *quidem*. Hoc libro: *ne fratribus quidem mansuram concordiam*. Ne Ubii quidem, inquit, patriam ejurant aut Germanum sanguinem sedemque veterem diffitentur; etsi ad id nobilitatis evecti, ut jus coloniæ meritis et beneficiis erga Populum Romanum impetraverint, placeantque sibi magis, cum Agrippinenses, quam cum Ubii, salutantur. Est autem hæc nimium vulgaris vanitas et hominum et populorum, ut successibus suis deesse auctoritatem existiment, si humiliora prima incrementa confiteantur. GRON. Nempe Gruterus legi volebat *Ne Ubii quidem*, e vestigiis ed. Spirens. in qua *Nubii*. Quia sic etiam MS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ed. Pogg. resque per se evidens; eam correctionem merito recepi. ERN. Frustra negationem respuit Longolius. Totus loci nexus eam requirit. Ed. Rom. quoque, item MS. Long. et a rec. manu Hummelii habent *Nubii*.

*Conditoris sui nomine*] Agrippam intelligit, qui Rhenum eos primus traduxit et in iis sedibus collocavit. Ille tamen non est Coloniæ conditor, neque auctor nominis; sed ab Agrippina id habent, ejus filia, ut Tacitus clare A. 12, 27. scripsit. Itaque dubitavi, num *conditoris suæ* legerem: neque novum, ejus flexus verba in fœmineum etiam genus usurpari, Virgilius de Junone 12, 159. *Auctor ego audendi*. Ovidius de Venere Heroid. 16, 114. *Sponsor conjugii stat Dea picta sui*. Et plura sunt ejusmodi. LIPS. Mox MS. Turic. *custodirent*. ERN. De Colonia Agrippina v. et H. 4, 28.

*Ant. soc. insigne*] Apud Grut. p. 73, 9. CIV. BATAVI. FRATRES. ET. AMICI. P. R.

*Nec tributis contemnuntur*] Sive con-

mnuntur, nec publicanus adterit: exempti oneribus et conlationibus, et tantum in usum prœliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. Est in eodem obsequio et Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo Populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos, Imperii reverentiam. Ita sede finibusque in sua ripa, mente animoque nobiscum, agunt, cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo et cœlo acrius animantur. Non numeraverim inter Germaniæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Levissimus

*tinentur.* In promptu erat, *conteruntur:* sed parum elegans, cum idem verbi statim sequatur, *nec publicanus atterit.* Ferri et vulgata potest. Nam, quibus tributa imponuntur, hoc ipso, ut victi, pro contemtis habentur et despretis. Steph. Pighius in Hercule Prodicio (p. m. 13.) mallet, *contenuantur.* Lips. Post omnes τὸ ἐπὶ φαχῇ μῦρον Lud. Aurelius, *consternantur.* Recte Colerus, (qui vulgatum eleganter dictum putat) et δευτεραι φροντιδες Lipsii. Placuit antiquis verba λόγου τόν τε σιγώμενον καὶ ἔνδον ἐπιστρεφόμενον καὶ τὸν προφερόμενόν τε καὶ ἀκουόμενον, oris puta vocem aut animi sensum significantia ita transferre interdum, ut facta demonstrent. Ut *objurgare ferula, colapho, flagris, laudare armis* supra hoc libro, *increpare saltu* apud Florum 1, 1. *petauroque jubente modo superior* (ubi male conjiciunt *juvante*) apud Petronium (Fragm. p. 674. ed. Burm.) *jussum æs spirare caminis* Statio et similia. *Laudare armis* est in honorem alicujus collisis armis sonitum edere, quod valet atque est pro laude. *Increpare saltu,* transsilire, quod signum est arguentis atque improbantis et opus et vetitum. *Objurgare flagro,* severe atque aspere accipere verbere, ut verbis et vultu fit in jurgio. Sic *tributis contemnere* est tributa imponere, quod est insultantium victis et pro vilibus, ignavis, obnoxiis eos tractantium et contemnentium. Velleius 2, 39. de Galliis: *quippe ejus ductu auspiciisque infractæ pœne idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt stipendium:* quod etiam frustra tentatur. *Ignavum stipendium,* quod argumentum est in bello segnes minusque fortes constantesque fuisse atque esse, quod non facerent, si viri essent. Ipsum verbum etiam sic Cicero 4. ad Attic. 16. *In monumentum illud, quod tu tollere laudibus solebas, ut forum laxaremus et usque ad atrium Libertatis explicaremus, contempsimus sexcenties sestertium:* id est, vile habuimus, et libenter erogavimus, impendimus, unde apparet, tantum pecuniæ præ istius monumenti adjectione ad aream fori Cæsariani vile nobis et contemptum fuisse. Simillimum Claudian. de bello Get. 178. *facili contemptum Strymona saltu.* Gron. Alterum, *nec publicanus atterit,* pertinet ad vectigalia, quæ publicanis locantur. Sensus ergo est, a tributis et vectigalibus liberi sunt. MS. tamen Turic. *conteruntur.* Ern. Lips. in marg. ed. quintæ habet *contunduntur.* Crusius volebat *consumuntur,* Rhen. *condemnantur. Conteruntur* placebat Ursino.

*Mattiacorum*] Leibnitio videbatur legendum *Marsaciorum* vel *Marsacorum,* de quibus supra H. 4, 56.

*Ultra Rhenum*] Ergo non sunt *Mattiaci* (ut doctis viris visum) qui nunc Zelandi appellantur; etsi *Matiorum* vox, familiari appellatione, inter eos duret. Taciti hæc lustra: abnuet, atque ultra Rhenum propinqui Batavis, an ubi pars *Northollandiæ* nunc est et vicini sinus? Lips. Cf. Cluver. Germ. vet. 3, 7.

*Acrius animantur*] Quia mari et frigori propiores. Neque opinor equidem vel ex hoc Taciti loco, Zelandos esse, sed *ultra Rhenum,* Septemtrionem versus populos: qui nunc in Frisiis, aut *Northollandis* censentur. At mare multa abrasit. Lips. *Acrius anim.* i. e. animosiores ferocioresque sunt. Ern.

*Non numeraverim*] Edd. Spir. et seqq. ante Rhen. *numeramus.* Is *numeraverim* e cod. Kapp. edidit. Ern. Sive ed. Nor. Sic et ed. Rom. et MS. Long. Rhenanus in marg. ed. 1519. "alias *connumeraverim:*" vitio typographi, puto, ni fugientes litteræ in margine deceperint istum.

*Qui Decumates agros*] Errare censeo, qui proprium hic gentis aut loci nomen quærunt. Quomodo vero iidem populi sive agri, trans Rhenum et Danubium simul sint? quod tamen ponit noster.

quisque Gallorum, et inopia audax, dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acto, promotisque præsidiis, sinus Imperii et pars provinciæ habentur.

XXX. Ultra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis ac palustribus locis ut ceteræ civitates, in quas Germania patescit: durant siquidem colles, paullatimque rarescunt: et Cattos suos saltus Hercynius prosequitur

Ego communiter Decumates agros interpretæ, qui decumas solvunt. Cicero Decumanos dixit Verr. 3, 6. *Omnis*, inquit, *ager Siciliæ decumanus est.* Nam hi agri non aliud sunt, quam trans limitem capti ab hoste, et militibus dati, si qui ex iis fructus. Qui haud multi aut uberes, quoniam hostibus expositi, et, ut ipse ait, dubiæ possessionis id solum. Tacitum de his ipsis loqui ego sentio A. 13, 54. *Frisii imbellem ætatem admovere ripæ, agrosque vacuos et militum usui sepositos insedere.* Hos ipsos agros non fructu tantum, sed mancipio militum esse jussit Imp. Alexander: de quo Lampridius c. 58. *Sola, quæ de hostibus capta sunt, limitaneis Ducibus et militibus donavit, ita ut heredum essent, si heredes militarent; nec unquam ad privatos pertinerent. Addidit sane his animalia et servos, ut possent colere quod acceperant.* Videntur autem id securitatis causa fecisse Romani, et ne hostes aut suspecti prope colerent. Itaque vacua loca, ad multa milliaria, sæpe relinquebant. In Fragm. Dionis LXXIV. (72, 3.) Commodus Imp. Buris populis Germaniæ ea lege, inter alias, pacem dat: Ὥστε μὴ ἐνοικήσειν ποτὲ, μήτε ἐνιέμειν τοσαυτάκοντα στάδια τῆς χώρας σφῶν, τῆς πρὸς τῇ Δακίᾳ οὔσης. De Germanis priscis Cæsar simile 6, 23. LIPS.

*Mox limite acto promotisque præsidiis*] Certe *promotis præsidiis* dixit Tacitus, et tamen *limite acto*: non *aucto*. Proprium enim id verbum, et non potest sine culpa mutari. Agrimensores pag. 3. *Sabinorum ager, qui dicitur Quæstorius, cum limitibus actis diviserunt.* Pag. 19. *Itaque limitibus actis cum centuriæ eximerentur.* Pag. 162. habes *limites actuarios* et *lineares*. Et, *hi qui sunt per viam publicam militarem acti.* Pag. 187. *Multi perpetuos limites egerunt.* Et sequenti: *plurimum enim agentibus præstat acti limitis perpetua rectura.* Pag. 263. *quem actis limitibus quibusque laterculis quinquagena jugera inclusserunt.* Frontinus 1. Strateg. 3, 10. *limitibus per* 120,000 *passuum actis*: et cap. 5, 10. *ab altera limitem agere cæpit, tanquam per eum erupturus.* Sic utrobique recte P. Scriverius. Alludunt Virgilius 10, 513. *latumque per agmen Ardens limitem agit ferro.* Ovidius de arte 3, 558. *idem limes agendus erit.* Et imitati Silius 9, 379. ac Statius. Quid autem hic proprie sit Tacito *limes*, cognosces ex dictis ad A. 1, 50. Hoc ergo significat, extra præsidia Romana, quippe trans Rhenum Danubiumque, jacuisse spatium campi diu incultum, dum et Romani omittunt, neque barbari, quippe nimis vicinum castellis et præsidiis ripensibus, vindicare audent: donec ab hominibus quibusdam temerariis et inopia audacibus occuparetur concessu quodam et conniventia hinc Romanorum, inde Germanorum: tandem transgressos utrumque amnem Romanos, nec contentos naturalibus terminis vindicasse alteram ripam, et, quatenus ipsis visum fuit, limitem egisse manu, qui barbaricum a Romano discerneret, ac promovisse præsidia; quem intra limitem quæque intra præsidia recepti decumates isti agri cultoresque pars provinciæ Germaniæ Romanis et *sinus Imperii*, hoc est, extremum et quasi reconditum aliquid habeantur. GRON. De *sinu* add. Obs. 1, 4. *Aucto* Lipsius tantum pro conjectura in margine posuit: male recepit Pichena. Ne Latine quidem dici puto *limitem augere*, sed *proferre, promovere.* ERN.

*Durant siquidem* etc.] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. ceteræque ante Rhen. ed. 1533. interpungunt post *durant*, idque ad præcedentia referunt: quomodo et Alb. Kranzium (in præf. ad Saxon.) laudasse hunc locum monet Colerus; et deinde exhibent *paullatim* sine *que*. Rhenanum sic ex ingenio edidisse patet. Ceterum, etsi illa quoque vetus interpunctio et lectio bonum sensum fecit; tamen ei recentiorem præfero, quod in illa deberet esse copula ante *non*. ERN. Ed. Rom. quoque post *durant* punctum majus locat. *Paullatim* sine *que* Rhenanus ex Beroaldina ed. dedit: sic et Put. item ed. Rom. et Norib.

simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus et major animi vigor. Multum (ut inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre inpetus, disponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in Duce, quam in exercitu. Omne robur in pedite, quem, super arma, ferramentis quoque et copiis onerant. Alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum: rari excursus et fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam,

*Disponere diem*] Persius Sat. 5, 43. *Una opus et requiem pariter disponimus ambo.* Plinius ep. 9, 36. *Quæris, quemadmodum in Thuscis diem æstate disponam.* Idem *ordinare diem* Senecæ ep. 12. GRON.

*Nec nisi ratione disciplinæ*] Bambergensis, *nec nisi Romanæ disciplinæ.* Et neutram sane lectionem jure spernas. LIPS. Teneo mordicus, ut olim, Bambergensem. *Concessum* est a fatis datum. Ut 13, 46. *sibi concessam dictans nobilitatem, pulchritudinem, vota omnium et gaudia felicium.* Silius 1, 13. *propiusque fuere periclum, Quis superare datum.* Nec mirum, Romanos scriptores fatorum erga se indulgentiam prædicare. Livius in persona Asdrubalis 30, 42. *Raro simul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari. Populum Romanum invictum esse, quod in secundis rebus sapere ac consulere didicisset.* Tacitus A. 13, 56. *Id Diis, quos imploraverat, placitum, ut arbitrium penes Romanos maneret.* Ita ergo, ait, etiam Romanæ disciplinæ a fatis maximum telum ad res gerendas datum, ut scirent plus referre qui regerent, quam quot regerentur. Livius 2, 39. *ut facile appareret Ductibus validiorem quam exercitu rem Romanam esse.* Eodem pertinet Severi dictum in Britannia ap. Spart. 18. *Tandem sentitis caput imperare, non pedes.* Imitatur autem et Livii 24, 37. *vir acer et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide sociorum, reponeret.* GRON. *Romanæ* etiam MS. Arundel. idque et ipse verum puto. Vulgati sensus est: nec cuiquam nisi per disciplinam contingit: quod quorsum additur, cum per se intelligatur? Schelius emendabat *ratione ac disciplina;* eodem sensu: ad Hygin. p. 110. Infra c. 32. *disciplinæ ars.* ERN. *Ratione* ed. Rom. Norimb. Put. quod Longolius verum arbitratur. Bipontini ambigunt. *Romane* habet quoque MS. Humm. *Dux acer* est ap. Liv. 2, 42.

*Copiis coonerant*] Certe per *copias* intelligit et cibaria et quæ salubris in castris cura corporis desiderat, et, si necesse sit, vallum. Id onus barbaræ nationes detrectabant. Cur enim potissimum Virgilius G. 3, 347. *Non secus ac patriis acer Romanus in armis Injusto sub fasce viam dum carpit.* Cur potissimum *acer* Romanus sub injusto fasce, si nihil hoc apud quasvis gentes novi? Eundem in Romano milite imputat declamator apud Fabium 3, 16. *Nemo nostrum recusat itinerum laborem, nec injustum super arma fascem:* ut ibi legendum docebamus. Jam *copidis* (ut corrigit Barthius Adv. 23, 16.) quasi a *copida*, quæ κοπὶς est, quale? copides vocem veteris linguæ Gallorum esse? atque hoc tradere Plutarchum, apud quem hoc tantum est: τοῦ μὲν ἴφθασε διηρμένου κοπίδα τῷ ξίφει τὴν δεξιὰν ἀποκόψας. GRON. *Coonerant* edd. Spirens. et seqq. omnes ante Lipsium, qui tacite edidit *onerant:* cui vetus statim substituit Pichena, a quo ad sequentes pr pagatum est. Quia cod. Kapp. (s. ed. Nor.) habet *onerant;* deinde *coonerare* nullo exemplo dicitur; denique frigidus pleonasmus esset, cum jam *quoque* abundet (non tamen contra morem Taciti elegantiorumque *onerant* restitui, ut supra H. 1, 5. *adspernantes*, pro *coadspernari*, ad quod frustra Pichena provocat. Syllaba *co* nata est e voce præcedente. ERN. In simplici *onerant* consentiunt MS. Long. et Humm. item ed. Rom. Barthii *copidis* nihili est.

*Cito cedere*] Intell. *victoriam*, non hosti: ne tirones errent, mox *velocitas juxta formidinem*, est, similis formidini; ut alibi *juxta libertatem* esse dixit Imperium Romanum. ERN.

cito cedere. Velocitas juxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est.

XXXI. Et aliis Germanorum populis usurpatum rara et privata cujusque audentia, apud Cattos in consensum vertit, ut primum adoleverint; crinem barbamque submittere, nec, nisi hoste cæso, exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum. Super sanguinem et spolia revelant frontem, seque "tum demum pretia nascendi retulisse, dignosque patria ac parentibus" ferunt. Ignavis et inbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se cæde hostis absolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamque canent insignes, et hostibus simul suisque monstrati: omnium penes hos initia pugnarum: hæc prima semper acies, visu torva. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli

*Rara est privata aud.*] MS. Turic. *raro.* ERN. Sic et ed. Rom. Contra ed. Nor. Put. Rhen. *rara.*

*In consensum vertit*] Groslotius e vetere cod. laudat *conventum.* ERN. Ed. Rom. Norib. Put. *consensum.*

*Nec nisi hoste cæso*] Hoc teneo, præ eo quod scriptis, *nec non hoste.* At de more ipso, supra dixi. LIPS. Ad H. 4, 61. ubi exemplum Cl. Civilis.

*Frontem*] Sic ed. Rom. et Nor. Contra Put. Rhen. 1519. *frontes*, sed in marg. al. *frontem.*

*Ignominiosum*] *Sit ominosum* mallet Herelius. Placeret id Antonio in notis ad vers. Germ. si, quæ sequuntur de servato habitu, etiam ad ferreum annulum pertinerent. Verum hæc oris habitum modo respiciunt, ut et Ernestio visum. Contra Bip. *insignes* maxime *annulo* isto votivo fuisse putant. Sic jam Dithmarus senserat.

*Plurimis hic placet habitus*] i. e. conservant hunc habitum oris atque squalorem, velut perpetuo voto obligati et in omnem vitam, non in unam pugnam. Vid. not. seq. ERN.

*Jamque canent insignes*] Conjiciebam: *Jamque canent insignibus his hostibus simul suisque monstrati.* Et sunt, inquit, jam cruda senectute quidam canescentes, *his insignibus*, nempe squalore crinium et annulo ferreo ex voto tali sumptis, conspecti ac notabiles tam suis quam hostibus. Non enim tantum eam adolescentium disciplinam esse significat, sed et provectioris ætatis, quoties scilicet hostis exoriri visus, et bellum exspectatur; aut etiam quoties libuit sumere superbiam meritis quæsitam aut fiduciam ostentare. GRON. Sensum commodum Gronoviana emendatio facit: sed auribus meis durum est *insignibus his hostibus.* Vide an mollius sit: *Itaque canent insignes et host.* i. e. et ita, hoc squalore, hoc oris habitu, insignes ad canitiem manent, etiam canentes videre licet. Sequentia explicant τὸ *insignes.* Possis etiam insuper conjicere *manent;* quod tamen necessarium non puto. *Itaque* et *jamque* confundi in libris docet Drakenb. ad Livium 7, 40. Heinsius ep. ad Græv. t. 4. p. 164. Coll. Burm. *Jamque cani* (i. e. canuntur) *ut insignes, et—monstrari:* quod probat Grævius p. 170. non ego. ERN. Bip. conjiciunt *jamque calent—monstrari*, i. e. vehementer optant: ut ap. Stat. Theb. 4, 261. *tubas audire calens.* Ed. Rhag. habet *cavent...monstrari.* Medicinam loco depravato jam Lipsius optabat in notis ad ed. 1.

*Visu nova*] Ratio adjecta videtur poscere, *visu non nova.* Quare? quia eodem cultu habituque, barbis puta ac crinibus submissis annulisque ferreis; virtutem promittentes et ante bellum visi sunt, neque alio vitæ genere, quam armis tractandis, se mitiores mansuetioresque præstiterunt. GRON. Eadem mens Freinshemii, qui corrigit *nota.* ERN. Hiller. Racem. 4. *sæva* volebat; Bernegg. *torva:* hoc recepere Bip. bene, sequor. Sic Curt. 3, 2. *Macedonum acies torva.* Conringio *nova* erat *mira.* Sed *torvo* melius respondet *vultus mitior.*

*Vultu mitiore mansuescunt*] MS. Arund. *cultu*, ut placebat Pichenæ. Quia tamen sermo de habitu oris, quod efferabatur submittenda barba, et *mitior* aptius verbum vultui, quam cultui, vulgatum servandum puto, cui et alibi *cultum* in libris substitui vidimus. Illud forte probabilius conjicias: *in vultum*

domus, aut ager, aut aliqua cura: prout ad quemque venere, aluntur: prodigi alieni, contemptores sui: donec exsanguis senectus tam duræ virtuti inpares faciat.

XXXII. Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Usipii ac Tencteri, colunt. Tencteri, super solitum bellorum decus, equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere majores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc juvenum æmulatio, perseverant senes: inter familiam et Penates et jura successionum equi traduntur: excipit filius, non, ut cetera, maximus natu, sed prout ferox bello et melior.

XXXIII. Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamavos et Angrivarios inmigrasse narratur, pulsis Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum; seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum: nam ne spectaculo quidem prœlii invidere: super LX millia, non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat, quæso, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui, quando, urgentibus Imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.

*mitiorem mansuescunt*: saltem Tacito non indignum sit. Ceterum et vulgatum ferri potest. ERN.

*Aut aliqua cura*] Heins. volebat *aut alia*. Herelius *aut thalami*. Eos quippe annuligerulos cœlibes fuisse verosimile putat.

*Alveo*] H. malebat *alvei*.

*Non ut cetera*] MS. Turic. *non ut extat*, quod vulgato præfero: et sæpe observavi in verbis ab istis syllabis incipientibus confusionem in libris antiquis: ut in *ceteri*, *exteri*. Ed. Spir. quoque hic habet *extera*. ERN. Ed. Rhag. *extra*. Sed ed. Rom. et Norib. item MS. Long. et Humm. *cetera*.

*Ferox bello et melior*] Acidalius bene, *ferox et bello melior*. ERN. Emendatione non opus: *bello* ad utrumque pertinet *ferox* et *melior*. Sic recte Longol. Cf. et Cort. ad Sall. Jug. 13.

*Penitus excisis*] Hoc falsum. Occurrunt Bructeri sequentibus sæculis, ut apud Claudianum de IV Cons. Honorii v. 452. Cf. Cluver. G. Ant. 3, 13.

*Nam ne spectaculo quidem prœlii invidere*] Int. Dii. Sensus est: Dii non modo hoc nobis dedere, ut Germanos vinceremus ipsi, sed etiam hoc nobis voluptatis concessere, ut spectatores otiosi esse potuerimus prœlii, in quo LX amplius millia hostium suis armis cecidere, ut eo spectaculo possemus oculos pascere, sicut, cum gladiatorum pugnas in amphitheatro delectationis caussa videmus: de forma loquendi *invidere spectaculo* ad Annales dictum. ERN.

*Urgentibus Imperii fatis*] Scriptus liber non male, *vergentibus*. LIPS. MS. Arund. *quando in vergentibus*: MS. Turic. ed. Spir. cum seqq. ante Rhen. *quando in urgentibus*. J. Gronovius e vet. ed. citat *quando jam urgentibus*: putatque legendum, *qu. jam vergentibus*, ut A. 12, 44. *vergentibus jam annis*. Vulgatum est a Rhen. qui e vetere ed. (nos vocamus cod. Kapp.) duxit. Nec, quid in eo displiceat, video. V. ad A. 5, 3. ubi similiter Lipsius *vergens* præfert τῷ *urgens*. Sed tamen *urgens fatum* etiam Livius dixit 5, 36. *jam urgentibus Rom. urbem fatis*. V. Duker. ad 22, 43. et similiter centies alii. Itaque nihil mutandum puto. ERN. *Urgentibus* ed. Rom. et Nor. item MS. Long. et Humm. Huetius conjiciebat *vigentibus*, quod expressit in versione Gallica Bleterius, quia, cum ea scriberet Tacitus, vigebat Imperium Rom. Sed votum ipsum auctoris sollicitudinem prodit, ex urgentium Imperii fatorum contemplatione prognatam.

XXXIV. Angrivarios et Chamavos a tergo Dulgibini et Chasuari cludunt aliæque gentes, haud perinde memoratæ. A fronte Frisii excipiunt. *Majoribus minoribusque Frisiis* vocabulum est ex modo virium: utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque inmensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illa tentavimus: et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: sive adiit Hercules, seu, quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit: sanctiusque ac reverentius visum, de actis Deorum credere, quam scire.

XXXV. Hactenus in Occidentem Germaniam novimus. In Septemtrionem ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam inmensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed et inplent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri: sine cupiditate, sine inpotentia, quieti secretique, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod, ut superiores agant, non per injurias adsequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac, si res poscat, exercitus; plurimum virorum equorumque: et quiescentibus eadem fama.

*Dulgibini et Chasuari*] Istos Ptol. 2, 11. *Dulgumnios* vocat; hos *Casuarios*, Strabo l. 7. p. 291. *Chattuarios*, Vell. 2, 105. *Attuarios*, Ammian. Marc. 20, 10. *Attuarios Francos*.

*Utræque nationes*] MS. Turic. *Jureque nationis*. ERN.

*Rom. classibus* etc.] Respicit ad expeditionem Germanici, de qua A. 2. initio tradidit, et Drusi patris. Mox MS. Turic. *illac*. ERN. Ed. Nor. et Rom. et Put. *illa*.

*Herculis columnas*] Ad instar earum, quas ad fretum Gaditanum finxere veteres, in Septentrione etiam quærebant. Eo referunt quidam montem *Sevo* Norvagiæ, memoratum Plinio H. N. 4, 13. (27.) cui respondeat alius in Cimbria.

*Referre consensimus*] Scriptus liber, *referre consuevimus*. LIPS. Recepit Pichena. At ceteri libri vett. mei omnes *consensimus*; quos non deseram: cum etiam *consensimus* commode dicatur, faciliusque librarius e *consensimus* fecerit *consuevimus*, quam ex hoc illud. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ante etiam habet *magnum*, non *magnificum*. ERN. *Consensimus* ed. Rom. et Nor. item MS. Long. Contra MS. Humm. et ed. vetus apud Groslot. *consuevimus*, quod recepere Bip. cum Berneggero. *Magnum* habet et ed. Rom. et alia vetus ap. Groslot. item MS. Longolii. Idque forsan verius.

*Druso Germanico*] Freinshemius conjicit *Druso et Germanico*. At Germanicus Oceanum tantum tentavit, ut per eum ingrederetur hostium fines, non ut inquireret de famæ veritate. *Obstitit inquiri* fortasse defendi aliquo alterius scriptoris loco poterit, dicique potest eadem analogia, qua *impediit inquiri*, pro *quo minus inqu.* Sed tamen valde pronus sum in hanc partem, ut Tacitum dedisse putem *inquirenti*, et illud e compendio scribendi natum esse. ERN.

*Ac primo*] MS. Long. *a primo*; quod Long. probat. De *Chaucis* s. Caucis ex professo egit Joh. Schild. 8. Auricæ 1742.

*Exercitus: plurimum vir.*] MS. Turic. *exercitus plurimus vir. e.* Oratio

XXXVI. In latere Chaucorum Cattorumque Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem inlacessiti nutrierunt: idque jucundius, quam tutius, fuit; quia inter inpotentes et validos falso quiescas; ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita, qui olim, " boni æquique Cherusci," nunc " inertes ac stulti" vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. Tracti ruina Cheruscorum et Fosi, consane durior est, et abruptior, etsi ea non est insolens Tacito. An *plurimum* factum est e *plurium*: *exercitus plurium virorum equ.* Ern.

*Inter impotentes*] i. e. vicinos cum habeas, qui propter indomitam imperandi cupiditatem non vident, quid æquum justumque sit, neque dubitant, minus validum per injuriam opprimere. Sic supra de Cattis: *sine cupiditate, sine impotentia.* MS. Turic. habet *impetentes*: quod fortasse nonnullis placeat. Sed inferioris ætatis verbum hoc puto. Laudari quidem etiamnum video in lexicis auctores ejus verbi Varr. R. R. 3, 16. sed ibi recte editur hodie *insectantes*: et Senec. Hippol. 255. ubi verum est *impotens*, quod, a Gronovio editum, ego quoque in Juntina aliisque vett. edd. reperi. Librarii medii ævi, quo in usu erat *impetere* (v. Cangii Gloss. Lat. med. in *impechiare*) libenter hoc verbum, ut alia sibi trita, auctoribus priscis obtrusere. Ern. Ed. Rom. et Nor. *inter impotentis.*

*Modestia et probitas nomina superioris sunt*] J. Fr. Gronovius in nota proxima hæc verba sic παραφράζει: cum res vi agitur, non ii modesti et probi censentur, qui nihil agunt, sed qui sibi temperant tum, cum plus valent et superiores sunt. Quæ sententia est commoda et contextui apta: sed ea desiderat, ut verba *ubi m. agitur*, ad antecedentia referantur, et post ea interpungatur. Alii ad sequentia referunt, et sic fere accipiunt: tum, cum vi opus est (ut adversus hostem, in bello) stultum est, nihil agere, sub specie modestiæ et probitatis, quæ ab illo tempore est aliena. Sed ei sententiæ sane non convenit *superioris.* Unde Tan. Faber P. 1. ep. 22. p. 74. ingeniose *sequioris*, si modo id verbum ita diceretur. Heinsius ad Vellei. 2, 30. 4. corrigit *nomina superiori sunt*, i. e. a potentiore ut inania nomina spernuntur. Adde ep. ad Græv. T. 4. Coll. Burm. p. 539. Ceterum cod. Kapp. ed. Spir. *nomine sup.* MS. Turic. *nomine superiores sunt*: si corrigas *nomine*, sensus commodus exoritur. Ern. Ed. Rom. et Nor. *nomine superioris.* Crenius Animadv. P. IX. p. 230. inprobat expositionem Fabri, et locum ita explicat: ubi vi agitur, quiescentes a superioribus modestos vocari ac probos; sed a fine suo potitis inertes et stultos. Mihi videtur sensus hic esse: victoribus laus modestiæ et probitatis tribuitur; victis contraria vitia inputantur.

*Inertes ac stulti*] Cheruscos ait pace longa et a nemine turbata in torporem segnitiamque solutos, armorum curam intermisisse, imprudenter et majore cum sua voluptate ad tempus, quam in perpetuum securitate. Nam, qui circumdatus hominibus ad injuriam promptis et robustis marcet, nec se parat adversus ea, quæ necopinanti possunt ingruere, non tam quietus est quam obnoxius. Igitur in his quoque tum bonitas videbatur et modestia, contentos suis et nemini graves esse. Et mansisset illis ea existimatio, si post diuturnum illud otium tandem lacessiti fortiter restitissent, et statum tenuissent. Postquam vero succubuerunt, ne prius quidem bene considerata ratione ac tranquillitate insita, sed pravitate consilii et tædio belli laborum quiesse feruntur. Etenim, ubi majorem partem res vi tractantur (ut inter bellicosos Germaniæ populos) non qui sedent, incerto possintne an nequeant μέγα τι καὶ ἐσσυμένοισι συνθέσθαι patrare, probi et modesti censentur, sed qui, cum plus valeant et superiores sint, sibi temperant. *Ita* factum, ut *qui olim boni æquique Cherusci* (dum rebus secundis in alta pace fruuntur et ferociam dediscunt) vocabantur, *nunc* (postquam prosperis corrupti et emolliti atque ad vim sustinendam imparati Cattis cesserunt) *inertes ac stulti vocentur.* Gron.

*Tacti ruina*] Sic in omnibus libris reperi; nisi quod MS. Turic. habet *Chatti.* At mihi nullum dubium est, legendum *tracti*, ut placuit etiam Burmanno ad Lucan. 7, 655. Nam legitima formula est *tracti ruina*; ut etiam ex h. l. video laudari in Ind. Bernec. Noster H. 3, 29. *ruina traxit pinnas.* Ern. *Tracti* voluit et Pichena et recepere Lall. Brot. Bip. Cf. quoque A. 6, 26. H. 3, 29.

*Fosi*] Leibnitius ad Fusam amnem locatos putat. Cluverius 3, 21. credit,

termina gens, adversarum rerum ex æquo socii, cum in secundis minores fuissent.

XXXVII. Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria ingens; veterisque famæ lata vestigia manent, utraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manusque gentis, et tam magni exitus fidem. Sexcentesimum et quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Trajani Consulatum computemus, ducenti ferme et decem anni conliguntur. Tamdiu Germania vincitur. Medio tam longi ævi spatio, multa invicem damna: non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ Gallisæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud

*Sarones* intelligendos, quos hoc loco Ptolemæus habet 2, 11. quum *Fosi* nusquam præterea compareant. Kirchmaierus librariorum mendo irrepsisse judicat *Fosos* pro *Sasis*. Cf. Cellar. G. A. 2, 5. § 59.

*Eumdem Germaniæ sinum*] Vellem, quorum in manu MSS. librorum copia, attentiores hic fuissent. Nam, quin *eumdem Germaniæ sinum* bene dicatur, nemo ambigit: sed, si calamo exarati et fide digni codices *eundem Germaniæ situm* habuere, male omnino mutatum est, nec translaticiæ propinationis sermo est. Vide quæ notavimus ad Plinii hist. nat. 21, 13. Gron. *Situm* habent MS. Vat. Arundel. et codex ap. Rhen. h. e. Kapp. noster (s. ed. Nor.) alia vetus ed. ap. J. Gronov. Nullius sinus ante facta mentio: nec ille sinus Germaniæ, quem descripsit. Eundem situm dicit habere, h. e. versus septentrionem. Itaque sic rescripsi. Mox *lata vestigia* MS. Vat. et edd. vett. quod præfert Broterius. Ern. *Situm* quoque ed. Rom. et MS. Long. *Sinum* Puteol. et sequentes. Hoc præferunt, præter Lall. Brot. et Ern. fere omnes inde a Rhenano, quia et verbum ei est aptius, et *sinum Germaniæ* dicere noster commode potest *Germaniam in Septentrionem ingenti flexu reducentem*, ut habet c. 35. His motus *sinum* reposui. Dein et *lata vestigia* ob consensum MS. Vatic. Long. Humm. et ed. Nor. Rom. Put. etsi non inficior, mihi *late* elegantius multo videri.

*Tam magni exercitus fidem*] A conjectura reposui, cum in libris sit, *magni exitus*. Lips. *Exitus* constanter MS. et ed. vet. Restituo cum Longolio et Bip. Sed cave, intelligas casum, quem tandem habuere Cimbri. *Exitus* est migratio, quæ magna, prodigiosa, fuit. Sic apud Cic. parad. 4. *exitus calamitosus* opponitur *reditui glorioso*. Sic et *exitum sibi parere* Cæsar B. C. 3, 69. Bene Anton. in vers. Germ. reddidit *grosse Wanderung*.

*Non Samnis*] MS. Turic. *Samnites*. Ern.

*Sæpius admonuere*] Recta, immo et sapiens scriptura est. Admonemur in felicitate sortis humanæ per adversa: hoc, inquit, Parthi nobis fecere, ne invictos nos putaremus; neque tamen sæpius, quam Germani. Lips. MS. Turic. *admovere*, plane ut Rhenanus conjiciebat, intellecto *exercitum*. Certe in vulgato interpretando est aliquid contorti et nimis acuti. Ern. *Admonuere* ed. Rom. Norimb. Put. etc. intellige, cladibus, ut alias verberibus, flagro.

*Regno Arsacis acrior est G. l.*] i. e. Germani multo acrius pugnant, quia pro libertate sua pugnant, cujus acerrimi sunt stimuli, quam Parthi, qui pro regno Arsacidarum arma gerunt. Mox cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Put. Ber. *amisso et ipso et ipse*. Prius *et ipso* delevit Rhenanus. Apparet duplicem lectionem in libris fuisse, quæ a librariis conjuncta est; cujus generis jam aliquot exempla vidimus. MS. Turic. quidem habet *amisso et ipso Pacoro*: quod conjecturæ Rhenani prætuli: non quo *ipse* me offenderet, quod elegantius puto; sed quod *et* in illa lectione nimis friget, non in nostra. Ern. Cum ed. Nor. conspirat et ed. Rom. Lall. et Brot. ut Gron. *amisso et ipse Pacoro*. Bip. *amisso ipso Pacoro et ipse i. V. d. O. obi*. De Ventidio vide Gell. 15, 4.

nobis, quam cædem Crassi, amisso et ipso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? At Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Cæpione, Cn. quoque Manlio fusis, vel captis, quinque simul Consulares exercitus Populo Romano, Varum, tresque cum eo legiones, etiam Cæsari abstulerunt: nec inpune C. Marius in Italia, D. Julius in Gallia, Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias adfectavere: ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.

XXXVIII. Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Cattorum Tencterorumve, gens: majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune *Sucvi* vocentur. Insigne gentis obliquare crinem nodoque substringere. Sic

*Cassio et Scauro Aurelio* etc.] Duplex difficultas ex h. l. nectitur. Prima (quam movet Freinsh. ad Flor. 3, 3.) e dissensu Cæsaris B. G. 1, 7, 12. qui Cassium ab Helvetiis, nominatim Tigurinis, pulsum et sub jugum missum tradit. Ei occurrit Pighius in Annal. ad a. u. 646. Add. Oudendorp. ad Cæs. 1, 12. qui bene docet, Gallos sub Germanorum nomine contineri. Altera est e temporis ratione. Nam, cum Scaurus ante Cassium Consul fuerit, e Fastis Cassiodori, Scauri clades Cassiana prior videtur Sigonio in Fastis. Contra quem disputat diligenter Cellarius in Diss. de Cimbris et Teut. § 17. sqq. qui cladem Aurelii Scauri acceptam putat, Scauro legato, non Consule, adstipulante Epit. Liv. 67. et post Cassii Consulatum. Ern.

*M. Manlio*] Freinshemius corrigebat *C.* e Liv. epit. 67. Malc. Verum prænomen est Cn. quod ei tribuitur ap. Ciceronem, consentientibus bonis libris, (loca vid. in Clave Cicer.) inscr. antiqu. ap. Grut. p. 207. In epitome Liviana libri modo *M.* modo *C.* habent, quidam tamen *Cn.* idque recte ibi restituit Drakenb. qui bene monet, huic prænomini sæpe *M.* et *C.* substitui. Consentiunt alii viri docti, ut Cort. ad Sall. Jug. 114. qui tamen *M.* servavit; non bene, cum etiam cod. scr. haberet, in quo *Cn.* esset. Ego verum et minime dubium prænomen, quod Tacitus ignorare nullo modo potuit, (ut nec illud ignoravit, Manlios prænomine *M.* plane abstinuisse) reponere non dubitavi. Secutus exemplum nostrum est Broterius. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Mallio*: quod sæpe est in libris scr. et edd. pro *Manlio*. Idem mox *populi Romani*, male. Ern. Forte tamen nihil mutandum monet Conring. quod talia ἁμαρτήματα μνημονικὰ etiam optimis auctoribus interdum obrepant. MS. Long. expressis litteris *Marco Manlio*. Ed. Rom. *Marco Mallio*, forma Græca, dein et *populi Romani*. Ceterum de prænomine isto v. Cic. Phil. 1, 13. Cf. et interpr. ad Vell. 2, 12. de nomine ipso.

*Proximis temporibus*] Referendum ad Domitiani tempora, qui de *Cattis* triumphum duxit: sed vanum et irrisum. Suetonius c. 6. et noster Tacitus in Agricola 39. *Incrat conscientia, derisui nuper fuisse falsum e Germania triumphum.* Lips.

*Obliquare crinem*] Obliquare crinem, quin significare possit, crispare, non dubito. Sed id non est h. l. ut sequentia verba indicant, quibus hæc explicantur. Obliquantur crines, cum ex ipsis fit nodus, ut bene Salmasius ad Solin. p. 535. Ern. MS. Humm. *obligare.*

*Nodoque substringere*] Quod Suevis proprie tribuit noster, alii Germanis vulgo. Seneca de Ira 3, 26. *Non est Æthiopis insignitus inter suos color, nec crinis ruffus et in nodum coactus apud Germanos virum dedecet.* Idem ep. 124. *Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel, ut Scythæ solent, sparseris.* Martialis etiam Sigambris de Spectac. 3.

Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis, separantur. In aliis gentibus, seu cognatione aliqua Suevorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione, rarum, et intra juventæ spatium; apud Suevos, usque ad canitiem, horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in solo vertice religant. Principes et ornatiorem habent: ea cura formæ, sed innoxia: neque enim ut ament amenturve; in altitudinem

*Crinibus in nodum tortis venere Sigambri.* Idem universe alibi 5, 38. *Rhenique nodos.* Tertullianus cirros in Germanis agnoscit, fortasse ab hac crinium obliquatione et flexu. De virginibus velandis c. 10. *Debebunt et ipsi aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum:* ideo quia, ut hic scriptum, crinem obliquabant. Juvenalis 13, 164. *Cærula quis stupuit Germani lumina, flavam Cæsariem et madido torquentem cornua cirro?* Taciti tamen locum hunece de obliquando crine, fateor, ita etiam capi posse, ut crinem non in rectum passi sint descendere, sed reduxerint in posteriorem verticem et obliquarint. LIPS. Mox male et per vitium operarum *sic* repetitur post *separantur* in edd. Rhen. 1519. sqq. omnibus ante Pichenam: unde nota nata Acidalio. Nam ab antiquioribus et MS. Turic. abest. ERN. Abest et ab ed. Rom. Nor. Put. Acidalius legendum putabat *si in aliis g.*

*Quod accidit*] MS. Arund. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. ceteræque veteres (etiam Rom.) addunt *sæpe:* quod casu omissum restitui. ERN.

*Retro sequuntur*] Si quid video, discrimen non est in numero nodorum, (ut placet Conringio) sed in loco, ubi firmantur nodi: nempe aliis *retrosecus*, sive circa occiput, aliis *in vertice ipso.* Et in vertice autem et retrosecus collecti et renodati vel religati capilli, *cirri*; non posterius tantummodo genus. *Cornua* autem nihil aliud sunt, quam *nodi* capillorum et implicationes. Vide Salmasium ad Solinum pag. 762. (535.) GRON. Nempe idem Conringius putabat, plures nodos capillorum esse *cirros* et *cornua* Germanorum priscis scriptoribus memoratos. *Retrosecus* est ex emendatione Jos. Scaligeri (ad Martial.), quæ et Freinshemio et Conringio placebat. Sed libri veteres in h. l. non consentiunt. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) interpungit post *sequuntur*, et mox habet: *ac sæpe in solo vertice religatur.* (Sic et ed. Rom.) Unde confirmatur suspicio, alterutrum e verbis *ipso solo* esse spurium. Et apparet, *ipso* nasci potuisse facile inter *in* et *solo.* Forte etiam variarunt codd. inter has duas voces, et dein utraque in textu est conjuncta: quod jam aliquoties accidisse in Tacito vidimus. Sed utrumque verbum jam reperitur in ed. Spir. sed eadem cum edd. Put. Ber. (Rhag.) habet *ligant.* Primus Rhenanus edidit tacite *religant* a. 1533. cum a. 1519. *ligant* edidisset, et in margine pro var. lect. notasset *religant*, nescio unde sumtum. Jam locus varie tentatus est. Scaligeri emendationem vidimus. Marcilius sic corrigebat; *retrorsum, ac sæpe in solo vertice ligant.* ERN. *Ipso* deest in ed. Rom. Nor. et MS. Long. Omnino tollendum videtur. Heinsius expungebat *solo.* Groslotius volebat *summo.* Cum Marcilio facit Colerus. Bip. mallent *retrorsum comantur.* Rhenanus ex ed. Nor. in margine libri sui notarat *religatur*, hinc sumsit suum *religant.* Ritus ipsius documenta extant in capitibus æneis antiquis apud Smetium in Antiquit. Neomag. ad p. 70.

*Religant. Principes*] Colerus ornatum Principum de cirris explicat, eoque refert verba Juven. 13, 164. modo citata. Ante *Principes* interpungunt editiones veteres. Freinshemius punctum tollit, legitque *religant Principes et ornatorem habent.* Id cum prisca simplicitate non convenire judicat Conringius. Ast *ornatores* et *ornatrices* ipsis Romanis fuisse in usu, monumenta antiqua loquuntur. Cf. Bianccini Camera ed inscriz. sepulcr. de' liberti, servi ed ufficiali della casa di Augusto. fol. in Roma 1727. n. 60. Persarum aliorumque barbarorum Reges cincinnatos nummi et alia monumenta sistunt; iis ergo ornatoribus fuit opus. De Germanis idem sequa. a apud nostrum suadent.

*Sed innoxiæ*] Muretus et Acidalius corrigunt *innoxia;* recte, ut facile patet e sequentibus: idque et probasse J. Fr. Gronovium, ejus paraphrasis nota proxima docet. Cura noxia esse, malo consilio susceptа esse potest; formæ il-

quandam et terrorem, adituri bella, compti, ut hostium oculis, ornantur.

XXXIX. "Vetustissimos se nobilissimosque Suevorum" Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, cæsoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda pri-

lud attributum non convenit: sæpeque apud poetas querelæ de mala formæ cura. Sæpe jam vidimus, librarios terminationes adjectivorum temere conformasse substantivo proximo. ERN. Reposui cum Bip. *innoxia.*

*Comti, ut hostium oculis, ornantur*] Placet Bambergensis *armentur.* LIPS. Possis suspicari *comati:* sed hæc sententia est: hoc unum formæ adhibent lenocinium, sed innocens: haudquaquam enim, ut vel suam eo pudicitiam prostituant, vel alienæ insidias struant: sed ut staturæ aliquid adjiciant et terrorem sui augeant, hostiumque oculis formidabiliores occurrant, tum maxime comuntur et ornantur, quum in aciem ituri sunt. *Ut hostium oculis ornantur,* id est tanquam hostibus approbaturi terrificam speciem. GRON. *Armantur* etiam cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Ceteri libri mei omnes *ornantur;* quod verum puto. Mihi autem *comti* pro spurio suspectum est; redundat enim: et si illam redundantiam concoquamus maxime, nimis tamen duram orationem facit: quæ mollissima fiet, si legas: *in alt. q. et terrorem, adituri bella, veluti hostium oculis, ornantur.* Probat Broterius. ERN. Ed. Rom. etiam *armantur.* Bip. ita locum refingunt: *ea cura formæ* (*sed innoxia: neque enim, ut amant amenturve, sed adituri bella*) *in alt. q. et t. comti, ut hostium oculis ornentur.* Colerus quoque *adituri bella* eo loco locabat.

*Semnones*] Recte: etsi in Velleio 2, 106. *Senones* scriptum legas, qui cos cum Hermunduris conjungit. In Dionis Fragmentis Electo LXXI. (71, 20.) probissime scriptum erat: Πρὸς Σέμνονας ἐπιχειρῆσαι: de Antonini bello in Quados et Marcomannos. Item Electo XLIX. (67, 5.) Μάνιος ὁ Σεμνόνων βασιλεύς. Late errat vir doctus (Ursinus) qui utrobique Nasamones substituit et edidit, Africæ nimirum gentem. At isti Semnones ad Albim sunt: et manifesto illa Dionis spectant ad Germanica bella. LIPS. Hodie et ap. Velleium *Semnones* eduntur. An etiam Floro 4, 12, 4. hæc scriptura debeatur, ut placet viris doctis, dubium est. V. Duker. ad illum locum. Ptolemæus 2, 11. vocat σέμνωνας. ERN.

*Fides antiqu. rel. firmatur*] i. e. ut credamus gentem antiquam esse, etiam religionis ratio suadet. *Stato* cod. Kapp. (s. ed. Nor.) Rhen. sqq. Mediæ, *statuto.* ERN. Ed. Rom. *stato.*

*Auguriis patrum et prisca formidine sacram*] Legitimus versus longus est (monuit me G. Falckenburgius) sponte effusus, an a veteri Poeta? LIPS. Fortuitus videtur Colero. Et sunt sane et alii tales hexametri in libris Taciti, ut notavimus ad A. 1, 1. sed hunc credo esse e poeta, adscriptumque in margine in textum venisse, ut supra verba Lucretii et versus e Senecæ Octavia. Scriptores prosaici neque *auguria* pro consecratione dicunt, ut h. l. dicuntur, neque *patres* de majoribus, nec denique *formidinem,* præsertim absolute, pro religione. Ceterum versus poetæ cujuscunque ductus est e Virgilii locis. Æn. 7, 172. 608. Locum autem interpolationi dedit forte imperitis librariis, quod existimabant, *silvam* aliquo epitheto egere, nescii id verbum et similia, *lucum, nemus,* simpliciter sæpe dici: sanctitatem e ceteris, quæ tradantur, intelligi. Ap. Virgil. Æn. 8, 104. *solennem rex Arcas honorem Amphitryoniadæ magno Divisque ferebat ante urbem in luco.* Sic noster *silvas* et *lucos* simpliciter dixit supra c. 7. 10. Hist. 4, 22. Sed forte illa tantum verba insititia *religione patrum et prisca formidine.* Ceterum cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *patrium,* et deinde *sacrum.* Post MS. Arund. *nominis ejusdemque s.* Copula etiam est in cod. Kapp. Edd. Spir. sqq. *omnis ejusdem s. p. l. cohærent.* Rhenanus 1533. edidit *coeunt* e cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ERN. Ed. Rom. ubivis cum Norib. conspirat. Lucanus 3, 11. egregie: *Arboribus suus horror inest.* Cf. et supra c. 9.

*Horrenda primordia*] *Primordia* dixit, ut *initia,* μυστήρια. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *horrentia.* Mox post *prolapsus* in MS. Turic. non reperitur *est:* infra idem habet *adducit* pro *adjicit.* ERN. MS. Long. *horrentia.* Ed. Rom.

mordia. Est et alia luco reverentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, et potestatem Numinis præ se ferens: si forte prolapsus est, adtolli et insurgere haud licitum: per humum evolvuntur: eoque omnis superstitio respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atque parentia. Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantium: magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.

XL. Contra Langobardos paucitas nobilitat: plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis et periclitando tuti sunt. Reudigni deinde et Aviones et Angli et Varini et Eudoses et Suardones et Nuithones fluminibus aut silvis muniuntur: nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Hertham, id est, Terram matrem,

vitiose *brotentia*. Eadem *adiciit*. Nor. *adicit*.

*Centum pagis habitantur*] *Habitantur* veteres ante Rhenanum, qui ex ingenio *habitatur* dedit. Vetus restituit Pichena. Aut *habitatur* verum est, aut *habitant* potius. Nam *habitantur* nominativum loci desiderat. Livius 2, 62. *vicis frequenter habitabatur*: 9, 28. *frequenter ibi habitabatur*: ubi v. Drakenb. Broterius conjicit *pagi iis habitantur*; quod est durius: malim *c. pagi habitantur*: si tamen *habitantur* servandum sit. Ern. Bip. ingeniose et vere, puto, *habitantium*: sequor. Sic c. 46. *viventibus*. Immo sic Agr. 11.

*Magnoque corpore efficitur*] Mihi hoc durius et nequaquam Tacito dignum videtur, qui dixisset potius *tantoque*, vel *et magnitudine corporis*. Sed, quo modo corrigendum sit, nondum reperire potui. MSS. duo Vatic. habent *tempore*. Ern. Ed. Rom. et Nor. *corpore*. MS. Humm. *numero*, glossema.

*Paucitas nobilitat quod*] Ita Farnesianus. Vulgo erat, *paucitas nobilitasque*. Lips. MS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Rhen. 1519. *paucitas nobilitas: plurimis* etc. Post Puteol. Ber. edidere *p. nobilitasque: plurimis* etc. Rhenanus deinde edidit *paucitas nobilitasque, quod pl.* ex ingenio. *Nobilitas* verum. *Quod*, ob consensum librorum vett. delevimus; et haud dubie elegantius abest. Ern. Ed. Rom. et Nor. *Longobardos paucitas nobilitas*. Put. *Longobardis paucitas nobilitasque*, id posse admitti judicat Longolius. Sic et ed. Rhag. *Quod* a Rhen. intrusum servat Lall. cum Lipsio, qui bene dedit *nobilitat*. Habet tamen *quod* et Farnes.

*Reudigni* etc.] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Vendigni—Anglii,—Suarines*. *Anglii* etiam Spir. Put. Ber. Pro *Nuithones* Anchersen in Origg. Danic. p. 152. corrigit *Tuithones*, quos Teutonas accipit: quem bene refellit Elsnerus in Comment. Acad. Berolin. a. 1748. p. 459. ipse non magis certa conjectura *Gutthones*, qui et Giothones, Jutones. Ern. Male Rhen. lectionem ed. Nor. s. cod. Artolphi in exemplari suo notarat, fugientibus scil. litteris. Patet ex ejus his verbis: "Pro *Reudigni* videbatur esse *Vendigni*." Verum ista editio, ut MS. Long. clare habet *Veudigni*. Contra Rom. *Reudigni*. Cluver. *Deuringos* s. *Thoringos* intelligebat, ut pro *Avionibus* malebat *Caviones*. V. Germ. Ant. Utrumque probat Lacarrius. Porro ed. Rom. et Nor. et ed. vet. Groslotii *Anglii* item *Suarines*. Dein *Varinos* Procop. B. Goth. 3, 35. 4, 20. *Varnos*, Ptolem. 2, 11. *Virunos*, Lex vetus ap. Lindenbrog. *Werinos* dicit. Pro *Nuithones* MS. Humm. habet *Vuithones*.

*Nec quidquam* etc.] De situ horum septem populorum fœderatorum v. Speneri not. G. A. 5, 4.

*In commune Herthum*] Libri alii *Nerthum*, aut *Verthum*: ego veram vocem censeo, *Ærthum*. Ita enim nostratem eam vocem efferimus scribimusque. Cum adspiratione, focum nobis signet, non terram. Martianus Capella an huc adspexerit, dum Heroes ab Hera derivat, id est terra, nescio. Verba ejus libro 2. *A medietate acris usque in montium terræque confinia Hemithei Heroesque versantur, qui ex eo, quod Heram Terram veteres dixerunt, Heroes nuncupati*. Nam alias certe a crasso errore eum non excuses. Lips. *Nerthum* cod. Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Put. Ber. *Herthum* Rhen. a. 1519. in margine pro conjectura, mox in textu edidit. Alii

colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum: adtingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcunque adventu hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt; clausum omne ferrum: pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem Sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat: mox vehiculum et vestes, et, si credere velis, Numen ip-

volunt *Hertam* vel *Hertham*, feminino genere, quo post de hoc Numine loquitur Tacitus, Deam clare faciens: quod verum puto. Elsnerus autem in Comment. cit. a. 1747. probans hanc formam, negat pro terminatione accusativi habendam ultimam syllabam, sed esse verbum Germanicum indeclinabile *Erdamm* i. e. *Erdamme*, ex *Erd*, terra, et *Amme* mater, nutrix (Hesych. ἄμμα, μήτηρ, τροφὸς, ubi v. Intt. et in ἄμμας), quia Tacitus interpretatur *terra mater*. Mirum est, viro elegantis doctrinæ hoc inventum adeo placuisse. Nam primo, Tacitus semper verbis barbaris Latinam formam induit, ut omnes scriptores elegantes fecere: deinde *Erdamm* ex analogia linguæ Germ. non esset *terra mater*, sed *terræ mater*: denique Tacitus *terram matrem* interpretatur, more loquens Romano, non subtilitate grammatica usus et etymologiam secutus. Ern. *Nerthum* habent et cod. MS. Humm. et ed. Rom. Tacitum scripsisse *Hertham* vel *Ærtham*, admodum est verisimile. Terram matrem certe feminini generis admittebat terminatione congrua. Nec dubito sic reponere, consentiunt Bleterius, Lacarrius, alii. Gebaverus l. c. p. 899. probat Coleri conjecturam, qui ad priscæ linguæ Teutonicæ terminationem scribendum putat *Erthun*. Bip. conjiciunt *Ærthcunne* a *cunne*, mater s. genetrix.

*In insula Oceani*] Kraus in Orig. Mansfeld. selectis capit. p. 16. vel delendam vocem *Oceani* præcipit, vel legendum *in silva Baceni*. Hujus silvæ meminit Cæsar B. G. 6, 10. crediturque pars fuisse Hercyniæ. Alii insulam Rugiam hic intelligunt.

*Castum nemus*] Tentant viri docti *sacrum* vel *vastum*. Senserunt scil. *castum* non satis commodum epitheton esse. Nam *castus* dicitur illud quidem de sanctitate, sed non ea, quæ est a consecratione aliqua, sed quæ ab animo et vita hominis venit: unde *casti* opponuntur sceleratis, culpa aliqua sua aliorumve pollutis, qui et incesti dicuntur, et *casta* sunt pura, nulla re polluta aut corrupta. Igitur, ut silva, non consecrata Diis, non statim incesta, sic nec ea, quæ consecrata sit, proprie *casta* dicitur: et *aqua casta* non est sacra, sed pura, quæ sacris adhiberi possit, ut *incesta* contra, quæ non possit, impura. Potuit tamen fieri, ut, quia sacra debent caste coli, casta servari, id verbum etiam cum altero illo permutaretur. Si quid tamen tentandum, pronior sim ad credendum, hanc quoque vocem e margine in textum venisse: nam profecto commode abfuerit. Quid occasionem interpolationi dare potuerit, dictum ad c. 39. Ern. Ed. Rom. habet *castum* sine *nemus*. Nor. *castum nemus*. Clav. vult *sacrum*. Freinsh. et Conr. *vastum*. Albinus in Meissn. Land-Chronick *varstum*, unde *forst*, satis inepte. Copulam in *dicatumque*, omissam a Lipsio, restituit Pichena. Habent eam ed. Rom. Nor, Put.

*Adesse penetrali*] Per penetrale ipsum vehiculum veste contectum intelligi, facile liquet attendenti. Mox MS. Tur. *multa veneratione*. Ern.

*Quæcunque adventu* etc.] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *quemcunque*: quod non spernam. Pro *adventu* Rhenanus conjiciebat *advectu*: male. V. ad H. 4, 84. De ἐπιδημίᾳ Deæ h. l. sermo, qui est *adventus*. Ern. *Quemcunque* MS. Long. et ed. Rom.

*Templo reddat*] i. e. sacro nemori. Latinis *templum* omnis locus sacer. V. dicta in Clave Cicer. in h. v. Sic et Græcis ἱερόν. Aliud ædes, ναός. Ern.

*Numen ipsum*] Frustra Elsnerus de simulacro Deæ hic cogitare nos jubet, idque credere *lapidem nigrum*, quale si-

sum secreto lacu abluitur. Servi ministrant; quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.

XLI. Et hæc quidem pars Suevorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior (ut, quo modo paullo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia: passim et sine custode transeunt: et, cum ceteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum et notum olim; nunc tantum auditur.

XLII. Juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni et Quadi agunt. Præcipua Marcomannorum gloria viresque, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta. Nec Narisci Quadive degenerant. Eaque Germaniæ velut frons est, quatenus Danubio protegitur. Mar-

gnum Deæ Pessinuntiæ fuit. Quorsum Tacitus addidisset, si credere velis? nam signa Deorum ablui, notissimum. Putabant Germani ipsam Deam, quæ accessisset mortales, velut sordibus inde susceptis, purgari. Infra pro *quid sit illud* MS. Turic. *quid sit id.* Placet Broterio, qui et in textum recepit. (Sic et Bip.) Sed auribus meis durius est *quid sit id, quod*, malim *illud* deleri. Et aliis quoque veterum scriptorum locis reperi pronomina hæc inculcata esse. ERN.

*Servi ministrant*] Ed. Nor. male *Suevi.*

*Hermundurorum civitas*] Fuse de his in Notitia Hermundurorum 8. Norimb. 1793.

*Eoque solis Germ.*] MS. Turic. *eaque sola G.* ERN.

*Colonia passim sine custode*] Distingue, *colonia: passim sine custode transeunt.* Quod ait, sine custode: morem ingerit rarum et notabilem. Romani enim in limite Imperii hoc servabant, ut externum neminem admitterent acciperentve, nisi custode dato et arbitro actionum. Discis ex hoc loco, et II. 4, 64. ubi acris querela de hac re Germanorum, ad Ubios: *Nam ad hunc diem flumina ac terras et quodammodo cœlum ipsum clauserant Romani, ut colloquia congressusque nostros arcerent: vel, quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac prope nudi sub custode et pretio coiremus.* Et in responso Agrippinensium 65. *Sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes:* fuit alioqui et alia Romanorum cautio in hac re, ne conventus haberent suspecti populi, nisi certo loco et numero: idque coram aliquo Romano. Fragmentum Dionis LXXIII. (72, 2.) Commodus pacem Marcomannis et Quadis dedit, sed cum lege, *Ne sæpe aut pluribus locis conventus haberent:* Ἀλλ' ἅπαξ ἐν ἑκάστῳ μηνὶ, καὶ ἐς τόπον ἕνα, ἑκατοντάρχου τινὸς Ῥωμαίου παρόντος: sed semel in mense dumtaxat et in uno certo loco, idque Centurione aliquo Romano præsente. LIPS. Copula *et*, a Pichena e vett. libris addita, est et in Turic. MS. Mox idem liber *c. nostra commendamus his* etc. Colonia Rhætiæ prov. putatur esse *Augusta*, quam vulgo *Vindelicorum* appellant. ERN. Copula *et* deest in ed. Rom. Norib. Rhen.

*Non concupiscentibus*] Refer ad id, quod dixerat, fidos Romanis esse Hermunduros. Scimus eos, etiamsi viderint nostra, tamen fideles mansuros, nec ea, quæ viderint, cupituros. ERN.

*Notum olim*] Quod Romani ipsi vidissent, cognovissent, cum expeditiones in eas regiones susceptæ essent sub Druso et aliis. MS. Turic. *novum.* ERN.

*Narisci*] Ita in Capitolini M. Antonino c. 22. dicuntur: Ptolemæo 2, 11. Οὐαριστοί. LIPS. In cod. Augustano Capitolini *Varistæ* dicuntur. Apud Dionem in excerptis (71, 21.) Ναριστοί

*Danubio prætexitur*] Scriptus liber, *peragitur.* Male. Quidam, *pergitur:*

comannis Quadisque usque ad nostram memoriam Reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marobodui et Tudri genus: jam et externos patiuntur. Sed vis et potentia Regibus ex auctoritate Romana: raro armis nostris, sæpius pecunia, juvantur.

XLIII. Nec minus valent retro Marsigni, Gothini, Osi, Burii: terga Marcomannorum Quadorumque claudunt: e quibus Marsigni et Burii sermone cultuque Suevos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua, coarguit, non esse Germanos, et quod tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut alienigenis, inponunt. Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt: omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium jugumque, insederunt. Dirimit enim scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt: ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in plures civitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet Sacerdos muliebri ornatu: sed " Deos, interpretatione Romana, Castorem Pol-

nec id tam probe. Lips. *Peragitur* etiam MSS. Bamberg. Turic. cod. Kapp. ed. Spir. Ast *pergitur* Puteol. seqq. ante Lipsium: qui unde hauserit *prætexitur*, nescio. *Pergitur* restituit Pichena. Quid! si *pergitur* est natum e *porgitur*, quod per compendium poeticum erat pro *porrigitur!* Id magis convenit lectioni veteri *peragitur*. Mox *Quadisque* cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ut correxit Pichena: ceteri *Quadisve*. Ern. *Prætexitur* recepit et Cluver. *Peragitur* ed. Rom. et Nor. Bip. verosimili conjectura *protegitur*, ut A. 15, 43. *porticibus, quæ frontem insularum protegerent.* Ed. Rom. *Quadisque.*

*Tudri*] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Trudi*: quod non displicebat Rhenano. Ern. Ed. Rom. quoque *Trudi*. Sic et MS. Long. Hoc rectius esse videtur. Saltem *trut* Germanicum nomen, fidum signans. De eo genere altum ubivis silentium. De Maroboduo A. 2, 44. sq. 62. sq. Vell. 2, 108. De Vannio Quadorum Rege A. 2, 63. 12, 29.

*Nec minus*] *Nec* delendum putabat Lallem. et in vers. Gall. omisit Bleterius.

*Gothini*] *Gothuni* semper Claudiano. Lips. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Gotini*. Mox Groslotius corrigit, *Buri: ii terga M. Q. c.* quod non probo, quia mox sequitur, *e quibus*. Sed *Buri* tamen bis cod. K. (s. ed. Nor.) Ex quo punctum post *Burii* feci: ut est etiam in edd. Spir. Puteol. Ern. Ed. Rom. *Gotini.. Buri.* De *Osis* c. 28. *Buriorum* nomen plurimis Bavariæ ac Sueviæ locis hodieque adhæret.

*Quo magis pudeat*] sc. tributa pati, nec armis se in libertatem vindicare. Ern.

*Vertices montium jugumque*] MS. Arund. *jugaque*. Acidalius *jugumque* insititium putat, male huc relatum e sequentibus. Sed tamen et in Agric. c. 10. *juga et montes* junguntur. An fuit *jugorumque?* A MS. Turic. abest *montium*. Ern.

*Lygiorum nomen*] Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *Legiorum*: sed mox *Lygios* habet. Eadem varietas in ed. Spir. Ern. Ed. Rom. *legiorum.*

*Arios* etc.] Cod. K. (s. ed. Nor.) *Harios, Helvetonas, Mammos, Helisios, Nahanarvalos.* Post tamen *Naharvalos.* In ultimo similiter variant ed. Spir. Puteol. At MS. Turic. constanter *Nahanarvalos* vocat. Ern. Ed. Rom. *Harios..Manimos.* MS. Humm. *Harios ..Lanimos.*

*Interpretatione Romana*] Ita MS. Turic. cod. K. (s. ed. Nor.) edd. Spir. Bonon. Puteol. Beroald.. *Romani* primum editum a Rhen. 1519. quod ab omnibus ante Pichenam servatum. Ern. Ed. Rom. *Romana.*

lucemque[n] memorant. Ea vis numini: nomen *Alcis*. Nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut juvenes, venerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paullo ante populos antecedunt, truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. Nigra scuta, tincta corpora: atras ad prœlia noctes legunt: ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum adspectum: nam primi in omnibus prœliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gotones regnantur, paullo jam adductius, quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii, et Lemovii: omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, et erga Reges obsequium.

XLIV. Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, præter viros armaque classibus valent: forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit: nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adjun-

*Ejus Numinis nomen A.*] Cod. K. (s. ed. Nor.) sic habet: *ea vis numini: nomen Alcis*. Quod nescio cur spretum Rhenano, qui illo libro usus est. Reddit rationem, quare Castorem et Pollucem interpretetur: quia ea vis illius Numinis apud Naharvalos, quæ Castorum apud Romanos: sed aliud apud illos nomen. Corruptelæ locum fecit, quod scriptum fuit *ea jus n.* inversis literis in *vis*, ut sæpe. Inde factum *cjus*. Non dubitavi ita in textu corrigere. Usitatissimum est apud Latinos, *vim* et *nomen* conjungi. Groslotius verba, *ejus n. n. Alcis* poni volebat, post *ornatu*. Ea res ipsi non venisset in mentem, si priscam illam lectionem cognitam habuisset. Ceterum *Alcis* est dativus numeri pluralis. ERN. Ed. Rom. *ea vis numini*. Sic et MS. Humm. Nomen *Alcis* e Sclavonica lingua exponit Anton. ubi *holcz*, puer. *holczy*, pueri.

*Tincta corpora*] Post *corpora* punctum feci, ut est in edd. vett. ERN.

*Regnant, paullo jam adductius*] Bambergens. et Rom. *adductius*; etiam recte: et dixi de eo verbo supra ad H. 3, 7. LIPS. Male Colerus interpretatur, quasi esset *addictius regnant*, quod aliqua ex parte subierint jugum Rom. nam *regnantur* (inquit, non *regnant*) *adductius*, i. e. adductioribus habenis, minori specie libertatis, et majore solutioreque potestate Regia. GRON. *Adductius* cod. etiam Kapp. (s. ed. Nor.) edd. Bonon. Puteol. Beroald. Rhen. 1519. *Addictius* primum reperi in ed. Rhen. 1533. in quam vitio operarum irrepsisse puto. Vetus restituit Pichena. Ego vero etiam restitui *regnant*, quod in iisdem libris omnibus et MS. Arund. duobusque Vatic. reperitur. Primus Rhenanus eodem libro tacite edidit *regnantur* ex H. 1, 16. ut opinor, ubi est *gentes regnantur*. *Regnare* etiam populi dicuntur, ni fallor, apud quos regium imperium est. Mox MS. Turic. *exteræ*. V. ad c. 5. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *protenus*. ERN. Ed. Rom. *regnant..adductius*: sed mox *protinus*. Rhen. 1519. *regnant*, 1533. *regnantur*, quod rectius: restituo cum Bip. qui et *Gotones* malunt sine adspiratione, ut A. 2, 62. et Plin. 4, 14. (28.) *Guttones*. Ptol. 3, 5. Γύθωνες.

*Ipso in Oceano*] Ita primus tacite et ex ingenio edidit Rhenanus a. 1533. ante omnes et MS. Arund. *ipsæ*. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) etiam *in Oceanum*. ERN. Ed. Rom. Nor. Put. Rhen. 1519. *ipse, ipsæ*. In ed. Rhen. 1533. *ipso* forsan per vitium typographi inrepsit. Rhen. conjiciebat *sitæ in Oceano*. Ed. Rom. *in Oceanum*.

*Utrimque prora*] Hujus generis navium A. 2, 6. H. 3, 47. jam facta mentio. Hyginus fab. 168. *biproras* vocat: de quibus alibi dictum a nobis. Schefferus et Munkerus ad Hyginum negabant, se earum navium rationem intelligere. ERN.

*Nec velis ministrantur*] Melius *ministrant*. Virgilianum est ex Æn. 6, 302.—*velisque ministrant*. LIPS. Add. Broukhus. ad Propert. 3, 14. 15. ubi hunc Taciti locum non præterit. Mox

gunt. Solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos: eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi: nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode et quidem servo; quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosæ porro armatorum manus facile lasciviunt: enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis præponere Regia utilitas est.

XLV. Trans Suionas aliud mare, pigrum ac prope inmotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet; sonum insuper audiri, formasque Deorum et

cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *hinc vel hinc.* Ern. Ed. Rom. Put. Rhen. *hinc vel illinc.* Bip. recepere *ministrant*, ut et ap. Lucan. 3, 691. Edd. veteres *ministrantur.* Alterum rectius.

*Est apud illos et op. h.*] Bleterius mavult *Est et apud illos op. h.*

*In promiscuo*] MS. Turic. *neque promiscuo.* Ern. Sic et ed. Rhagii.

*Oceanus*] Sic Bip. non male; quia sequitur altera ratio, cur clausa arma.

*Extremus cadentis jam solis fulgor*] Sic omnes edd. præter cod. K. (s. ed. Nor.) in quo corrupte *extranius catientis.* Is. Vossius ad Melam 3, 3. p. m. 534. e vetere libro (non nominat) profert: *extrémum radens—adeo clare:* idque probat: quod in istis regionibus sol non cadit, ut in sphæra recta, aut non admodum obliqua, sed tantum circuit horizontem et lambit. Id est verum, ad subtilitatem mathematicam. Nec ignoravit Tacitus, ut patet ex Agric. c. 12. Sed vulgarem consuetudinem loquendi secutus est, neglecta subtili Astronomiæ ratione, ut solent scriptores populares. Ac mirum, quem *cadens sol* offenderit, eum non offendisse *ortum solis.* Nam, ad veram rationem, sol ibi non magis oritur, quam occidit. Nec credam, Tacitum loqui de populis sub ipso cœli axe; nam illa loca non habitantur: sed de propinquis, in quibus sane solis species aufertur oculis, sed ad breve tempus, et residua multa luce. V. Agricol. l. c. Ern. Ed. Rom. *cadentis.*

*In ortus edurat*] Pichena, quem sequitur Kirchmaier. malebat *ortum.* Sed intelligendi sunt ortus diurni s. dierum initia.

*Ut sidera hebetet*] Id non mirum, judice Kirchm. ubi, cum vix infra horizontem mersus sol est, jam mox adfuturus iterum, relictis, queis sidera stringit, radiis, caliginem facile omnem arcet fugatque.

*Sonum insuper emergentis*] Malim *se mergentis.* Nam hæc persuasio rudis et cascæ plebis fuit, solem, dum in Oceanum cadit, stridorem edere non aliter, quam si ignitum ferrum condatur in aquam. Posidonius apud Strabonem lib. 3. p. 138. Λέγειν, φησὶ Ποσειδώνιος, τοὺς πολλοὺς, μεῖζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι μετὰ ψόφου παραπλησίως, ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σθένειν αὐτοῦ, διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν. Florus de Decimo Bruto in Hispaniis bellante 2, 17. *Non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegii metu et horrore, deprehendit.* Juvenalis ab illo ævo 14, 280. *Audict Herculeo stridentem gurgite solem.* Quid D. Hieronymus, nonne in eodem errore, aut sermone? In Eccles. c. 1. *Sol ipse, postquam ardentem rotam Oceano tinxerit, per incognitas nobis vias, ad locum unde exierat regreditur.* Lips. *Emergentis* abest ab MS. Turic. edd. Bonon. Spir. Puteol. Beroald. (Rhag.) Sed Rhenanus jam a. 1519. edidit e cod. quem nos Kapp. ille Artolphi vocat (s. ed. Nor.). Atque, secundum illam opinionem, strepitus solis non minus emergentis, quam occidentis, intelligi potest. Si de occidente tantum loquitur, intelligi cadens sol ex antecedentibus potest. Itaque tanto facilius credo spuriam vocem esse. Ern. Gruterus etiam vocem hanc delet, inepte a sciolo quodam intrusam. Ipse quoque deleo cum Bip. et aptius ante *sonum* interpungo. *Sonus* is refertur ad *solem cadentem*, qui præcedit. Colerus volebat

radios capitis adspici, persuasio adjicit. Illuc usque (et fama vera) tantum natura. Ergo jam dextro Suevici maris litore Æstyorum gentes adluuntur; quibus ritus habitusque Suevorum; lingua Britannicæ propior. Matrem Deûm venerantur: insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis omnique tutelâ: securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta ceterosque fructus patientius, quam pro solita Germanorum inertia, laborant. Sed et mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi *Glesum* vocant, inter vada

*immergentis*; plures *se mergentis*. Broterius redundare vocem sentiebat. In ed. Rom. comparet *emergentis*.

*Formasque Deorum*] Colerus, *formasque equorum*: T. Faber, *formas equorum*: quod melius. Etiam MS. Turicens. *formas* sine copula. At Heinsius ad Vellei. 1, 17. init. *formæque decorum* s. *decorem*: ubi et Lipsii correctionem *se mergentis* probat. Vulgatum quidem vitiosum est. Ern. Heinsii conjectura stare nequit, quia nil ibi superstitiosi foret. Eandem tamen profert et Schefferus in Misc. Obs. t. 8. p. 292. ubi vitiose legitur *formæque Deorum* pro *decorum*, ut ex toto nexu patet. Broterius probat *formasque equorum*, ni forte *formas Deorum* accipias de Neptuno aliisque Diis marinis solem excipientibus. Bipontini tuentur vulgatum, quod et veteres editiones habent, existimantque, effigies animalium inpressos soli, unde deciduis seminibus præcipue in mari monstrificæ gignantur effigies, ut est apud Plin. H. N. 2. 3. credidisse et illas gentes. Forsan et ad auroram borealem hæc referenda putant, cujus miri lusus et luminis vibrationes et apud alios barbaros et apud ipsos Græcos Deorum formas radiantemque Superorum cœtum repræsentare sint visæ. Conjecturam hanc egregio loco, ex De Pauw Rech. sur les Americains t. 1. sect. 2. repetito, firmant. Kirchmaierus intelligebat spectra et Dæmonum adparitiones tributas credulitati plebeiæ. Cf. A. 2, 24. Longolius referebat ad astra, duce Ovidio Met. 1, 73.

*Illuc usque (et fama vera) tantum natura*] Aiunt corruptum locum, si quem alium in his libris. At ego silentio transieram, ut purum et liquentem. Et sane est. Loquitur ut Physicus, sed illius ævi; qui censebant, Oceanum finem rerum, neque ultra Naturam (hanc inferam) esse. Avitus declamator (apud Senecam Suas. 1.) *Ita est rerum Natura: post omnia Oceanus, post Oceanum nihil.* Albutius Alexandrum Magnum compellans: *Eundem Fortuna victoriæ tuæ, quem Natura, finem facit*: de hoc ipso Oceano. Fabianus ad eundem, dissuadens tentare Oceanum: *Sine potius rerum Naturam, quam Fortunam tuam deficere.* Pedo Albinovanus carmine, quo Germanicum revocat ab Oceano v. 20. *Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem.* Crassuli fuerunt, nec orbem hunc vere orbem esse satis sciverunt. Facit, quod jam nunc de sole in Oceanum lapso dixit. Lips. Varie locum tentant. Vossius e libro vetere, l. c. profert probatque: *illuc usque, ut fama, non tamen natura*: quod esse dicit; ibi terminari famam, non rerum naturam. Sensus bonus, sed non ex verbis istis. Grotius: *i. u. si fama vera, t. n.* Sed vix attinet ceteras conjecturas referre. Ern. Lipsii interpretationem sequuntur vernaculi interpretes. Heinsius dabat: *Illuc usque it fama vera tantum naturæ*: Bipontini paullo aliter: *Illuc usque it fama: vera tantum natura*: i. e. vera sunt, quæ de cadentis et orientis solis confini fulgore dicta, et naturæ sive rei ipsi conveniunt: longe alia, quæ fama addidit credentium. Ego hæsito.

*Æstyorum*] Sic bene Rhen. ex ed. Nor. Sic et ed. Rom. Prius erat apud Put. *Eſtuorum*. Apud Eginhardum c. 12. dicuntur *Aisti*.

*Matrem Deum*] Sic bene ed. Rom. et Nor. Contra Put. et Rhag. *m. Deam*.

*Omniumque tutela*] Fortasse melius, *omnique tutela*. Lips. Sed major interpunctio esse debet post *tutela*, sic: *id pro armis omnique tutela: securum Deæ* c. etc. Et, quia MS. Turic. plane exhibet *omnique tutela*, ita rescripsi. Secuti sunt Allemannus et Broterius. Ern.

*Succinum legunt*] Hic locus est, quem

atque in ipso litore legunt. Nec, quæ natura, quæve ratio gignat, ut barbaris, quæsitum compertumve. Diu quinetiam inter cetera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria nostra dedit nomen: ipsis in nullo usu: rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ inplicata humore, mox, durescente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse, crediderim; quæ vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes, in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem et olentem; mox ut in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. Hic Sueviæ finis.

XLVI. Peucinorum Venedorumque et Fennorum nationes

Cassiodorus indicatum voluit 5, epist. 2. *Hoc succinum, quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens, unde et succinum dicitur, paullatim solis ardore coalescens.* Sed itane contemptim ille de nostro, *quodam Cornelio?* non scripsit, sed *quondam*. Quod autem inscriptione ejus epistolæ est, *Hæstis Theodericus rex:* e Tacito esset, *Æstyis*, qui appellat *Æstyorum gentes*, succinum hoc legentes. LIPS.

*Quod ipsi Glesum vocant*] Salmasius ad Solin. p. 165. scribendum putat *glæsum*, atque etiam *Glæsarias insulas*, quas inde dictas Plinius 4, 16. (30.) arguit, et sic scriptas in libris Solini se reperisse testatur; ducto nomine a Germanico *Glas*, vitro, quia pellucet succinum illud. ERN.

*In nullo usu: rude* etc.] Sic interpunximus e cod. Kapp. (s. ed. Nor.) aliisque vett. edd. recentiores cum sequentibus jungunt, sicut ed. Spirens. Mox frustra Groslotius (e vet. cod.) *profertur*. Immo intellige, *Romam, s. ad nos.* ERN. *Profertur* etiam ed. Rom. et Norib.

*Succum tamen arborum*] Hæc vulgaris opinio in dubium adducitur a Wtgando in vera succini historia, et aliis, qui de succino scripsere. Succinorum, quibus insecta aliaque animalia interlucent, dives thesaurus ostenditur Dresdæ inter ceteras naturæ, congestas in Regiæ porticus, opes. Eorum exquisitior pars edita est Lipsiæ 1742. quæ utinam elegantiorem et disertiorem interpretem nacta fuisset. ERN. Cf. Plin. 37, 3 (11). et inter recentiores Schlœzer in Nord. Gesch.

*Crediderim, quæ—labuntur,—exundant*] Hæc non credo bene Latina esse et Tacito digna. Ratio Latinitatis postulat certe *labantur*, et *exundent*. ERN.

*Non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant*] Degenerant a libertate, quia ceteri Germani fere omnes liberi, hi servi. Degenerant a servitute, quia servientes populi, Regibus, ideoque hominibus, servire solent, hi feminis. Sic Pichena. Fortasse recte. Ego tamen ambigebam mecum, an non scripsisset Tacitus: *non modo a libertate, sed etiam in servitute degenerant.* GRON. Sufficit Pichenæ expositio. Ita et apud Vell. 2, 83. *infra servos cliens.* Quæ hic narrantur de *Sitonibus*, rectius omnino ad finem capitis præcedentis referenda videntur, ut bene Bip. monent.

*Hic Sueviæ finis*] MS. Turic. cod. Kapp. (s. ed. Nor.) ed. Spirens. *fines*; quod ipsum quoque ferri posset: sed illud usitatius ac melius. Gryph. vitio operarum *hinc*. ERN. Ed. Rom. quoque *fines*.

*Et Fennorum nationes*] Sic e cod. Artolph. (s. ed. Nor.) edidit Rhenanus:

Germanis an Sarmatis adscribam, dubito; quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, ut Germani, agunt: sordes omnium ac torpor procerum: connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant: hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos fingunt et scuta gestant et pedum usu ac pernicitate gaudent; quæ omnia diversa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas: non arma, non equi, non Penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus: sola in sagittis spes, quas, inopia ferri, ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque ver-

sic constanter MS. Turic. Ed. Spir. *Femiorum* ceteræque ante Rhen. Ille tamen mox *Fennosque*, et *Fennis*, ut ed. Puteol. *Fennis* etiam Beroaldi. At Rhag. constanter *Femios* habet. ERN. Ed. Rom. etiam *Fennorum*.

*Procerum connubiis mixtis*] Rhenanus conjicit sic fuisse scriptum, *Cæterum connubiis mixtis* etc. consentientibus Althamero, Mureto. Quod et mihi placet. Quare enim inter proceres tantum connubia fingamus? *Connubia mixta* forent promiscua. Sed quis ita locutus est? legendum potius *mixti*, ut Colerus voluit. Cod. Kapp. (s. ed. Nor.) *mistos*, et ante *omniumque*. ERN. *Mistos* etiam ed. Rom. sed *omnium* absque copula. *Procerum* tuentur Pichena et Conring. sed male sejungunt a præcedentibus: restituo locum fere ut Bip. *torpor procerum* opponitur *sordibus omnium*. Ita jam Acidalius. Ut legas *mixti* cum Colero et aliis, non opus; sensus idem. Crusius in Prob. crit. perperam *fœderantur*.

*Domos fingunt*] Sic ex meis libris primæ Lipsii edd. Sed id est vitium operarum, quod fuit in editione ignobili, cujus exemplum Lipsius accommodavit prælis typographorum; et tamen id ab omnibus seqq. editoribus Taciti servatum est: Colerus etiam explicavit. Edd. veteres (in his Rom. et Nor.) et bonæ ante Lipsium omnes, quibus usus sum, habent *fingunt*: quod restitui. *Fingunt ædes* hi populi, e luto scilicet, ut rustici nostri; cum Sarmatæ in plaustris figant vehantque, a quibus illos populos hoc nomine diserte distinguit. Sic ap. Ovid. Fast. 1, 158. hirundo sub trabe celsa *luteum fingit opus*, omninoque aves *fingere nidos* apud Ciceronem dicuntur de Or. 2, 6. ERN. *Fingunt* recepere Lall. Brot. Bip.

*Peditum usu* etc.] *Pcditum* omnes edd. vett. *Pedum* in Lipsianis primum reperi; quod, e correctione nescio cujus natum alibi, in has venit. Nec dubito, veram esse correctionem: sed, quia tamen et altera utcunque ferri et explicari potest, eam potius exhibendam, alteram recentiorem, et e Lipsianis ad omnes recentiores propagatam pro conjectura, sed bona et vera, apponendam censui. ERN. *Pedum* omnino rectius. Restituo cum Lall. Brot. Bip.

*Quæ omnia diversa Sarmatis*] Vide H. 1, 79.

*Huc redeunt*] Cod. K. (s. ed. Nor.) *Nunc*, ut supra *Nerthum* pro *Herthum*. Post *sed* vett. edd. Rhenanus a. 1533. ex ingenio correxit *id*; bene fortasse: sed illud quoque bonum, nec de conjectura tollendum. Forte fuit a Tacito *sed id*. Sed τὸ *id* commode intelligi potest. ERN. Ed. Rom. *huc*. Eadem cum Nor. *Sed*.

sare. Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset. Cetera jam fabulosa: "Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum, gerere:" quod ego, ut incompertum, in medium relinquam.

*Securi adversus Deos*] Non quo nullos credant, sed quod nihil habentibus adimere Dii nihil possunt. Sed est vel sic parum decora majestati Deorum sententia. ERN.

*Ut illis n. v. q. opus esset*] Sic omnes edd. ante Rhenanum, qui, judicium suum secutus, edidit *opus sit;* quasi non et illud rectum esset. Si potuit dicere *assecuti sunt* pro *assequuntur*, cur non et *opus esset?* Atque, secundum ἀκρίβειαν grammaticam, perfectum excipere debet imperfectum, non præsens. Et sunt multa talia apud veteres, in quibus, si rem vernaculo nostro loquendi modo, aut hodierna Latine scribentium consuetudine judices, præsens imperfecto substituendum sit. Itaque vetus jure restituimus. ERN. Rhen. conjicit, *ut illis ne voto quidem opus. Sed. . . .*

*Hellusios et Oxionas*] Turnebus Adv. 6, 19. conjicit *Panotios* vel *Hollotios et Oobios*. Schlözer in Anm. zu Schönings alt. Nord. Gesch. p. 127. intelligi putat *Oœonas, Hippopodas, Panotos*. Provocant ad Melam 3, 6. Plin. H. N. 4, 13 (27). Isidor. Etym. 11, 3.

TOMI TERTII FINIS.

LONDINI:
EXCUDEBAT T. DAVISON, WHITEFRIARS.

YC 52223

M156047

PA6705
A2
1825
v.3

THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY